BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 C
45

S 10.

Tomo Unico

Cr: XII = Sag: 2 = P: 2

VII a 73 f 20

41

13. 5. h. 96

~~13.20.B.18~~

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM *LIBRI DECEM.*

In quibus plurimi veterum ſcriptorum loci conferun-tur, explicantur, & emendantur multò aliter, quàm hactenus à quoquam factum ſit.

CVM DVPLICI INDICE.

AD

FRANCISCVM MVGGHIONIVM Virum integerrimum.



FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.
CIↃ IↃ LXXXIII.

ROBERTVS TITIVS FRANCISCO MVGGHIONIO AMICO SINGVLARI. S. P. D.

QVANTO magis mecum ipſe cogito (Franciſce Mugghioni) & in omnes partes animum conuerto aliquam rationem quærens, qua meam erga te voluntatem aliquandò tandem aperire poſsim, tantò magis perplexus hæreo, huiuſque mei explendi deſiderij difficultate laboro: nam & fortuna tua, & rerum mearum ſtatus omnem mihi facultatem prorſus adimit re ipſa oſtendendi, quod tacitus mecum aſsidua cogitatione complector: atque ego quidem hac mea conſcientia, qua ſola tu, tuique ſimiles abundè vobis ſatisfieri exiſtimatis, facilè contentus fuiſſem, niſi etiam curandum ſcirem, quid de nobis quiſque loquatur, aut ſentiat: quamquam tamen alia me ratio potiſsimum impulit, vt hoc tempore hos tibi libros inſcriberem, volebam enim tuorum erga me beneficiorum teſtificationem aliquam apparere, & quod ipſe in amicorum congreſſu, ac cœtu libenter profiteor, abſentibus etiam patefacere: nam, ſicut magnis acceptis beneficijs paria non reddere, ſi facultas deſit, excuſationem meretur, & in eo ſaltem, quod libenter debemus, gratiam vtcunque referre exiſtimamur, ita ea non prædicare, & apud omnes teſtata facere (cuius rei facultas nulli non ſuppetit) fraus capitalis cenſeri debet. Itaque cùm iuſtis de cauſis in animo haberem lucubrationes aliquot meas

publicare, commodam occaſionem mihi eſſe oblatam iudicaui beneficia, quæ ſunt abs te ſæpè, ac varijs modis in me profecta prædicandi; ipſam igitur libenter arripui, ita tamen vt ea ſingillatim recenſere nolim, videlicet ne modeſtiam tuam ſuboffendam, nam, etſi animo meo obſequi decreui, id tamen bono modo facere oportet, ne te, cui placere plurimùm ſtudeo, importuna (ſic.n.appellare ſoles) commemoratione lædam. Itaque in vniuerſum illud verè dixerim, pluribus me tibi nominibus obſtrictum eſſe, quàm vel cognatis, affinibusq; meis, atque alijs amicis omnibus; recordor.n.illius temporis, quo rerum mearum ſtatus importuniſſimorum hominum audacia concuſſus propemodùm corruiſſet, niſi tu ipſum tuo conſilio ſuſtinuiſſes, atque ope ſubleuaſſes; neque hîc tua liberalitas conquieuit, ſed ex illo tempore, quaſi verò neceſſitas aliqua rationes meas iuuandi tibi eſſet impoſita, perpetuis officijs me proſequi non deſtitiſti, quod etſi ipſum per ſe plurimi faciendum eſt, longè maximum tamen exiſtimari debet, me illo meo calamitoſiſſimo tempore benignitatem tuam expertum fuiſſe, &, cùm res mea in cardine verſaretur, ac paulò momento hùc, atque illùc impelli poſſet, ſalutarem operam abs te vno mihi eſſe allatam cæteris omnibus fortunæ caſum ex tuto ſpectantibus, multis etiam aduerſum cupientibus: Equidem, ſi præteriti infortunij, ſuperatæque difficultatis recordatio ſuauiſſimè ad animum accidere ſolet, incredibilem nunc voluptatem ex huius rei commemoratione capere debeo: itaque mihi veniam abs te dari peto, ſi huius ſermonis dulcedine illectus, pluribus ea ſum proſequutus, quæ tu ne leuiter quidem attingi libenter pateris; fateor enim me maiorē voluptatis meæ rationem habuiſſe, quàm modeſtiæ tuæ: neque tamen propte-

rea

rea ſilentio præterierim, te, cùm Cæſaris aulam certis de cauſis adire cogitaſſem, liberaliter mihi pecuniam, quæ ad iter illud conficiendum, & illic aliquot menſes commorandum neceſſaria videbatur, obtuliſſe, prudentique conſilio fluctuantem animum conſtituiſſe: denique, ne tuo pudore diutius abutar, nullum beneficij genus reperitur, quod mihi tu benignè, & cumulatè omni tempore non præſtiteris: quibus cùm paria facere nequeam, Mugghionij partes erunt, id eſt eius, qui liberalitatis exercendæ rationem optimè nouit, hoc exiguum grati animi documentum non aſpernari, nam præterquam quòd tutius ipſe poſthac tibi debebo, calcar etiam mihi admotum eſſe non leue exiſtimabo ad hunc literarium curſum, quem inſtitui, alacrius conficiendum: ac fortaſſe quandoque fiet, vt aliquo te munere proſequi poſſim, quod omni auro præcioſius cenſeri debeat, certè tu pro tua humanitate non aliter deputabis: nam (verum vt fatear) mihi ipſe non tantum tribuo, vt de me quicquam tale audeam polliceri; noui enim quàm mihi ſit curta ſupellex: ex ea tamē hoc munus tibi nunc adornaui, paruum illud quidem, ſi tua erga me beneficia ſpectentur, at magnum profectò, ſi ingenij mei vires intueri libeat, ac ſanè ea præcipuè inter amicos lex eſt perpetuò cuſtodienda, vt non ex rei magnitudine, ſed ex concedentis animo, ac voluntate dona pendantur: quamquam non ita eximium fartaſſe cenſeri debet munus noſtrum, vt nihil prorſus dediſſe videamur: quid.n. magis arduum, ac laborioſum reperiri poteſt, quàm res à ſummis in omni literarum genere viris olim tractatas iterum attingere, atque ita quidem, vt non tanquam cæcus aliorum veſtigijs perpetuò inſiſtas, ſed diuerſis, atq; interdum contrarijs itineribus in ipſius veritatis arcem

aſcen-

ſcendere coneris? quod adeò ſæpè facio, vt reprehenſionem interdum verear, quaſi cornicum oculos configere voluerim: ſed eximendæ fuerunt prauæ quorumdam doctorum hominũ ſententiæ ex animis eorum, qui nil niſi communiter ſapiunt, nec per ſe quicquam audere ſciunt, eis, inquam, oſtendendum fuit, ſuis, proprijſque fundamentis, non alienis tibicinibus veritatem niti: hoc ego vel præſtiti, vel ſaltem, vt efficerem, qua maximè potui diligentia laboraui; in quo non modò vituperationem me effugiſſe arbitror, ſed nonnihil etiam laudis conſequuturum eſſe apud probos, eruditoſque viros ſperare iuuat: caue enim putes vllo me erga ipſos odio, aut liuore, obtrectandiue ſtudio hoc opus conficiendum ſuſcepiſſe, quis enim malit cùm adeò politis, præſtantibuſque viris inimicitias exercere, quàm officijs, atque humanitate certare? deinde meus pudor tibi probè cognitus non patitur, vt ego, quaſi nouus tyro, veteranos milites, atque emeritos in certamen prouocem animo eoſdem occidendi, ſed vt ab ipſis pugnandi artem edoctus vtiliorem operam poſthac in Rep. literaria nauare poſſim. Nunc reliquum eſt, vt qua ego mentę hos libros tibi do, dicoque, eadem tu eoſdem accipias, ac tuearis, quod quidem te facturum eſſe confido vel eorum merito, ſi modò quicquam merentur, vel mea cauſſa, ſi me amas, vel quia, cùm iam tui effecti ſint, ad te vnum potiſſimùm eorum cura pertinere videtur. Vale. Florentia Kal. Auguſti. CIↃ IↃ LXXXIII.

AD EVNDEM CARMEN.

QVì tibi nunc poſſum dignas perſoluere grates ,
Officijue tui memorem me oſtendere ſaltem
Franciſce , ingrato ne te feciſſe benignè
Credas , inque hominem durum benefacta locaſſe ?
Nil opibus , nil ingenio , nil denique poſſum
Viribus exiguis : nam pro te mille ſubire
Non verear mortes , mille & diſcrimina rerum :
Tu me iuuaſti officio , ſtudioque perenni ,
Tu me conſilio dubijs in caſibus vrges ,
Atque animos addis , ſi quid ſuccumbere ſentis :
Tu mihi te comitem prębes , grauiumque laborum
In partem ſimul ipſe venis, ſimul omnia tentas ,
Atque iuuas opibus , meque ad maiora reſeruas .
Sed , ſi etiam volumus magnas percurrere dotes ,
Ingenijque nouos , varioſque expandere cultus ,
Tu multùm ſophię ſtudijs , tu carmine polles :
Tu penetrare vales quicquid natura negauit
Omnibus , & cęcis latebris , merſitque profundo .
Solus Apollinea tu dignus fronde corona
Tempora cui cingat Permeſſi ad fluminis vndas :
Tu medicas artes cœleſti munere tractas ,
Atque homines reuocas medijs è faucibus Orci .
Appoſitus mirè tu vrbanis rebus agendis :
Tu decus es patriæ , tu ornamentumque ſupremum .
Sed quid carminibus pergo tenuare minutis
Eximias laudes , & facta ingentia cęlo
Aequanda his leuibus numeris comprendere conor ?
Maius opus moueo de te , Franciſce , quod vlla
Deleat haud ætas , non inclementia cœli ,
Non Iouis irati terris demiſſa coruſca
Fulmina , non ſi quid pote fulmine triſtius eſſe .
Interea tantùm tibi me dixiſſe iuuabit ,
Ne pigeat memorem noſtri te ſumere curam .

Rob. T.

AVCTOR AD LECTOREM.

NON potui ea diligentia huic editioni præeſſe, qua cupiebam, propter multas, variaſque occupationes meas, quibus etſi non ita totus diſtinebar, vt non poſſem vnam, atque alteram diei horam, aut eo etiam plures huic negocio impartiri, illud certè incommodum eæ mihi afferebant, vt, cùm operæ typographicæ formas (vt vocant) confeciſſent, quas emendare oporteret, ego eſſem occupatus, contrà, cùm aliquid ocij nactus eſſem, tunc nihil, quod emendarem, in promptu erat: præterquamquòd re ipſa intellexi, quod vix alij mihi narranti crediſſem, multò ferè plura errata committi ſolere, cùm auctor ipſe editioni præeſt, quàm cùm alteri eius rei cura demandatur, propterea quòd auctor curſim, ac properanter ſcripta ſua percurrat, & , vtpote in re ſibi valdè nota, negligenter admodùm in ipſis verſetur: alij verò, quibus ea tunc primùm ad aures accidunt, paulatim, ac pedetentim progrediuntur ingenij, atque oculorum aciem in ſingula queque acrius contendentes, atque omnia diligentius coſiderantes, ita vt, non modò ſyllaba nulla, aut litera, ſed ne apex quidem eos effugiat: Hinc factum eſt vt plura, & grauiora, quàm vt diſsimulari debeant, peccata in his libris edendis admiſſa fuerint, quę ipſe partim calamo tollenda, atque emendanda curaui, partim, quia commodè caſtigari non poterant, adhuc conſpiciuntur non abſque magno meo dolore, ac moleſtia, veluti (exempli gratia) quod legitur p. 3. Videri etenim poterit nulla inter duo hæc inſtrumenta ſimilitudo intercedere: Nam quis non videat legendũ eſſe, Nullam ſimilitudinẽ? quõ etiã p. 21. ſcriptũ διαλρθὲν eſt pro διαλυθὲν: & ἀναιθητεῖ. & ἀνηθητοῦν pro ἀναισθητεῖ, & ἀνησθητοῦν. in ſuas quippe ſedes, pro quique. & p. 25. in quibus ea vox ita vſurpari exiſtimarunt, pro eam vocẽ. p. 43. Dandanim pro Dandamin. p. 142. panem ex humilibus conſtare pro partim. p. 150. κεχρυσάλλωντε pro κεχρυσάλλωνται. p. 169. à Romanis attritas, pro Thebanis. p. 249. ne ventus garrula pinus pro vento. p. 270. Spatium, quod intercedit inter illa duo verba ὄρετο ματίστα, ſuperuacaneum eſt, & expleri debet dictionibus illis propius accedere coactis. Denique prudentis lectoris erit has, atque alias huiuſmodi lapſiones mihi condonare, & ſua manu ad oram codicis veram ſcripturam adnotare, vt, ſi qui typographi poſthac hos libros iterum ſuis formis excudere voluerint, ne errent. Illud inſuper non prętererierim, addenda eſſe ad caput 19. lib. 1. vbi de Gellij loco diſputamus, hæc Ammiani verba ex lib. 20. ad confirmationem
„ vulgatæ ſcripturæ. Perſæ aſsiduè malleolos, atque incendiaria tela torquen
„ tes laborabant in caſſum: ea re, quòd humectis ſcortis, & centonibus erant
„ opertæ materiæ plures, aliæ vnctę alumine diligenter, vt ignis per eas la-
„ beretur innoxius.

INDEX CAPITVM QVAE SINGVLIS LIBRIS CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

QVo ſenſu accipienda ſit vox ἄπορον apud Gellium,& quęſtionis cuiuſdam exitus ex Iuriſconſultorum placitis explicatus. Cap. 1.
Cur arcus dictus ſit à Theognide φόρμιγξ ἄχορδος, & de forma lyræ antiquorum. cap. 2.
Plinij vulgata lectio cuſtodita, quã M. Antonius Muretus immutauerat,& de mira quadam natura Bonaſi. cap. 3.
Caroli Sigonij peccatum in Plutarchi, & Quintiliani codice emendando patefactum, & vnde Syllæ nomen. cap. 4.
Non videri peccaſſe M. Tullium in hiſtoria quadam referenda, & de ſententia Petri Victorij, qui Ciceronis lapſionem (vt ipſe putauit) notauerat, diſputatum. cap. 5.
Horatij locus, qui alicui culpæ affinis videri poterat, explicatus. cap. 6.
Aemilij Probi locus aliter, quàm à Dionyſio Lambino caſtigatus. cap. 7.
Plinij, ac Varronis quædam ſententia aduerſus Melchiorem Guilandinum aſſerta. cap. 8.
Diſputatio de ſententia quadam Petri Victorij. cap. 9.
Locus quidã Ciceronis aduerſus Franciſci Luiſini ſententiã defenſus. cap. 10.
Virgilij carmen ſecus, quàm ab alijs declaratur. oap. 11.
Horatij locus, de exili Plutonis domo, præter aliorum ſententiam explicatus. cap. 12.
Plauti locus emendatus ex Bacchidibus. cap. 13.
Parœmia quędam Græci ſcriptoris auxilio illuſtrata. cap. 14.
Diſputatum de Gulielmi Canteri,& Dionyſij Lambini ſententia ſuper emẽdatione cuiuſdam Plautini loci. cap. 15.
Propertij locus de opinione reſtitutus. cap. 16.
Epicuri ſyllogiſmus parum ex arte confectus demonſtratur. cap. 17.
Franciſci Hotomani ſententia quędã ſuper. C. Cęſaris verbis notata. cap. 18.
De A. Gellij loco diligenter diſputatum, vbi de aluminis natura fit mentio. cap. 19.
Lapſus quidam Mureti, ac Turnebi detegitur: & qui dicantur lenti debitores. cap. 20.
Liuij contextus, quem Petrus Nannius deprauauerat, reſtitutus, & quid valeat interdum vox Auctor in Latino ſermone. cap. 21.
Senecæ contextus duobus in locis emaculatus. cap. 22.
Dionyſij Lambini, & Germani Valentis error ſuper capitis diminutione patefactus. cap. 23.
Plutarchi locus perperàm ab Eraſmo conuerſus. cap. 24.
Catulli verſus emendatus in nauis deſcriptione. cap. 25.

LIBER SECVNDVS.

ADagij cuiuſdam ratio vera demonſtratur. cap. 1.
Terentij locus magis adhuc explicatus de ſtudio mulierum in ſe ornando, nimiaque ipſarum diligentia, quam ea in re ponunt. cap. 2.
Lucretij locus animaduerſus. cap. 3.
Nihil firmi attuliſſe Muretum, cur potius Inficetum, quàm Infacetum dicendum ſit. cap. 4.
Deleta macula ex Oratione pro lege Manilia. cap. 5.
Mendum ex Plinio ſublatum in Fabatę familiæ nomine. cap. 6.
Martialis epigramma declaratum. cap. 7.
Propertij verſus animaduerſione digni indicati. cap. 8.
Quid ſit apud Horatium Ampullæ verborum. cap. 9.
Ioannes Brodæus reprehenditur in emendatione cuiuſdam Ciceroniani loci. cap. 10.
Strabonis contextus, qui librariorum culpa in viri nomine corruptus erat, caſtigatus. cap. 11.
Martialis carmen expenſum de natura ſuilli pecoris. cap. 12.
Plinij locus, qui maculam continere videbatur ex ingenio reſtitutus. cap. 13.
Argumentum Achilleum vnde dicatur, & locus quidam Ariſtotelis aliter, ac fecerit Petrus Victorius, explicatus. cap. 14.
Angeli Politiani commentum de pigro Ocno apud Propertium refutatum, & quomodo illic legi debeat, oſtenſum. cap. 15.
Diuerſæ quædam ſententiæ duorum ſcriptorum de eadẽ re prolatę. cap. 16.
Quid intellexerit Lucianus per [illegible] ἐκ καλάμων, vbi Iacobi Mycilli verſio notatur. cap. 17.
Cuiuſmodi fuerit armatura ex ſpongia confecta, cuius alicubi meminit Liuius, & de loricis lineis. cap. 18.
Conatus emendandi Plinij locum, qui maculam continere videbatur. cap. 19.
Cæſaris locus declaratus, Hotomaniq; ſuper eo emendatio reiecta. cap. 20.
Terentij locus magis adhuc illuminatus. cap. 21.
De habitu, ac proceritate Herculis diſputatum. cap. 22.
Horatij locus Gręci ſcriptoris collatione illuſtratus. cap. 23.
Prouerbij cuiuſdã vera interpretatio allata aduerſus Adrianũ Iuniũ. cap. 24.
Petri Victorij quædam caſtigatio ad Ciceronis locum improbata. cap. 25.

LIBER TERTIVS.

LEonardi Aretini conuerſio ex Ariſtotele à Franciſci Robortelli calumnia defenſa. cap. 1.
Ioannis Stobæi contextus à menda purgatus. cap. 2.
Aelianus emendatus in fluminis nomine. cap. 3.
Iodochi Vullichij expoſitio ad Maronis carmen reiecta de ſolida equorum vngula. cap. 4.
M. Tullij ſententia quædam examinata de perſonis, quæ in Dialogis loqui introducuntur. cap. 5.
T. Liuij contextus, qui alicui vitio affinis videri poterat, de opinione reſtitutus. cap. 6.
Prouerbium quoddam ſecus, atque ab Eraſmo explicatum. cap. 7.
Vulgata Plij lectio aduerſus Hieronymum Mercurialem aſſerta. cap. 8.
Lucretij locus noua explicatione illuſtratus. cap. 9.

Vera

Vera (ni fallor) Maronis ſententia eruta ex Mezentij verbis, quę is profert, cùm in eo eſt, vt ab Aenea occidatur. cap. 10.
Coniectura de Auſonij carmine, quod parũ emendatè circumfertur. cap. 11.
Eluta macula quæpiam ex codice Apulei. cap. 12.
Quid ſit apud Plautum Victitare ſorbilo, & tergus oſtreatum. cap. 13.
Virgilij epigrãma declaratũ, & ibidẽ Ioſephi Scaligeri expoſitio reiecta. c. 14.
Vnde Luſcorum, & Luſcinorum cognomina deriuata ſint, & Plinij locus emendatus in altero illorum vocabulorum. cap. 15.
Cur lętam cupreſſum appellauerit Maro in Culice, atque inibi Ioſephi Scaligeri caſtigatio reiecta. cap. 16.
Quomodo ſit dictum à poeta neſcio quo Lunam caluos adamare, & cur Syneſius σελήνια caluos appellauerit, vbi Elię Vineti, atque Adriani Turnebi ſententię perpenduntur. cap. 17.
Horatii ſententia ex dulciſsimo ſcriptore Xenophonte expreſſa. cap. 18.
Martialis diſtici cuiuſdam vera ſententia demonſtratur, quæ Domtium Calderinum latuit. cap. 19.
Quomodo amara pharmaca œgrotis exhiberent veteres, vbi de Lucretij loco diſputatur. cap. 20.
Declaratum carmen Auſonij. cap. 21.
Cuiuſmodi fuerint verſus circulares, vbi D. Thomæ Aquinatis opinio confutatur. cap. 22.
Horatij locus ex Odis de agris hiſpidis ſecus, atq; ab alijs explicatur. cap. 23.
Martialis epigramma declaratum in quo de anulis, & eorum geſtatione fit mentio. cap. 24.
Valerij Maximi communis lectio contra M. Antonij Mureti ſententiam defenſa. cap. 25.

LIBER QVARTVS.

Vetus quædam ſcriptùra in Propertij carmine conſeruata aduerſus Gulielmum Canterum. cap. 1.
Varronis locus contra Petri Moſellani ſententiam declaratus. cap. 3.
Horatij locus ex Odis illuſtratus. cap. 3.
Gellij vetus ſcriptura aduerſus Lodouici Carrionis ſententiam comprobata. cap. 4.
M. Antonij Mureti opinionem de auctore prioris illius orationis, quæ vulgò Iſocrati Platonis ęquali tribuitur, veram non videri. cap. 5.
M. Tullij vulgata lectio aduerſus Gulielmi Canteri emẽdationẽ defenſa. C. 6.
Philippi Beroaldi ſententia ſuper Apulei codicis emendatione reiecta, nouaque allata. cap. 7.
Aemilij Probi locus aliter, quàm à Lambino caſtigatus. cap. 8.
Horatij quidam locus ex hiſtoria illuminatus. cap. 9.
Cæſaris locus declaratus, atque inibi Franciſci Hotomani ſententia exagitata. cap. 10.
Quęritur quomodo legi debeat apud Plinium quodam in loco, Flaueſcuntne, an potius Flacceſcunt. cap. 11.
Locus ex Cæſaris commentarijs obſcurus, atque perplexus leui mutatione emendatus, & declaratus. cap. 12.
Prouerbium quoddam ſecus, atque ab alijs explicatum. cap. 13.
Terentij locus animaduerſione dignus indicatus. cap. 14.
E Clemente Alexandrino macula quæpiam ſublata. cap. 15.
Incerti cuiuſdam poetę carmen emendatum, & ſuper eo Scaligeri expoſitio reiecta. cap. 16.

Quæſit mea ſententia de Ciceronis quodam loco. cap. 17.
Gulielmus Canterus reprehenſus ſuper emendatione cuiuſdam Horatij loci. cap. 18.
Vetus ſcriptura in Plinij codice retẽta, noua Franciſci Luiſini exploſa. cap. 19.
Aeſchyli ſententia quæpiam examinata, & an Morti ſacra facere mos fuerit apud veteres. cap. 20.
Catulli vulgata lectio aduerſus Ioſephum Scaligerum aſſerta. cap. 21.
Vera prouerbij cuiuſdam ratio, quæ parœmiographum fefellit, demonſtrata. cap. 22.
Purum pectus aliter ab Horatio, aliter à Lucilio vſurpatum. cap. 23.
Dionyſij Lambini ſententia de capite fluminum confutata. cap. 24.
Qui ſint Rhamnes apud Horatium. cap. 25.

LIBER QVINTVS.

QVo ſenſu accipere oporteat vocem alliatum apud Plautum Moſtellaria. cap. 1.
Ariſtotelis ſententia quæpiam à Franciſci Luiſini calumnia vindicata. cap. 2.
Controuerſia quædam inter duos Græcos ſcriptores notata. cap. 3.
Ouidiani cuiuſdam loci vera ſententia demonſtrata. cap. 4.
Duplex Acurſij error patefactus. cap. 5.
Amori dare ludum quid valeat apud Horatium in Odis. cap. 6.
Plinij locus aliter, quam à Mureto caſtigatus. cap. 7.
Auſonij locus aduerſus Ianum Parrhaſium explicatus. cap. 8.
Seruij Grammatici ſententia ab Eraſmi calumnia defenſa. cap. 9.
Ioachimi Perionij, & Gentiani Herueti conuerſio quæpiam notata. cap. 10.
Arnobij vera lectio reſtituta. cap. 11.
Loci cuiuſdam C. Cæſaris verus ſenſus contra Franciſci Hotomani caſtigationem demonſtratus. cap. 12.
Terentij locus Græci ſcriptoris collatione illuſtratus. cap. 13.
Euphorionis ſentẽtia in diſquiſitionẽ vocata ſuper capitis diminutione. c. 14.
Horatij locus obſcurus, ac difficilis explicatus. cap. 15.
Duo Aemilij Probi loci aduerſus Lambinum explicati, & quem annorum numerum ad ſummum deſignet hic ſermo, Admodum adoleſcens. cap. 16.
Aeliani locus, qui alicui vitio affinis videri poterat, emendatus. cap. 17.
Vetus lectio in Moreto Virgiliano, quam Ioſephus Scaliger tentauerat, aſſerta. cap. 18.
Vellei Paterculi contextus aliter, quam fecerit Aldus Manutius, caſtigatus. cap. 19.
Aemilij Probi ratio quæpiam notata. cap. 20.
De auctore necis Adonidis variæ ſententiæ allatæ. cap. 21.
Suetonij locus, quem alicui vitio obnoxium eſſe putauit Achilles Statius, nihil mendi continere demonſtratus. cap. 22.
Deſiderij Eraſmi ſententia quæpiam aduerſus Franciſcum Luiſinum defenſa. cap. 23.
De M. Tullij quodã loco aduerſus Petri Victorij ſententiã diſputatũ. cap. 24.
Puſilla quędam macula ex A. Gellio deleta. cap. 25.

LIBER SEXTVS.

COnatus reſtituendi Plinij locum, qui perperam conceptus videtur in impreſsis codicibus. cap. 1.

Diſpu-

Diſputatur de ſententia quadam Petri Victorij. cap. 2.
Mare magnum non idem eſſe Græcis, quod Latinis. cap. 3.
Franciſci Robortelli emendatio ad Tibulli carmen confirmata, atque ibidem Carolus Sigonius, qui eam damnauit, reprehenſus. cap. 4.
Diſputatio de Aſcanio Aeneæ filio, qui Albæ regnauit. cap. 5.
Quæritur de veritate ſcripturę J. Barbarii in Pandectis titulo De Offic. Prætoris. cap. 6.
An oleum congelaſcat, & ſuper hoc M. Antonii Mureti ſententia exagitata. cap. 7.
Illuſtratus ex epiſtola Horatii locus de teſta imbuta. cap. 8.
Apulei, & Macrobii contextus, qui eodem morbi genere laborabat, perſanatus. cap. 9.
Dantis ſententia vnde ſumi potuerit demonſtratum. cap. 10.
M. Antonii Mureti, & Franciſci Hotomani ſententia ſuper quodam Cęſaris loco falſa eſſe demonſtratur. cap. 11.
Virgilii vetus lectio contra Gulielmum Canterum aſſerta. cap. 12.
Notatur Xenophon, tanquam ſuarum præceptionum immemor in nomine Hippocentauri, quod is ſuo cani impoſuit. cap. 13.
Prouerbii cuiuſdam vera origo, quam Eraſmus ignorauit, patefacta. cap. 14.
Culpa magiſtra potare apud Horatium quid valeat. cap. 15.
Diſputatum de vera ſcriptura carminis Tibulliani aduerſus Ioſephum Scaligerum. cap. 16.
Ciceronis contextus emendatus. cap. 17.
Vetus lectio, quam Petrus Victorius ex M. Tullii codicibus eiecerat, in ſuam ſedem reſtituta. cap. 18.
Quid ſit Animas fouere apud Virgilium, nouo ſenſu explicatur. cap. 19.
Senecæ philoſophi locus reſtitutus. cap. 20.
Nonii Marcelli contextus aduerſus Lodouicum Carrionē examinatus. c. 21.
Verborum quorumdam Liuii verus ſenſus aperitur, qui Beatum Rhenanum latuit. cap. 22.
Martialis epigramma obſcurum declaratur. cap. 23.
Diſputatio ſubtilis de loco, in quo Romulus, & Remus expoſiti fuiſſe dicuntur. cap. 24.
Cur Africa tonſa dicta ſit à Propertio contra Ioſephi Scaligeri ſententiam demonſtratum. cap. 25.

LIBER SEPTIMVS.

Ciceronis quædam ſententia à Iulii Sireni calumnia vindicata. cap. 1.
Obſcurus Iuuenalis ſenſus patefactus. cap. 2.
Q. Catuli epigramma declaratum. cap. 3.
Quo indicio deprehendi poſsit priſcos illos ſapientes viros de religione ſua non omninò rectè ſenſiſſe. cap. 4.
Cur naues à Lycophrone πελαργοχρῶτας vocatę fuerint aduerſus Gulielmū Canterum. cap. 5.
Ariſtotelis locus, qui maculam in ſe continebat, emendatus. cap. 6.
Plauti carmen corrigitur, & declaratur. cap. 7.
Falſum videri quod ſcribit Petrus Victorius, Philippeum potionis genus fuiſſe. cap. 8.
Vellei Paterculi contextus duobus in locis purgatus, inque eorum altero Manutius reprehenſus. cap. 9.
Ciceronis locus, quem Petrus Nannius deprauauerat, priſtinæ lectioni reſtitutus.

tutus. cap. 10.
Martialis carmen emendatum. cap. 11.
Franciſci Luiſini ſententia in Ariſtotelis cuiuſdam loci explicatione reiecta. cap. 12.
Aeliani locus caſtigatus. cap. 13.
Cur ſiniſtro oculo æquè, ac dextro videamus, & ſuper ea re Philippus Beroaldus reprehenſus. cap. 14.
An currum pro naui vſurpauerit Catullus; & de ſententia quadam M. Antonij Mureti ſuper eadem re. cap. 15.
Vetus quædam lectio Tibulli, quæ à Ioſepho Scaligero ſedes mutare coacta fuerat, in priſtinum locum reſtituta. cap. 16.
Gulielmi Xylandri inſignis error patefactus. cap. 17.
Turpis macula ſublata, quæ Lucretij carmen inquinabat. cap. 18.
Petri Victorij ſententia quędam confutata de conſtitutione conſilij Areopagitarum. cap. 19.
Calphurnij verſus, qui parùm emendatè (vt puto) in vulgatis editionibus circumfertur, ex ingenio reſtitutus. cap. 20.
Martialis carmen ſecus, ac fecerit Domitius Calderinus, declaratur. cap. 21.
Pliniana quædã vetus lectio defenſa contra Melchiorem Guilandinũ. cap. 22.
Virgilij carmen declaratum de Turni morientis gemitu. cap. 23.
Prouerbium quoddam, quod ab Eraſmo, & alijs parœmiographis prætermiſſum fuerat, explicatur. cap. 24.
Emendatus, & explicatus locus in Plauti Caſina. cap. 25.

LIBER OCTAVVS.

NOnij Marcelli ſententia in trium vocabulorum expoſitione reiecta. cap. 1.
Conatus emendandi Ciceronis locum ex Oratore, qui maculam continebat. cap. 2.
Pomponij Melę contextus maculoſus, vt videt, de opinione reſtitutus. cap. 3.
Notio quædam huius vocabuli σκάφη aduerſus Petrum Victorium explicata, & quid σκάφιον valeat apud Iuuenalem oſtenſum. cap. 4.
Locus T. Liuij declaratus, in quo Henricum Glareanum vehementer hęſiſſe apparet. Cap. 5.
Calphurnij duo loci cum duobus alterius poetę, vnde illi expreſſi videntur, diligenter collati. cap. 6.
Plautus emendatus, ac declaratus duobus in locis Truculento. cap. 7.
Detegitur non leue peccatũ Roberti Conſtantini ignorantis quid valeat apud Senecam Remittere iniuriam. cap. 8.
Diſputatur de ſententia quadam Gulielmi Canteri ſuper Callymachi verſu in hymno Dianæ. cap. 9.
Carmen Virgilii declaratum de ratione pugnę equeſtris. cap. 10.
Verſus Propertii à menda purgatus, quæ ipſum inquinabat. cap. 11.
Locus Ciceronis paulò obſcurior explicatus ex lib. 2. de Oratore. cap. 12.
Veteris, atque eruditi Grammatici Seruii opinio de Panacea in diſquiſitionem vocata. cap. 13.
Vna pertica tractare quo ſenſu accipiendum ſit apud Plinium Iuniorem, vbi Iacobus Reuardus notatur, qui perperàm locũ interpretatus fuit. cap. 14.
Duæ quædam ſententię, Salluſtii vna, Arriani altera, quas inuicem pugnare exiſtimauit Muretus, nullo negocio conciliatę. cap. 15.
Verè ne dictum ſit à Tibullo Hircum oues augere, vbi Mureti, & Scaligeri iudicium reprehenditur. cap. 16.

Aſſas

Aſſas tibias legi debere apud Solinum, non Vaſtas, aut Vaſcas, quod putarunt Perottus, ac Turnebus, & quęnam illę dicerentur demonſtratū. cap. 17.
Senecæ vetus lectio contra Iuſti Lipſii iudicium defenſa. cap. 18.
Irridendi quandam rationem, qua nunc in ſtupidos, bardoſque vtimur, à veteribus manaſſe. cap. 19.
Oſtenditur, quæ fuerint cænę ex ſymbolis, & ex ſportis, atque inſuper Catulli endecaſyllabum declaratur, in cuius expoſitione peccaſſe videntur Franciſcus Robortellus, & Michael Brutus. cap. 20.
Nullum eſſe diſcrimen inter Inuenire, & Reperire, vbi Ouidii carmen explanatur. cap. 21.
Inſignis Horatii locus declaratus ex epiſtola ad Piſones. cap. 22.
Correctum, & declaratum Martialis carmen, vbi quod in cognomen Romanæ gentis deprauatè legebatur. cap. 23.
Diſcutitur Plinii locus, vbi agitur de Laſerpitio. cap. 24.
T. Liuii contextus de opinione reſtitutus. cap. 25.

LIBER NONVS.

PRopertii carmen obſcurum, ac difficile explicatum. cap. 1.
Emendatus T. Liuii contextus, quem puſilla quędam macula deturpabat, & de M. Tullii quodam loco diſputatum. cap. 2.
Lactantii Firmiani vulgata ſcriptura, quam Gulielmus Canterus tentauerat, germana eſſe oſtenditur. cap. 3.
E Cicerone macula quæpiam ſublata, quam Petrus Victorius eluere non potuit. cap. 4.
Angeli Politiani peccatum detegitur in cuiuſdam problematis Alexandri verſione. cap. 5.
Plinii locus emendatus de roſeis coronis cap. 6.
M. Tullii peruulgata lectio aduerſus Gulielmum Canterum defenſa. cap. 7.
M. Antonius Muretus notat, qui vocem Venuſtate ex M. Tullii codicibus quodam loco expunxit, cùm quid ea illic valeret, non intelligeret. cap. 8.
Explicatur Martialis carmen, quod Calderinus perperam accepit. cap. 9.
Quos vocet ſordidos natos Horatius in Odis. cap. 10.
Vera lectio reſtituta in Plautina Pſeudolo. cap. 11.
Declaratur conſilium Varronis in quodam ſuo epigrammate, vbi de medicina Serapis fit mentio. cap. 12.
Confutatur opinio quorundam, qui legunt apud Catullum Crepidas carbatinas, cùm ſit legendum Trepidas cercolipas. cap. 13.
Plauti carmen, quod corruptè, ac deprauatè legunt Beroaldus, & Lambinus, de opinione reſtituitur. cap. 14.
Obſcurum Martialis carmen aperitur, cuius mentem Domitius Calderinus perperàm nobis explicauit. cap. 15.
Declaratus Virgilii locus aliter, quàm hactenus ipſum expoſuerint interpretes omnes. cap. 16.
Apulei contextus maculoſus aliter, ac fecerit Beroaldus, caſtigatur. cap. 17.
Purgata macula ex Aeliani contextu in libris de Varia hiſtoria. cap. 18.
Mendum, quod in Petronii Arbitri codice ex Ioannis Sambuci editione adhuc reſtabat, de opinione ſublatum. cap. 19.
Perpenditur Iuuenalis locus, vbi de Breuibus, & Gyaris fit mentio. cap. 20.
Quos vocet Semitarios mœchos Catullus in Scazonte, & de ſinceritate illius ſcripturę diſputatum. cap. 21.
Vulgata lectio cuſtoditur apud Plinium, quam Adrianus Turnebus loco mo-

De

uere tentauit. cap. 22.

De duobus Propertij locis, quos Galeotus Martius peſsimè acceperat, diſputum. cap. 23.

Non videri verum, quod ſcribit Petrus Victorius, Romanos quadratis togis vſos fuiſſe. cap. 24.

Oſtenditur verus ſenſus quorumdam Paterculi verborum, in quibus Aldus Manutius mendam reſidere falsò putauit. cap. 25.

LIBER DECIMVS.

VIrgilii carmen obſcurum, ac difficile declaratur puſilla macula, quæ in eo reſidebat, inde amota. cap. 1.

Horatius declaratur in epiſtolis, vbi Sextum, & Abydum turres vocat. cap. 2.

Diſputatum de ſinceritate ſcripturæ Catulliani epigrammatis, quam eruditi quidam viri deprauauerant. cap. 3.

Prouerbium quoddam, quod à Parœmiographo prætermiſſum fuerat, indicatum. cap. 4.

Quæritur de veritate ſcripturæ in Plinii codice. cap. 5.

Declarati Virgilij verſus de prognoſticis tempeſtatum, quos interpretes omnes perperàm acceperunt. cap. 6.

Correctus, atque explicatus Horatii locus ex Satyra. cap. 7.

Purgatus Plinii locus, qui mendoſus eſſe videbatur. cap. 8.

Eluta macula ex codice Appiani in Annibalicis. cap. 9.

Lacus effoſſus in morem cochleæ apud Suetoniũ quomodo intelligi debeat, quid ſit Codeta, & de Equiſeto herba. cap. 10.

Robertus Conſtantinus reprehenditur in explicatione cuiuſdam vocabuli, quo vtitur Lampridius in Alexandro. Cap. 11.

Cuſtoditur vulgata ſcriptura in Plinii codice, quam Hermolaus Barbarus per vim inde eiecerat ignoratione veteris conſuetudinis mittendi epiſtolas laureatas in nuntio adeptæ victoriæ. cap. 12.

Culpa quædam, quam Victorius Maroni obiecit, ab eo poeta depulſa. cap. 13.

Vetus quædam ſcriptura cuſtoditur in Plautina Pſeudolo contra M. Antonii Mureti iudicium. cap. 14.

Varronis locus, qui diuulſus circumfertur, coagmentatus. cap. 15.

De Syrenum cantu M. Tullii ſententia confirmata aduerſus Dionyſium Lambinum. cap. 16.

Virgilii vetus lectio, quã Ioſephus Scaliger immutauerat, cuſtoditur. cap. 17.

Xiphilini locus ex ingenio reſtitutus. cap. 18.

Pulchra quæſtio propoſita de nuptis, atque innuptis militibus, vtri fortius gerant ſe in præliis. cap. 19.

Sancire fœdera fulmine quid valeat apud Virgilium, vbi Adriani Turnebi opinio confutatur. cap. 20.

Auſonii locus declaratus aliter, atque ipſum expoſuerit Cælius Rhodiginus. cap. 21.

Rectum videri; quod legitur apud Lucretium Ningunt roſarum floribus, vbi Giſanij opinio confutatur, qui ſcripturam immutauerat, vt eſſet, Pingunt. cap. 22.

Plautinum adagium nouo ſenſu explicatum. cap. 23.

Corrigitur de opinione Macrobij locus, qui deprauatus eſſe videtur in impreſsis codicibus. cap. 24.

Ciceronis locus diligenter examinatus in Oratione pro C. Rabirio Poſthumo. cap. 25.

FINIS.

ROBERTI TITII

BVRGENSIS.

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER PRIMVS.

Quo ſenſu accipienda ſit vox ἄπορον apud Gellium, & quæſtionis cuiuſdam exitus ex Iuriſconſultorum placitis explicatus.

Caput I.

DE REO ſeptem Iudices cognoſcant; eaq; ſententia ſit rata, quam plures ex eo numero dixerint: Cùm ſeptem Iudices cognouiſſent, duo cenſuerunt reum exilio multandum, duo alij pecunia, tres reliqui capite puniendum. Petitur ad ſupplicium ex ſententia trium Iudicum,& contradicitur. Scribit Gellius hanc quęſtionem tentamenti gratia propoſitam fuiſſe à Iuliano Rhetore cuidam adoleſcenti declamandi ſtudioſo, quiq; in ea facultate iuueniliter nimis ſe efferret, inq; ea re modeſtiæ terminos excederet, appellat autem hanc controuerſiam illic Gellius ex genere ἀπόρων: quod vt intelligamus, ſcire oportet, vocem hanc duobus modis capi ſolere, nam & quod nullo pacto, aut ſaltem ægrè ob ſui perplexitatem ſolui poteſt ἄπορον dicitur, & quod ita expeditum eſt, vt omni prorſus difficultate careat, vel minimam certè dubitandi cauſam præbeat, atque iccirco accuratioris explicationis non indigeat, illo modo τετραγωνισμὸς, aut Vulcani vinculum, ſiue etiam Gordius, aut Caſsioticus nexus inexplicabilis dicetur; hac poſteriore notione ἄπορον appellabitur ἀξίωμα quodlibet, vel κοιναὶ ἔννοιαι, cuiuſmodi aliquot extant apud Euclidem, veluti exempli gratia τὸ ὅλον τοῦ μέρους μεῖζον ἐστί hoc .n. ἄπορον dicitur, quia in diſquiſitionem à nemine vocatur, nec de eo quemquàm dubitare contingit: huius generis fuiſſe quæſtionem ab Antonio Iuliano adoleſcenti illi propoſitam declarat feſtiua ipſius reſponſio ad eos, qui ipſum interrogabant, quidnam exiſtimaret. Nolite quærere, inquit Iulianus, quid ſentiam: adoleſcens hic ſine controuerſia diſertus eſt: quo acuto dicto dum adoleſcentis eloquentiam commendare voluiſſe videtur, ipſum interim inſcitiæ tectè notauit, vtpote qui fraudem ſibi fieri non intellexerit in controuerſiæ genere ſibi proponendo, quod omni prorſus dubi-

dubitatione careret, & quod propterea haud multis verbis opus haberet, vt diſſolueretur, ſi quidem quæ manifeſtò falſa ſunt, confutari non ſolent, neque in eo efficiendo longiorem ſermonem effundere prudentis eſt, cùm de omnibus, aut contra omnes paſsim diſputare non deceat, quare Parmenidis, ac Meliſsi ratiocinationes, quibus rerum naturæ principia tollere conabantur ſophiſtæ illi, haud magnopere curat diluere Ariſtoteles, illud inſuper γενικῶς addẽs ἅμα
„ δὲ οὐδὲ λύειν ἅπαντα προσήκει, ἀλλ᾽ ἢ ὅσα ἐκ τῶν ἀρχῶν τις ἐπιδεικ-
„ νὺς, ψεύδεται, ὅσα δὲ μὴ, οὔ. οἷον, τὸν τετραγωνισμὸν, τὸν μὲν διὰ τῶν
„ τμημάτων, γεωμετρικοῦ διαλῦσαι, τὸν δὲ Ἀντιφῶντος, οὐ γεωμε-
„ τρικοῦ: quæ ſic latinè ſonant, Neque verò omnia diluere conuenit, ſed ea ſolùm, quæ ex principijs demonſtrando falsò concludit, quæ autem non ſunt huiuſmodi, haud conuenit: vt quadraturam, quę per ſegmenta fit, ad geometram pertinet ſoluere, at quam Antiphon excogitauit, haudquaquàm. In quęſtione igitur Iuliani ſtatim exitus apparebit, ac conſtiterit, quæ maior pars dicenda ſit propoſiti iudicum numeri, quæ res quoniam apertiſsima eſt, fit vt controuerſia illa controuerſiæ nomine appellari non mereatur: eſt igitur ex eo genere
„ ἀπόρων, de quo loquitur Quintilianus, cùm ait, Idemque ἄπορον
„ καὶ προληπτικὸν dicunt, quo dubium, & præſumptum ſignificatur,
„ de quo liquet. certum eſt autem in propoſita facti imagine nullam ſententiam valere, ſed omnes in ſuſpenſo eſſe, donec aptus iudicum numerus in vnam aliquam ſententiam conueniat, id eſt ex eis minimũ quatuor conſentiant, veluti ex Celſi, ac Modeſtini reſponſis, quæ titulo De Re Iudicata in Pandectis leguntur, facilè colligitur, ſi quis ea diligenter inſpiciat: nam cum ij de tribus duntaxat iudicibus loquantur, Iuliani quæſtionem non omnino diſſoluunt, itaq; attentione opus eſt, vt eius dirimendę ratio inde colligi poſsit: ſed vt ad Græcæ vocis rationem, de qua initio dicere ceperam, reuertar; ſciendum eſt Plutarchum ipſam priore ſignificatu vſurpaſſe in vita Alexandri, illic.n. quæſtionem, cuius exitus omnino inueniri non poſſet, ex ἀπόρων genere eſſe pronunciauit, etenim cùm Alexander ex Gymnoſophiſtarum vno quæſiuiſſet diem ne, an noctem prius extitiſſe crederet, reſponſum accepit τὴν ἡμέραν ἡμέρᾳ μιᾷ: ſubdit de-
„ inde Plutarchus καὶ προσεῖπεν (οὕτως θαυμάσαντος τοῦ βασιλέως)
„ ὅτι τῶν ἀπόρων ἐρωτήσεων, ἀνάγκη καὶ τὰς ἀποκρίσεις ἀπόρους εἶναι
eandem quoq; rem totidem fermè verbis narrat. Clemens Alexandrinus Στρωματ. ζ. apud hos igitur vox ἄπορον valet id, quod prorſus explicari nequit.

Cur

Cur arcus dictus ſit à Theognide φόρμιγξ ἄχορδος, & de forma lyræ antiquorum. Cap. II.

NISI veterum lyræ forma teneatur, haud commodè ſciri poterit quo conſilio à Theognide arcus lyra abſque neruis dictus fuerit, videri etenim poterit nullā inter duo hæc inſtrumenta ſimilitudinem intercedere, ſi antiquę lyræ formam cum noſtra hac lyra metiamur: & tamen tranſlatum illud rectè vſurpaſſe Theognidem exiſtimat Demetrius Phalereus in commentario περὶ ἑρμηνείας: ſciendum itaque eſt lyram ex bouum cornibus à Mercurio primùm confectam fuiſſe, nam cum is Apollini boues furto abſtuliſſet, eiſdem cornibus detractis ad teſtudinis ſimilitudinem iugo addito ex eis lyram concinnauit, quam deinde Apollini dono dedit, vt ſcribit Germanicus Arati interpres, quamquam Philoſtratus ex caprarū cornibus ipſam confectā fuiſſe tradat, inquit. n. in Amphione πρώτην οὖν διαθεῶ τὴν λύραν, εἰ καθ' αὐτὴν γέγραπται. τὸ μὲν γὰρ κέρας αἰγὸς ἰξάλου ποιηταί φασι, χρῆται δὲ αὐτῷ ὁ μὲν μουσικὸς, εἰς τὴν λύραν. ὁ δὲ τοξότης, ἐς τὰ οἰκεῖα. hoc eſt. Primum igitur lyram inſpice an verè expreſſa ſit. cornu namq; capræ petulcæ eſſe poëtæ dicunt; ipſo autem cornu muſicus quidem ad lyram, ſagittarius verò ad ſua vtitur commoda: cui etiam adſtipulatur vetus prouerbium ἡ αἲξ καθ' ἑαυτῆς τὰ κέρατα natum, vt tradunt parœmiographi, ex voce capræ ſaggitta vulneratæ, quæ cum arcum eſſet contemplata dixerit κατ' ἐμαυτῆς ἔφυσα τὰ κέρατα: arcus. n. forma & ſimilitudine cornua ipſa referre videtur, quæ cùm lyra quoq; imitaretur, de ea etiam cornua non abſurdè dicta ſunt. Manil. lib. I.

Et lyra deductis per cælum cornibus inter
Sydera conſpicitur.

Atq; hac de cauſſa ipſam appellauit curuam Horatius in Odis.

Te canam magni Iouis, & deorum
Nuncium, curuæq; lyræ parentem.

Vnde apparet vehementer decipi illos, qui veterum lyræ formam non abſimilem formæ lyræ, qua nunc ipſi vtimur, fuiſſe putant, namq; hæc quantumuis chordas ei demas, ne minima quidem ex parte arcum referet, nec quicquam ἀνάλογον inter hæc duo inſtrumēta vmquam reperies: verum igitur eſt quod ſtatim diximus, idq; manifeſtius adhuc cognoſcitur ex Antonino Liberali, qui de cerambice auicula loquens ait τοῦτον οἱ παῖδες παίγνιον ἔχουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνοντες, φέρουσιν, ἡ δὲ ἔοικε σὺν τοῖς πτέροισι λύρᾳ τῇ ἐκ τῆς χελώνης.

Plinij vulgata lectio cuſtodita, quam M. Antonius Muretus immutauerat, & de mira quadam natura Bonaſi. Cap. III.

INDIGNVM eſt Plinij grauitate, atq; doctrina ipſum adeò ſupi-
nè res, quas memoriæ conſignauit, pertractaſſe, vt eas legentibus
riſum moueat, mouit autem Mureto, cum in hęc verba is incidiſſet
„ ex libro Natur. hiſtor. VIII. cap. XV. Tradunt in Pœonia feram, quę bo
„ naſus vocetur, equina iuba, cætera tauro ſimilem, cornibus ita in
„ ſe inflexis, vt non ſint vtilia pugnæ, quapropter fuga ſibi auxiliari,
„ reddentem in ea fimum interdum trium iugerum longitudine, cuius
„ contactus ſequentes, vt ignis aliquis, amburat. Hic in arctum co-
gor, aut enim fatendum mihi eſt vehementer Plinium erraſſe, qui
exiſtimauerit fieri poſſe, vt beſtia aliqua ad centum viginti paſſus fi-
mum iaculetur, quò ne minora quidem iſta igniuoma tormenta bel-
lica vehementiore ſuo impetu plumbeas pilulas emittere conſueue-
runt: aut Muretum viciſsim imperitiæ notare cogor, qui mentem Pli
nij adeò non perceperit, vt ridendi materiã ſibi ab ipſo oblatã eſſe cre
diderit: verumenimuerò dicendum eſt liberè, quod ſentio, neq; ic-
circò Muretus iniuriam ſibi à me fieri exiſtimare debebit, veteris .n.
eruditiq; in primis auctoris dignitatis conſeruandæ gratia, non ip-
ſius viri, vt ego quidem ſentio, & docti omnes fatentur, eruditiſsi-
mi carpendi ſtudio, ac deſiderio hunc ſermonem ingredior, nam
quæ mihi inde laus, aut cõmoditas euenire poteſt? Dico igitur, quòd
vtcumq; maior pars rerum, quas illo capite tractat Plinius, ex Ariſto
tele deſumpta fuiſſe videatur, id ſanè, quod de bonaſi fimi eiacula-
tione illic commemoratur, Ariſtotelem auctorem non agnoſcit, ſed
aut ex alio quopiam ſcriptore id Plinius deprompſit, aut Peoniæ re-
gionis venatorum fidem ſequutus fuit, aut etiam ipſe hanc rem ali-
cubi ſpectauit, nam pro comperto habeo illorum verborum hanc eſ-
ſe ſententiam; cùm bonaſus cornibus ad pugnam minime accomoda-
tis præditus ſit, fuga elabi conſueuit, reddens interim fimũ per longi
tudinem trium iugerum, id eſt dum fugit, non ceſſat aſsiduè ſtercus
emittere, quo adeo abundat, vt vel tria iugera curſu emetiens eius
copia nunquam deſtituatur, ſed id aſsidue fundit, atq; in uenatores
toto illo ſpatio iaculatur, donec ſe in tutum conſtituat; valet itaque
„ in Plinij codice; reddentem fimum interdum trium iugerum lon-
gitudine; id eſt per ſpatium trium iugerum aſsiduè egerentem, ſic .n.
Solinus Plinij ſimia à quibusdam nuncupatus cùm de eadem re loqui
tur, hæc verba interpręatatur, atq; hanc fuiſſe Plinij mentem eo in
loco ſciri etiam poteſt ex quibuſdam Solini codicibus, in quibus ita
„ ſcriptum fuiſſe teſtatur Camers. Cum in fugam vertitur (bonaſus)

pro-

„ proluuiè citi ventris fimum egerit per longitudinem trium iugerum,
„ per longas aſpergines, quarum ardor quicquid attigerit, adurit:
„ ita egeric noxia ſummouet inſequentes. Antigonus quoque in ſua illa congerie Mirabilium narrationum de bonaſo, qui tamen *μόνωτος*, neſcio an codicis vitio, illic vocatur, inquit ipſum *διωκόμενον προσαφοδεύειν πόῤῥωθεν* nulla certa ſpatij menſura deſignata, quam quidem ſilentio nullo pacto præterijſſet, ſi apud quemquam ſcriptorem tam inſigne miraculum reperiſſet; ſummo etenim ſtudio, ac diligentia huiuſmodi res ab opinione communi longè diſsitas tunc tēporis conſectabatur ſcriptor ille: doleo autem ridendi materiam hac animaduerſione me ademiſſe Mureto, quem omnibus lætitijs nunquam non exultare peruelim.

Caroli Sigonij peccatum in Plutarchi, & Quintiliani codice emendando patefactum, & vnde Syllæ nomen. Cap. IIII.

FALSO putauit Carolus Sigonius Plutarchi locum in Coriolano mendoſum eſſe, ac deprauatum, cùm omni vitio prorſus careat, atque ita ſe habeat, vt Sigonius ipſe, ſi velit illum ſuo arbitratu additis, detractis, immutatiſq; ſurſum ve rſum omnibus verbis in meliorem ſtatum redigere, ac denuo etiam totum conformare, & ſub ſuã incudem reuocare, non modo boni quicquam non ſit effecturus, ſed etiam vehementer læſurus Plutarchi ſententiam: locus autem, quem intelligo, ſitus eſt in Coriolano, vbi de cognominum impoſitione
„ diſputans Plutarchus præter cętera inquit *τῶν δὲ σωματικῶν, οὐ*
„ *μόνον Σύλλας, οὐδὲ Νίγρους, οὐδὲ Ῥούφους, ἀλλὰ καὶ Καίκους, καὶ Κλωδίους ἐπωνυμίας τίθενται καλῶς ἐθίζοντες*. Hic Sigonius in commentario de Nominibus Romanorum, qua parte vnde cognomina ducta ſint, explicat, legi oportere ſuſpicatur *Σίλους ἀντὶ τοῦ Σύλλας*, cauſſamque inſuper addit, nimirum quia alia longè ſit eius nominis origo, vt tradit Macrobius: rectè quidem ille, ſi Plutarchũ cum Macrobio conſentire oporteat: atqui oſtendam ego id minime neceſſe eſſe, atque aliam quandam coniecturam de Syllæ appellatione Plutarchum ſequutum fuiſſe, cui deinde mirificè concinit, quod ſcriptum reliquit in Coriolano. Plutarchus igitur Syllæ oris ſpeciem penicillo ferè exprimens, lectorique ſpectandam proponens in eiuſdem ſummi viri vita, ſic inquit. *τοῦ δὲ σώματος αὐτοῦ τὸ μὲν ἄλλο*
„ *εἶδος ἐπὶ τῶν ἀνδριάντων φαίνεται, τὴν δὲ τῶν ὀμμάτων γλαυκότητα,*
„ *δεινῶς καὶ πικρὰν καὶ ἄκρατον οὖσαν, ἡ χρόα τοῦ προσώπου φοβερωτέραν ἐποίει προσιδεῖν. ἐξήνθει γὰρ τὸ ἐρύθημα τραχὺ, καὶ σποράδην*
„ *καταμεμιγμένον τῇ λευκότητι. πρὸς ὃ καὶ τοὔνομα λέγουσι γενέσθαι τῆς*

χρόας

» χρόας ἐπίθετον. καὶ τῶν Ἀθήνησι γεφυριστῶν ἐπέσκωψέ τις εἰς τοῦ πεποιήσας. συκάμινον ἔσθ᾽ ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον. Quorum verborum hæc eſt latina Guarini interpretatio. Eius autem corporis ſpeciem aliam ſtatuæ ipſæ declarant: glaucos oculos cùm vehementer acerbi, ac ſæui eſſent, color in facie terribiliores reddebat aſpectu, rubor.n.ſparſim immiſtus albedini efflorebat, quam quidem ad rem & coloris nomen inditum fuiſſe dicunt. quidam etiã ex dicacibus Syllam Athenis mordens. Sylla, inquit, morum eſt farina inſperſum: Atque ex his quidem verbis manifeſtò apparet Syllæ nomenclaturam ex corporis colore deſumptam fuiſſe nonnullos exiſtimaſſe, quorum ſententiam tanquã probabiliorem ſequutus eſt, ac retulit Plutarchus; itaq; rectè illam deinde inter eorum cognominum exempla, quę à colore, quo quis præditus eſſet, imponi conſueuerunt, retulit Gręcus auctor, eſt.n. eiuſdem prorſus generis cum Nigri, & Rufi cognominibus, quę & ipſa quoq; ab oris colore deriuantur, quod ſi vera eius loci ſcriptura eſſet, quam Sigonius arbitratur, rectius feciſſet Plutarchus, ſi cognomen Sylorũ cum Cæcis, & Claudis coniunxiſſet hoc modo, *οὐ μόνον* Νίγρου, *οὐδὲ* Ρύφου, *ἀλλὰ καὶ* Σύλλους, καὶ Καίκους, καὶ Κλωδίους: vt quæ eiuſdem generis eſſent, in propinquo poſita conſpicerentur, id quod ſatis admonere poterat Sigonium de ſinceritate ſcripturæ: quare tum hic, tùm in Quintiliani contextu (nam & hunc quoque auctorem pari ratione tentauit Sigonius) veterem, peruulgatamque omnium impreſſorum, & calamo deſcriptorum codicum lectionem ſedulo retinendam eſſe contendo Feſto præſertim pro ea fideiubente his verbis. Rauiliæ à rauis » oculis, quemadmodum à colore fuſco Sullæ. Scire autem operęprecium eſt (vt de hoc etiam obiter lectorem admoneam) hominis illius ſcomma, qui Syllam Athenis pupugit appellans ipſum *συκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον*: referri debere ad Syllæ oris colorem, vt dictum eſt, non ad ſaporem ſicomori, & placentæ, qui ſimul confuſi, ac permiſti ignauiſsimi ſint, vt hoc pacto Syllæ itidem ignauia argueretur, quæ fuit Marcelli Vergilij *φαντασία*, nam hoc falſum omnino eſſe ipſiuſmet Plutarchi verba ſuperius memorata, ſi quis ea diligenter, atque accuratè perpendat, apertiſsimè oſtendunt.

Non videri peccaſſe M. Tulliũ in hiſtoria quadam referenda, & de ſententia Petri Victorij, qui Ciceronis lapſionem (vt ipſe putauit) notauerat, diſputatum. Cap. V.

ADEÒ illuſtri, excelſoque loco poſita eſt Petri Victorij laus, vt nemo ſuſpicari debeat, eius deterendæ conſilio, ac voluntate

tate me nonnulla interdum adnotaſſe, atque his libris inſeruiſſe, quæ cum illius doctiſsimi viri ſententia non modo non conueniant, ſed aduerſis etiam, vt dici ſolet, frontibus quandoq; pugnent, neq; .n. vſque eò deſipio, vt cùm probo, atque erudito ſene illo priuatas inimicitias exercere velim, aut meam inopiam cum affluentibus ipſius diuitijs conferre audeam: ſed quoniam ſemper exiſtimaui licere bonarum literarum ſtudioſis liberè, quod ſentiunt, eloqui, vt ſi poſſint, aliorum ſtudia non nihil, atq; adeo multum iuuent, quam legem cùm Victorius ipſe ſibi dixerit, alijs etiam dixiſſe cenſeri debet, mihi quoq; tentare libuit, ecquid hoc ſcriptionis genere efficere poſſem, atque hinc vires meas explorare, vt quid de me poſthac ſperare poſſem, non leui mehercule indicio cognoſcerem, neq; enim leue, aut contemnendum ſcribendi genus hoc eſſe arbitror, quo ſelectiores aliorum opiniones explorantur, & quaſi ad lapidem lydium reuocantur: ſed hæc fortaſſe longius, quàm oportuit, itaque ad id, quod initio mecum decreueram, accedo. Non puto Ciceronem alicui cul-
,, pæ affinem eſſe in his verbis ex libro de Diuinat. II. Hoc ſentit Ho-
,, merus, quùm querentem Iouem inducit, quòd Sarpedonem filium
,, à morte, contra fatum, eripere non poſſet. nam quod ait Victorius Homerum non inducere Iouem cum dolore dicentē, ſe non poſſe interitu liberare filium, cùm cuperet: verum id quidem eſt, ſi Homeri verſus à Victorio prolatos reſpexerit Cicero, quos tamen arbitror nullo modo ipſum innuere voluiſſe, ſed illos potius indicare in animo habuiſſe crediderim, qui poſt Iunonis orationem Iouis conſilium improbantis leguntur.

Ὣς ἔφατ᾽. οὐδ᾽ ἀπίθησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
Αἱματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε
Παῖδα φίλον τιμῶν, τὸν οἱ Πάτροκλος ἔμελλε
Φθίσειν ἐν Τροίῃ ἐριβώλακι τηλόθι, πάτρης.

Quoniam verò hæc non Victorio modò, ſed vniuerſæ ſtudioſæ iuuentuti communia eſſe volumus, viſum eſt Latinam interpretationem attexere, vt qui Græcè ignorant, fructum etiam aliquem hinc
,, percipere poſsint. perinde igitur eſt, ac ſi latinè dicamus. Sic ait.
,, neque abnuit pater hominumq; deorumq; ; cruentas autem guttas
,, fudit humi carum filium honorans, quem ei Patroclus erat perditu-
,, rus in Troia longe à fertili patria: nam quòd conſilium mutauerit Iuppiter, & Iunonis oratione permotus filiū occidi permiſerit, nunc perinde à M. Tullio accipitur, ac ſi omninò morti ipſum eripere nō potuiſſet, neque enim ea fieri poſſe dicuntur, quæ fieri minimè decet: huc illud etiam accedit, quòd Iuppiter à Iunone admonitus de fati neceſsitate, diligentius ſecum cogitaſſe videtur, ne, ſi quidem

maximè

maximè vellet, id, quod ſummopere cupiebat, ſe preſtare poſſe; nam cùm mortem à Sarpedone ſemel auertiſſet, fatique neceſsitatem retardaſſet, quod vnum in rebus triſtibus perfugium aduerſus fati vim inexpugnabilem Dij habere putantur, vnde eſt

At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus

Ac rurſus *Troiam nec fata vetabant*

Stare, decemq; alios Priamum ſupereſſe per annos.

Item illud Horatij *Te Iouis impio*

Tutela Saturno refulgens

Eripuit, volucrisque fati

Tardauit alas.

Id amplius præſtare fatorum lege prohibebatur Iuppiter, qui tamen amoris erga filium abundátia quaſi obcæcatus, & extra ſe poſitus (neque.n. patrius conſiſtere mentem Paſſus amor, vt inquit ille) ea non videbat, quæ deinde ad ſe reuerſus Iunonis admonitione perſpexit, verè igitur dictum eſt à M. Tullio Iouem ab Homero querentem induci; quòd mortem à Sarpedone filio arcere non poſſet.

Horatii locus, qui alicui culpæ affinis videri poterat, explicatus. Cap. VI.

VELIM diligenter conſiderent ſtudioſi, & rationem, ſi quam probabilem inire poterint, in commune conferant, cur dictú ſit ab Horatio. *ara caſtis*

Vincta verbenis auet immolato

Spargier agno.

nam ſi quis id ad veterum ſacrificiorum normam, & conſuetudinem reuocet, ſtatim intelliget non leui culpę Horatium affinem eſſe, quippe qui Genio ſacrificandi ritum parùm diligenter cuſtodierit, conſtat enim huic Deo nullum animal immolari conſueuiſſe, propterea quod minimè conſentaneum exiſtimarent ſacrorum Pręſides die, qua ipſi lucem accipimus, alijs adimere: Genius autem eſt Deus cuius in tutela, vt quiſque natus eſt viuit; eo itaque die manus à cæde, ac ſanguine abſtinebantur, ſicut à Varrone libro de Muneribus, qui Atticus inſcribitur, & à Cenſorino De die Natali diſertè proditum eſt; quod nec Horatium ipſum latuit, namq; ad Auguſtum ſcribens rectè inquit

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,

Floribus, & vino Genium memorem breuis æui.

Ritus.n.erat notior; quam vt à quoq; poſſet ignorari. Tibul.

Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis

Conce-

Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius è nitido ſtillent vnguenta capillo,
Et capite, & collo mollia ſerta gerat.
Sic venias hodierne; tibi dum thuris honores,
Liba, & Mopſopio dulcia mella feram.

Ac rurſus alibi de eadem re loquens

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.
Illius è puro diſtillent tempora nardo,
Atq; ſatur libo ſit, madeatq; mero. Ouidius.
Quid, quaſi natali, cùm poſcit munera, libo. Perſius.
Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos,
Funde merum Genio.

Eadem quoque de cauſa Palilibus nihil animatum ſacrificare moris erat, propterea quod eo die Roma condita eſſet, auctore Plutarcho in Romulo, id quod & in Terminalibus, quamquam alia de cauſſa, cuſtoditum fuiſſe apud eundem ſcriptorem legimus ἐν Ῥωμαϊκοῖς: neque non item apud Dionyſium Halicarnaſeum Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. lib. 2. vbi de Numa fit mentio: ac, vt manifeſtius intelligatur, Horatius illic Phyllidem inuitare ad Męcenatis natalem diem celebrandum, ipſius poëtæ verba, quæ ſtatim conſequuntur audiamus.

Vt tamen noris quibus aduoceris
Gaudiis, Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.
Iure ſolemnis mihi, ſanctiorque
Penè natali proprio, quòd ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

Verùm, vt culpa hæc ab eruditiſsimo poëta vtcunque interim depellatur, fortaſſe dicendum erit, non ſentire ipſum, neque hoc ſibi velle, vt agnus, cuius illic meminerat, Genio mactetur, ſed in honorem Veris alicui Deo, puta Fauno, aut Zephyro ſacrificetur, ſicut Od. IIII. lib. I.

Nunc & in vmbroſis Fauno decet immolare lucis
Seu poſcat agna, ſiue malit hœdo.

Atq; hunc quidem nodum, donec melior aliqua mihi ratio ſuccurrat, ita diſſoluo, nam ille alter

Cras Genium mero
Curabis, & porco bimeſtri

Cum famulis operum ſolutis,

Nullam prorſus difficultatem habet, cùm non de ſacrificio, ſed de epulo, & conuiuio loquatur Horatius, aliud enim omninò eſt Genium curare, aliud Genium piare, quod qui non intellexerunt, turpiter in eo exponendo lapſi ſunt. verùm hac tota de re fuſius à nobis, atque exactius perſcriptum eſt in ijs libris, quos De ritibus ſacrorum Ethnicorum confecimus.

Aemilii Probi locus aliter, quàm à Dionyſio Lambino caſtigatus. Cap. VII.

NVLLI dubium eſſe poteſt, quin locus hic apud Æmilium Probum in Datame corruptè, ac mendoſè circumferatur. Arta-
„ xerxes reminiſcens à quanto bello ad quàm paruam rem principem
„ ducum miſiſſet, ſe ipſe reprehendit, & nuncium ad exercitum acrem
„ miſit, quòd nondum Datamen profectum putabat. nam (vt nihil aliud de mendo nos admoneat) varietas certè ſcripturæ id manifeſtò clamat, neq; enim in omnibus codicibus eodem pacto legitur; quod vitiati contextus non leue eſt indicium: in Baſilienſibus quidē ita, vt propoſui, impreſſū eſt. manuſcriptus Burgēſis habebat atrē, Venetus Ageen. Hieronymus Magius, qui primus politiſsimo huic auctori manum admouit, ingenuè fatetur, nihil ſe longa diſquiſitione, quod ad loci emendationem faceret, inuenire potuiſſe. Dionyſius Lambinus, qui omnia propemodum à Magio prius adnotata, eius nomine ſuppreſſo in ſuos Commentarios parùm immutata retulit, primò legendum putauit Carem, deinde Aceum vel Acenſem, poſtremò ad primam illam coniecturam redijt, poſtquam Henrico Memmio ſatis eam probaſſe viſus eſt. mihi tamen adhuc neutram perſuadere potuit, nec docto cuiquā perſuaſurum ſat ſcio, cauſſam adderem, niſi coniectura mea prolata, ſatis ſuperq; ipſa ſeſe proderet. exiſtimo igitur minimo prorſus vulgatę ſcripturæ detrimento Acem legi oportere, ita ſuadente, ac tantùm non cogente Strabone, cuius verba adſcripſi, vt res melius innoteſceret, ſunt autem hæc γεωγρα-
„ φουμένων. 16. Μετὰ τὴν Τύρον ἡ παλαίτυρος ἐν τριάκοντα ςαδίοις. εἶθ'
„ ἡ Πτολεμαΐς ἐςὶ μεγάλη πόλις. ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον, ᾗ ἐχρῶντο
„ ὁρμητηρίῳ πρὸς τὴν Αἴγυπτον οἱ Πέρσαι. quę ſic vertit interpres. Poſt Tyrū eſt antiqua Tyrus xxx. ſtadijs diſtans. poſtea Ptolemais magna ciuitas, quam prius Acem nominabant. ea Perſæ receptaculo contra Ægyptios vtebantur. eiuſdem vrbis meminit etiam Suidas: fuerunt autem quædam ciuitates, quibus ob loci, in quo ſitæ eſſent, opportunitatem pro munimentis, ac propugnaculis aduerſus vicinos

hoſtes, ſubitasq; incurſiones vterentur veteres, & in quibus, cùm expeditionem aliquam contra ipſos ſuſcepturi eſſent, exercitum cogerent, bellique vniuerſum apparatum illùc comportarent, atque diſponerent, cuiuſmodi Oenonem fuiſſe tradit Thucydides: in hûc eundem vſum Philippus Demetrij filius tres vrbes aduerſus Greciam muniuiſſe traditur, quas Græciæ claues nuncupare conſueuerit, Corinthum videlicet in Peloponneſo, Chalcidem ad Euripum contra Euboëam, Beotos, & Phocenſes; tertiam Magneſiam ſub Pelio monte, quæ aduerſus Theſſalos, & Ætholos propugnaculum eſſet, de quibus mentio extat apud Pauſaniam in Achaicis.

Plinii, ac Varronis quædam ſententia aduerſus Melchiorem Guilandinum aſſerta. Cap. VIII.

ETSI æquo lectori, nec, plusquàm oporteat, diligenti, ſatis ſuperque eſſe debuerat Plinij, Varronis, ac Seruij Grammatici eruditiſsimi auctoritas ad oſtendendum veteres ante chartarum inuentionem in palmarum folijs ſcribere conſueuiſſe, attamen, vt ſuperſtitioſis quibuſdam magis adhuc ſatisfiat, cuiuſmodi Melchiorem Guilandinum eſſe deprehendi, cùm eius commentarios in Plinij cap. 11. lib. 13. vbi de papyro, chartarumque confectione loquitur, perlegerem, libet argumentum ad eam ipſam opinionem conſtituendam proferre, quod nullo artificio conuelli poſsit, namque adeò inualuit interpolandorum codicum licentia, vt imbecille, ac parùm omninò tutum præſidium eſſe ceperit veterum librorum auctoritas, itaque aliunde veritati robur eſt conciliandum. Tradit Plinius, quod & Varro multò ante ſcriptum reliquerat, palmarum folia chartæ vicem præſtitiſſe, antequam charta ipſa in vſu eſſe ceperit, quod tamen Guilandino veriſimile non videtur ijs de cauſis, quas in illo ſuo commentario ipſe exponit, itaq; Plinij contextū emendandum cenſet, vt ἀντὶ τοῦ palmarum, legatur maluarum. Sed (quod eruditiſsimi viri pace dixerim) valdè infirmę, atque imbecillæ eius rationes mihi videntur, nec ſatis dignæ ſuo auctore; de quibus tamen non libet in præſentia pluribus diſputare, cùm Suidæ teſtimonio, immò potius vna omnium Cretenſium voce facillimè ſim, quod volo, euicturus, & veritatis lumine oblato tenebras omnes confeſtim diſcuſſurus. Græ-
„ ci ſcriptoris verba ſunt hæc. Λυδοὶ καὶ Ἴωνες τὰ γράμματα ἀπὸ Φοί-
„ νικος τοῦ Ἀγήνορος εὑρόντος ἔλαβον. τούτοις δὲ ἀντιλέγουσι Κρῆτες,
„ ὡς εὑρέθησαν ἀπὸ τοῦ γράφειν ἐν φοινίκων πετάλοις. Quibus accedat auctarij loco Iſidori calculus, qui Originum lib. VI. qua parte
„ de libris conficiendis loquitur, ſic inquit. At verò hiſtoriæ maiore

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

„ modulo ſcribebantur, & non ſolùm in charta, vel membranis, ſed
„ etiam & in dentibus (ſic.n. legere malo, non omētis, vt inualuit in
„ vulgatis libris) elephantinis, textilibusq; maluarum folijs, atq; pal-
„ marum: vide nunc Guilandine quàm timidè, atq; cunctanter aggrediendæ ſint vulgatæ editiones.

Diſputatio de ſententia quadam Petri Victorii. Cap. VIIII.

LIBET in preſentia indicare Petro Victorio homini alioquin eruditiſsimo, & in bonorum auctorum lectione diligenter verſato, Grecum ſcriptorem, qui Herculi haſtam tributam fuiſſe refert, quod apud Sophoclem ſemel à ſe obſeruatum adeò nouum, inauditumque exiſtimauit, vt ſuſpicatus fuerit Tragicum illum λόγχας pro ſagittis vſurpaſſe, quod tamen verum non eſt, aut ſaltem nihil neceſſe eſt, cur vocem illam circunducamus, & à propria ſignificatione longius trahamus: ſiquidem Ioannes Zetzes auctor hac in re minimè malus, & aliorum grauiſsimorum ſcriptorum ſententiarum fideliſsimus relator, hiſtoriam quandam narrat de Hercule, qui Periclymenum Nelei filiū haſta interfecerit, inquit.n. quòd Periclymenus ὑφ' Ἡρακλέους

Δορὶ βληθεὶς ἀνῄρητο, μεταπραπεὶς εἰς μῦαν.

Sed & Heſiodus quoq; Herculem haſta armatum ad pugnam prodijſſe narrat in ipſius Herois clypeo (eſt autem hoc poëmatis nomen) cum Herculem ipſum ita loquentem facit

Τρίς μὲν ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς, ἠρείσατο γαίῃ
Οὐταμένου σάκεος. loquitur

Autem de Ceyce Trachiniorum Rege, quem Hercu'es in conflictu ſuperauit, de quo etiam addit, quòd pronus in pulueribus humi cecide rit lanceę impetu

Πρηνὴς δὲ (inquit) ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν, ἔγχεος ὁρμῇ.

Sed & ipſam haſtam haud longè illinc longam appellat, quod ſagittis conuenire non poteſt: ac rurſus eandem homicidam fraxinum vocat, propterea quod ex ea arbore materia cæditur haſtis conficiendis accommodatiſsima: quamquam non licet ignorare priſcos λόγχην tùm manibus retentam agitare, tùm pili, telique ritu eiaculari conſueuiſſe, quo modo ſi quis ea vtatur, ſagittas inijcere haud abſurdè dicetur, non quòd λόγχη telum illud propriè ſignificet, ſed quòd eius nonnullam ſpeciem præſeferat, dùm illo pacto vibratur, atque emittitur: ac nos quidem in Hetruria telorum genus quoddam habemus, quod vtriusque (haſtæ inquam, & ſagittæ) vicem præſtat; id vulgò zagaglia, & à populis, quibus frequentiore in vſu eſt, corſeſca nuncupatur. Haſta manibus inter pugnandum retineri conſueuiſſe notum

[library stamp]

,, tum eſt, eandem procul emitti ſolere docet Chrion his verbis. προ-
,, σελάσαντες δὲ οἱ Θρᾶκες πρὶν εἰς ἐφικτὸν ἐλθεῖν, ἠκόντισαν τρεῖς λόγ-
,, χας ἕκαστος. Et ex noſtris Lucanus, quùm ait

nec enim ſolis excuſſa lacertis
Lancea, ſed denſo balliſtæ turbine rapta

,, Necnon. Q. Curtius dicens, Igitur Macedo haud dubius eminus
,, interfici poſſe, lanceam emiſit.

Locus quidam Ciceronis aduerſus Franciſci Luiſini ſententiam defenſus. *Cap. X.*

XENOPHONTIS locum quendam perperam à Cicerone conuerſum fuiſſe adnotauit Franciſcus Luiſinus in ſuis παρέργων
,, libris: Græci ſcriptoris verba ſunt hęc Κύρου παιδείας .8. εἰ μὲν οὖν
,, οὕτως ἔχει ταῦτα, ὥσπερ ἐγὼ οἴομαι, καὶ ἡ ψυχὴ καταλείπει τὸ σῶμα,
,, καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι ποιεῖτε, ἃ ἐγὼ δέομαι. quorum po-
,, ſtremis hæc M. Tullij reſpondent ex libro de Senectute: quare, ſi hæc
,, ita ſunt, ſic me colite (inquit) vt Deum. à quo quidem Luiſino ipſe non diſſentio ſi verbum verbo reddendum fuit, at ſi ſententiam tantùm reſpiciamus, quam nobis repreſentare voluit M. Tullius, non video, cur τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι non potuerit latinè exprimi ſic me colite, nam Græca verba præcisè hoc ſonant; animum meum venerantes; quid autem prohibet ſententia manente nos dicere, & me colite? ſiquidem cùm animos immortales eſſe docuerit Cyrus, ſeque beatitatem conſequutum credi vellet, dixerat.n. initio illius orationis, ὑμᾶς χρὴ, ὅταν τελευτήσω, ὥσπερ εὐδαίμονος ἐμοῦ καὶ λέγειν, καὶ ποιεῖν πάντα. rectè infert, & me .i. τὴν ἐμὴν ψυχὴν animum meum, qui maior, meliorq; mei pars eſt, vnde pro toto homine quandoque ponitur, vt docet Epiphanius in libro, cui titulus ἀγκυρωτός, colite.i. mutato verbi tempore καταιδούμενοι; omiſit autem Cicero particulam ποιεῖτε ἃ ἐγὼ δέομαι, quoniam cùm ſimile addidiſſet, ſic me colite, vt Deum, non videbatur ea admodum neceſſaria, id.n. conſequens, conſectariumq; erat, nam, ſi ipſum tanquam Deum coluiſſent, profectò dicta eius perfeciſſent: Neque verò barbarum iudicari debet Cyri poſtulatum, ſiquidem non affirmat ipſe Deum ſe eſſe, neque diuinos honores ſibi vendicat, ſed vult de ſe eam opinionem haberi, quæ de Deo habetur, nimirum quòd humanam beatitudinem adeptus eſſet, vt initio dixerat; porrò Dij beati ſunt, '&] nuncupantur, vt in prouerbio σοὶ δὲ θεοὶ μάκαρες humanum autem animum eſſe ἀπόσπασμα θεοῦ .i. quiddam è Deo tractum, & ſumptum perſuaſum omnibus rectè ſentientibus iam-

diù

diù eſt; & copioſè diſputat, præter cæteros, M. Tullius in fragmento lib. 6. de Rep. hunc aũt Cyri ſermonem perperàm à nonnullis exceptum fuiſſe, docet Calliſthenis reprehenſio apud Arrianum ἀναβάσ. Ἀλεξάνδρου lib. 4. nam cùm Alexander proſperis belli ſucceſsibus elatus, atque illa ſua fortuna ebrius diuinos honores appeteret, ſeque iam hominem eſſe dedignaretur, Anaxarchusq; vnus ex regijs adulatoribus multa in eam ſententiam dixiſſet, vt Alexandrum maiore iure pro Deo habendum eſſe oſtenderet, quàm Liberum, & Herculẽ; hominis inſolentiam compeſcere ſtudens Calliſthenes diſertam orationem contra Anaxarchum habuit, in qua exemplo, quod aduerſarius de Cyro afferebat, occurrens, ita inquit.
" εἰ δ' ὑπὲρ Κύρου τοῦ Καμ-
" βύσου λέγεται, τὸ πρῶτον προσκυνηθῆναι ἀνθρώπων Κῦρον, καὶ ἐπὶ-
" τῷδε ἐμμεῖναι Πέρσαις τε καὶ Μήδοις τήνδε τὴν ταπεινότητα, χρὴ ἐν-
" θυμεῖσθαι ὅτι τὸν Κῦρον ἐκεῖνον Σκύθαι ἐσωφρόνισαν, πένητες ἄν-
" δρες, καὶ αὐτόνομοι.

hoc eſt. Si verò de Cyro Cambyſæ filio dicitur, primũ omnium mortalium Cyrum ab hominibus adoratione cultum fuiſſe, atq; ab hoc ſummiſsionem hanc Perſis, & Medis permanſiſſe, cogitare te oportet Scythas populum inopem, liberum tamen, Cyri inſolentiam compeſcuiſſe; verùm (vt dixi) Cyri ſermo dextra manu porrectus, ſiniſtra exceptus fuit; aut etiam Arrianus ex hiſtoriæ fide loquitur, Xenophon optimi principis ideam nobis ſpectandam proponit. non rectè igitur fecit Luiſinus, qui falſam inſcitiæ notam Ciceroni aſperſit.

Virgilii carmen ſecus, quàm ab aliis declaratur. Cap. XI.

SEDIT, *æternùmque ſedebit* *Infœlix Theſeus.* quod eſt apud Maron. tanq̃ contra fidẽ hiſtoriæ, vel potius contra opinionẽ fabulæ pronunciatum notauit olim Iulius Hyginus, Grãmaticorũ præſtantiſsimus, & in Vergiliana lectione mirificè exercitatus, putauitque ipſum correcturum, niſi mors occupaſſet. Ioannesbaptiſta Pius vir patrum noſtrorum memoria inſigniter eruditus, Petrus Moſellanus, Naſcimbenus Naſcimbenius, & alij complures docuerunt ex ſuo ſenſu quomodo locus ille eſſet accipiendus, quorum tamen commentum vſq; adeò frigidum mihi videri ſolet, vt ipſas Neronis thermas refrigerare poſſit: intelliget me vera loqui quicunque noſtram cùm Pij, Moſellani, & Naſcimbenij ſententia ſuper eadem rẽ cõferre voluerit, nam, quòd Ioannes Brodeus pro Theſeo Thereum ſupponit, ridiculum eſt, nec tanti faciendum, vt velim confutare. ſed iam tempus eſt, quid ego ſentiam, planum faciam. Narrat Suida Athenienſes Νέπας ideò eſſe dictos, quòd naui-

gatio-

gationibus dediti, ob aſsiduam remigationis ſeſsionem attenuatis eſſent natibus, vel etiam ita nuncupatos in Theſei honorem, qui cùm ad inferos cum Perithoo deſcendiſſet, atque in rupe quadam à Proſerpina collocatus eſſet, poſtquam ab Hercule Cerberum educturo conceſſu Deæ liberatus ſurgeret, affixam rupi natium partem reliquerit: ad hanc igitur fabulam reſpiciens Maro non abſurdè dixit forè, vt Theſeus æternùm ſedeat in petra illa, nam cùm eam corporis partem, quæ ſedendi munere fungitur, illic reliquerit, rectè dicitur adhuc ſedere, perpetuòque in eo ſtatu permanſurus: quòd ſi hoc pacto locus ille Maronis accipiatur, non modò non videbitur contra fabulæ opinionem pronunciatus, ſed ex puriſsimis, atque reconditiſsimis Græcorum fontibus depromptus, quod veluti per nebulam vidit Seruius illius poëtæ eruditus, ac diligens interpres: eius enim verba ad illum locum indicium quoddam præbent huius rei, quam deinde Suida expreſsius narrat hoc quidem modo. λέγονται
„ οἱ Ἀθηναῖοι ἐπιθετικῶς λίσπαι, διά τὸ ναυτικὺς ὄντας ἕνεκα τῆς
„ ἐπὶ τῷ κωπηλατεῖναι συνεχῦς ἐφέδρας, ἀπογλούτος εἶναι. ἐν ᾧ
„ διὰ τὸ, Θησέα μετὰ Πειρίθυ καταβάντα εἰς ᾅδου, καὶ πρὸς τινα πέτραν
„ ὑπὸ Περσεφόνης ἐπικαθυς θέντα σὺν τῷ Πειρίθῳ, Ἡρακλέυς ἤδη τὸν
„ κέρβερον κατελθόντος, παρὰ τῆς θεῦ τε αὐτὸν ἐξαιτησαμένου, καὶ
„ τῆς πέτρας ἀποσπῶντος, ἐγκαταλειφθῆναι τὸ προσηλωμένον αὐτῇ
„ τῶν γλουτῶν μέρος. vidit idē, quod nos, Cælius Rhodiginus, ſed obſcurè adeò, atq; conciſè in illud ſuum volumen id ab ipſo coniectum eſt, vt nullo modo prætermittendum eſſe iudicauerimus veteris Grãmatici teſtimonium, Cælius .n. dùm myſteria prodere videri vult, ſuarum rerum auctorem Harpocratem ſæpe agnoſcere conſueuit. Nos ijs, per quos profecimus, gratiam hoc pacto ingenuè referre volumus, eademque opera ſententiam noſtram haud inani teſte confirmare.

Horatii locus, de exili Plutonis domo, præter aliorum ſententiam explicatus. Cap. XII.

CVR Plutonis domum exilem appellauerit Horatius, ſatis probabilem cauſſam hactenus viſi ſunt attuliſſe interpretes, quicunque in hoc poëta explicando incubuerunt, epithetum enim illud ad vmbrarum tenuitatem, inferneque illius aulæ exiguitatem referendum eſſe cenſuerunt, quod vt ſimpliciter, atque abſolutè verum eſt, & Maronis, aliorumque veterum poëtarum teſtimonijs ſatis ſuperque confirmatur, ita illi Horatij loco minimè poſſe conuenire puto: neque .n. quicquam attinuit mentionem illic facere de tenuitate, atque exi-

exiguitate manium, cùm res illa nullam vim, nullumq; robur ad perſuaſionem, quam illic poëta inſtituit ad L. Sextium, addere poſſet, neque is eſt Horatius, qui vana, ocioſaque epitheta ſuis poëmatijs temerè aſpergat: multò autem minus recipienda eſt Gulielmi Xilandri interpratatio, qui iccircò adiuncto illo vſum eſſe Horatium exiſtimauit, quoniam vmbræ ſine viribus degunt. quid igitur fiet huic dictioni? Arbitror ego voluiſſe Horatium amico ſuo Sextio opinionem illam eximere, quæ apud multos inualuerat de animabus, & vmbris mortuorum, eæ ſiquidem creditæ ſunt magna earum rerum copia apud Inferos abundare, quarum amore, ac ſtudio, dum in ſuis corporibus adhuc degerent, tenerentur, ſeque eis exercitijs oblectare, quæ ſibi olim grata præ cæteris fuerint. ita autem exiſtimaſſe veteres docet Virgilius Æneid. 6. ab eo verſu

Pars in gramnineis exercent membra palæſtris,

Et quod Horatij locum propius attingit, inquit ibidem Maro

Conſpicit ecce alios dextra, læuaque per herbam,
Inter odoratum lauri nemus, vnde ſupernè
Plurimus Eridani per ſyluam voluitur amnis. & cętera

Qua de re meminit etiam Macrobius in ſomnio Scipionis; Sed feſtiuiſſimi ſunt Æſchili verſus apud Stobęum, quibus oſtendere conatur Plutonis regnum omnibus diuitijs, & commoditatibus affluere, cuius rei, præter cætera, argumentum hoc affert, vt dicat

Οὐ γὰρ ἄν ποτε οὕτως ἐστεφανωμένοι,
Γερύκειμεθα οὐδ' ἂν καταχεχριμένοι,
Εἰ μὴ καταβάντας εὐθέος πίνειν ἔδει.

Hoc eſt. Numquam enim ſic coronis redimiti proponeremur in funeribus, nec vnguentis delibuti, niſi ſtatim, vt deſcendimus, bibere nos oporteret. Hortatur igitur Horatius amicum ſuum ad voluptates ab anni tēpore, & à communi moriendi conditione; inquit.n moriendum omnibus eſſe, nec quo tempore id euenturum ſit, certò ſciri poſſe; itaque decere interim conuiuijs, & amoribus operam dare, neque putandum eſſe, ſi quis forte voluptatibus, ac delicijs maximè delectetur, propter alia tamen grauiora negocia ab eis interim ſe abſtineat, eaſdem vita functis in campis Elyſijs contingere: domus.n. Plutonis exilis eſt, id eſt minimè inſtructa, & referta iis bonis, quib. nunc tātò, & ſine reprehenſione frui licet: exiſtimare autem facilè poſſumus mutuò ſumpſiſſe Horatium hanc ſententiam, eamdemque propemodum tranſtuliſſe ex Philetæro in Oenopione, cuius verſus citat Athenæus δειπνοσοφιστῶν lib. 7.

θνητῶν δ' ὅσοι,
Ζῶνιν κακῶς ἔχοντες ἄφθονον βίον

Ἐγὼ

Ἐγὼ μὲν αὐτοὺς ἀθλίους εἶναι λέγω,
Οὐ γὰρ θανών γε δήπουθ᾽ ἔγχελυν φάγοις
Οὐδ᾽ ἐν νεκροῖσι πέπτεται γαμήλιος.

Quorum hæc eſt latina ſententia. Ex mortalibus qui poſsidentes multa viuunt hic malè, ſolos miſellos eſſe certè prædico. Nec mortuus veſceris anguillis, neque Plutonis in Regno videntur nuptiæ. Tetigit etiam hanc ſententiam Theognis illis verbis.

Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν ἐπὰν ποτὲ γαῖα καλύψῃ,
Εἴς τ᾽ ἔρεβος καταβῇ, δώματε Περσεφόνης,
Τέρπεται, οὔτε λύρης, οὔτ᾽ αὐλητῆρος ἀκούων,
Οὔτε Διωνύσου δῶρ᾽ ἐσαειράμενος.

Hoc eſt Nullus hominum, quem poſtquam tandem terra texerit, inque Erebum deſcenderit, domumque Proſerpinæ, oblectatur, neq; lyram, neque tibiam audiens, neque Bacchi dona tollens. conferre hùc quod legitur apud Plautum Bacchidibus poſtrema totius comediæ Scæna Bacc. *non tibi venit in mentem, amabo dum viuas,*

Tibi bene facias, iam pol id quidem eſſe haud perlonginquum.
Neque ſi hoc hodie amiſeris, poſt in morte id euenturum eſſe vmquam.

Quò etiam pertinet illud Tibulli

Non ſeges eſt infra, non vinea culta, ſed audax
Cerberus, & Stygiæ nauita turpis aquæ.

Atque hæc (ni prorſus fallor) vera, ac germana Horatij mens eſt, quæ etiam manifeſtius apparet ex eo, quod ſtatim dixerat.

Iam te premet nox, fabulæq; manes.

Nam quæ de inferis traduntur, vana omninò eſſe, ac mera poëtarum figmenta notũ eſt, idq; Callimachus quodam epigramate luculẽtè teſtatur. vocem autem exile valere interdum idem, quod tenue, inops, & parùm inſtructum, apparet ex collatione alterius loci, qui extat apud eundem latinum poëtam.

Exilis domus eſt; vbi non & multa ſuperſunt.

Plauti locus emendatus ex Bacchidibus. *Cap.* XIII.

ISTOCCINE *hic pacto poteſt*
Inhibere imperium, magiſter ſi ipſus primus vapulet.

Quod eſt apud Plautum Bacchidibus in Philoxeni ore poſitum, non modicam habet difficultatem, neq; adeò facile eſt ad intelligendum, vt quidã exiſtimant, quorũ ſermonibus ſuper eorũ verborũ ſenſu habitis cùm perſæpè interfuiſſem, nihil tñ inde haurire potui, quod poëtæ menti, latiniq; ſermonis proprietati paululùm modo cohæreret, nam quòd putat Lambinus inhibere imperium valere illic imperium

exercere, adhibere, retinere, vſurpare, non poteſt à me facilè recipi, itaque poſt multam animi in diuerſas partes agitationem ſtatuo non incommodè legi poſſe, ac nulla penè literarum mutatione caſtigari Imbibere imperium magiſtri: vt hoc pacto planiſsimus huius loci ſenſus, atq; elegantiſsimus relinquatur: eſſe autem hanc loquendi formam ab obtimis quibuſque auctoribus crebrò vſurpatam, notiſſimum eſt, nec M. Tullius aliter ea vtitur Verr. 2. ibi. An iſte vnquã de ſe bonam ſpem habuiſſet, niſi de vobis malam opinionem animo imbibiſſet: neq; aliter ab eodem dictum eſt in Oratione pro P. Quinctio. Quòd ſi facere nolit, atque imbiberit eiuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere: cùm antea legeretur inhiberet: cuius loci caſtigationem eruditiſsimo viro Petro Angelio acceptam ferre debemus, a quo demum cùm illam habuiſſet Paulus Manutius, auctoris nomine ſuppreſſo pro ſua publicare non eſt veritus, quamquàm M. Antonius Muretus aliter videri vult: ego tamen Angelij verbis, quæ mecum de hac re quandoque habuit, fidem detrahere nec poſſum, nec debeo.

Parœmia quædam Græci ſcriptoris auxilio illuſtrata.
Cap. XIIII.

REQVIRIT omninò dilucidiorem interpretationem illud Græcorum adagiũ in tetricos, ac ſeueros vulgò iactatum Ἀχαδημίηθεν ἥχεις, quàm Eraſmus attulerit, id enim ieiunè nimis, atque aridè in illud ſuum volumen ab ipſo coniectum eſt, quod vix tolerari poteſt; itaque faciendum mihi putaui, vt quod inter legendum à me obſeruatum eſt, ad eius explicationem conferrem. Ælianus igitur auctor Græcus, & cui hac in re magna fides adhiberi debeat, quòd ad eius parœmiæ intellectum pertinet, ita ſcriptum reliquit Var. hiſt. lib. 3. λόγος δὲ τις διαῤῥεῖ καὶ οὗτος Ἀττικὸς, ὅς λέγει πρότερως ἐν Ἀχαδημίᾳ μηδὲ γελάσαι ἐξουσίαν εἶναι. ὕβρεα γὰρ, καὶ ῥαθυμίᾳ ἐπειρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φυλαχθῆναι. quaſi dicas. Fama etiam illa percrebuit Attica, quæ refert, ne ridendi quidem poteſtatem in Academia prius fuiſſe, nam ab iniuria, & laſciuia purum, & inaceſſum hunc locum ſeruare conabantur. Quibus verbis abundè liquet; cur ex Academia venire dicerentur, qui ſeueriorem, auſterioremq; vultum præſeferrent: hancque huius parœmiæ originem fuiſſe nil proruſ dubito.

Diſputatum de Gulielmi Canteri, & Dionyſii Lambini ſententia ſuper emendatione cuiuſdam Plautini loci. Cap. XV.

GVLIELMI Canteri ſententiā ſuper emendatione Plautini verſus ex Aſinariæ prologo

Vt vos item aliàs, pariter nunc Mars adiuuet;

vanam eſſe, & à Comici mente penitus alienam iam olim adnotaram, idque cùm his lucubrationibus inſerere vellem, vt de tota re diligentiùs ſtatuerem, Lambini commentarios in illam fabulam adiui, in quibus Canteri φαντασίαν eadem prorſus ratione confutari animaduerti, qua ipſe reijci oportere cenſueram: itaque huius facti laudem Dionyſio Lambino libentiſsimè defero, quam tamen cum Adriano Turnebo aliqua ex parte communicari volo, nam & is quoque in ſuis Aduerſar. verum illius carminis ſenſum demonſtrauit: illam verò alteram omnem mihi vendico, quæ maior, & vberior eſt, vtpote ex duplici velut hoſte parta, nam qui paulò ante inuicem diſſentiebant, nunc pace facta communibus auſpicijs bellum gerunt pro aſſertione cuiuſdam lectionis in eodem Comico, apud quem cùm in Caſinæ prologo antea legeretur

Aures votiuæ ſi ſunt, animum aduortite,

Contendunt ipſi reſtituendum eſſe vaciuæ, quoniam hæc vox apud Plautum ſæpius accipiatur pro vacuo: quod bellum etſi rectè ab vtroque adminiſtratum eſt, mihi tamen videri ſolet minimè neceſſariò ſuſceptum fuiſſe, imò verò iniuſtè, peſsimoque exemplo, nam eius loci poſſeſsionem ſummo iure ſibi vendicat priſtina illa dictio, quam inde per iniuriam deijcere conantur iſti, quòd ſi de eius iure docuero, futurum ſpero, vt confeſtim bellum diſſoluatur, nam hoſtes ipſi pro cauſſæ æquitate ſe pugnare profitentur: eius ergo loci ſenſus hic eſt. ſi iam ex animi noſtri ſententia aures compoſitas habetis,

Animum aduortite,

Comediæ iam nomen dare vobis volo:

Is, qui Prologi partes ſuſtinet, vt attentionem captet, conatur omnes moleſtias ex animis ſpectatorum euellere pluribus enumeratis, quæ ad hoc multùm valebant, deinde cùm id abundè ſe præſtitiſſe arbitraretur, tempuſque poſcere iudicaret, vt iam fabulæ argumentum exponeret, inquit velle ſe id facere ita demum, ſi ſpectatorum aures votiuæ ſint, id eſt ex voto ſuo, & ita, vt ipſe cupiebat, affectæ, ac diſpoſitæ, dixerat autem

Vos omnes opere magno eſſe oratos volo,

Benignè vt operam detis ad noſtrum gregem.

C 2 Votiuum

Votiuum autem vocabulum hac notione interdum ſumi, diuerſorum ſcriptorum teſtimonijs doceri poſſe arbitror: mihi nunc ex Sidonio Apollinare exempla aliquot ſuccurrunt, quę adſcripſi. epiſt. 7. lib. 4.
„ Attamen qualis ipſe, quantuſque eſt, percopiosè me officij votiui
„ compotem fecit. & epiſt. 25. hic apice votiuo ſi potiretur, tacita pa
„ ctione promiſerat, eccleſiaſtica ploſoribus ſuis predæ predia fo-
„ re. & lib. 6. epiſt. 5. Nam dum votiui mihi ſit gerulus oportunus
„ officij, beneficium præſtat, & reliqua. rurſus lib. 9. epiſt. 9. Idq;
„ votiuum mihi granditer fuit, ac peroptatum, vt epiſtola iniuncta nec
„ negaretur ſcripta amicitiæ, nec ſubderetur lecta cenſuræ. & ep. 14.
„ Nanque eminet tibi thematis celeberrimi votiua redhibitio, laus
„ videlicet peroranda, quam edideris Cæſaris Iulij: nec aliter vſurpaſſe videtur Cornelius Gallus elegia, cuius initium Miſſus ad Eoas, eo nimirum in loco, vbi ait

Sternitur iſta tuo votiuo vulnere virgo,
Et percuſſa nouo læta cruore iacet.

Memini etiam eodem vocabulo in Aurelij Symmachi epiſtolis aliquoties me legere; ſed & Apuleius quoque eodem vſus eſt non vno loco,
„ veluti exempli gratia Metamorphoſ. 7. Quam ſimul acceſsimus, tota
„ ciuitas ad votiuum conſpectum effunditur. Peto igitur a Cantero, & Lambino, vt de vetere iure illius dictionis edocti, velint iam exercitum dimittere, & ab oppugnatione deſiſtere.

Propertij locus de opinione reſtitutus. Cap. XVI.

PRISCA ſcribendi ratio, quæ conſonantes non geminabat, peccandi anſam inferioris ętatis amanuenſibus præbuiſſe videtur in carmine illo excipiendo, quod legitur apud Propertium.

Ah quoties pulchros vſſit regina capillos!

Nam cùm antea rectè legeretur vulſit, vel, quemadmodum tunc ſcribi in more poſitum fuiſſe docent Grammatici, vlſit, ſecundæ literæ apice inflexo repreſentatum eſt vſsit deteriore ſententia, nam quamuis Tibullus alicubi habeat.

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro,

Exiſtimo tamen hanc ſententiam parùm commode in Propertij carmine retineri poſſe, ac prorſus ex illa altera, quam propoſui, deprauatam contendo, itaque non dubito ſcripturam interpolare, & pro vſsit, vulſit, audacter reſtituere; cùm perſæpè animaduerterim tùm Græcos, tùm Latinos poëtas, non diſsimili locutione in re pari vſos fuiſſe. Noſter hic lib. 4.

Cæditur & Lalage tortis ſuſpenſa capillis:

Virgil. Æneid. 2.

Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus à templo Caſſandra.
Ouid. epiſt. Acontij ad Cydippem.
Ipſa meos ſcindas licet imperioſa capillos;
Oraque ſint digitis liuida noſtra tuis. Plaut. Mercat.
Me iſtam pertracturam eſſe in viam, niſi hinc abducit. Idē Menæch.
Sed quis hic eſt, qui me capillo hinc de curru deripit?
Terent. Ennuc. *tum ipſam capillo conſcidit.*

„ Æſchines quoque in oratione περὶ παραπρεσβείας· οὐ κατασχοίμην
„ τὴν ὕβριν, inquit, ἀλλὰ παραθερμανθεὶς, ὅθ' ἡμᾶς εἱστία ξενοδόκος
„ τῶν ἑταίρων τὶς τῦ φιλίππυ, ἑλκοίμην τῶν τριχῶν, καὶ λαβὼν ῥυτῆ-
„ ρα μαστιγοῖμι τὴν αἰχμάλωτον γυναῖκα .i. Non perpeſſus fuiſſem contumeliam, ſed incanduiſſem quùm nos exciperet conuiuio quidam è Philippi amicis excipiendis hoſpitibus præfectus, & capillis traxiſſem, & arrepto loro flagellaſſem captiuam mulierem.

Epicuri Syllogiſmus parùm ex arte confectus demonſtratur. Cap. XVII.

AVT ego me plus æquo diligentem præbeo in veterum ſcriptorum monumentis cognoſcendis, aut parùm διαλεκτικῶς argumentationem connexuit Epicurus cùm mortem nihil ad nos pertinere oſtē-
„ dere volens, inquit. ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναι-
„ σθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν πρὸς ἡμᾶς. neque verò loquor nunc de lapſione illa, quam ei Plutarchus obiecit, ſiquidem Gellius abundè demonſtrauit falſam notam philoſopho illi à Plutarcho fuiſſe inuſtā. Qui paululùm modò in diſceptandi facultate verſati ſunt, ignorare nequeunt, Syllogiſmum ex quatuor terminis (ſic.n. vocant) coagmentatum nullam ex ſe firmam ſententiam emittere, idque adeò certum, exploratumque eſt, vt nihil opus ſit pluribus demonſtrare: oſtendo igitur Epicuri argumentationem quatuor terminos continera. inquit ille, τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, hìc duo ſunt termini, prout in qualibet propoſitione eſſe debent; ſequitur minor τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, & hìc item duo termini continentur vnus ex maiore repetitus, qui eſt ἀναισθητοῦν; alter foris ſumptus, nimirum οὐδεὶν πρὸς ἡμᾶς. ſequitur concluſio ergo διάλυσις, vel ὁ θάνατος οὐδεὶν πρὸς ἡμᾶς. hic terminus διάλυσις inculcatur, cui nullus extitit locus in propoſitionibus, ſed pro eo dictum fuit διαλυθὲν, quod longè aliud ſignificat: διάλυσις .n. eſt ipſe actus, διαλυθὲν verò dicitur ὑποκείμενον, circa quod actus ille verſatur: quemadmodum aliud eſt κατόρθωσις, aliud κατόρθωμα, quare Cicero alterum rectam

affe-

effectionem, rectum factum alterum latinè expreſsit; itaque verum
quidem eſt, mortē eſſe διάλυσιν, at διαλυθὲν nequaquā: recto autem
ſenſu incedet argumentatio, ſi dicatur, ergo τὸ διαλυθὲν οὐδὲν πρὸς
ὑμᾶς: at hoc ſibi non vult Epicurus, cui propoſitum erat oſtendere
mortem nihil ad nos pertinere, id eſt διάλυσιν, non quod diſſolutū
eſt, id eſt διαλυθὲν, ſic.n. ipſam definiunt διάλυσις σώματος, καὶ ἀφα-
νισμὸς αἰθήσεος σωματικῆς. i. corporis diſſolutio, & corporei ſenſus
abolitio; apparet tamen in praua colligendi forma, ſi quis diligenter
intueatur, mens Epicuri; nam Hermacus, cùm in animo haberet, id
„ ipſum demonſtrare, hoc ſermone vſus eſt. Εὐκαταφρόνητος ὁ θά-
„ νατος, ἄπρακτον γὰρ τὸ ποιοῦν, τοῦ πάσχοντος ἀνῃρημένου. hoc eſt
Mors facilè contemni poteſt, cauſa.n. efficiens irrita fit, quando pa-
tiens interijt. Plato quoque in Apologia Socratis eodem argumen-
to probare conatur mortem non eſſe timendam, ſed & in Axiocho
„ ita inquit. Ὅτι ὁ θάνατος οὔτε πρὸς τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε πρὸς τοὺς
„ μετηλλαχότας. πῶς φὴς ὦ Σώκρατες; ὅτι περὶ μὲν τοὺς ζῶντας,
„ οὐκ ἔστιν. οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν. quid quòd Epicurus ipſe,
quid eo ſermone ſibi voluerit, planum fecit? ita.n. ipſum colligere
ſolitum ex Plutarcho, & Laërtio nouimus: πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν
αἰσθήσει. στέρησις δὲ ἐστιν αἰσθήσεως ὁ θάνατος. ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ μηδὲν
εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον: hinc prouerbij loco Euripidis car-
men vſurpatur.

Τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ ὁρῶ λυπουμένους.

Videtur autem M. Tullius hanc falsò argumentandi rationem in Epi
curo notare voluiſſe, cùm libro de Finibus ſecundo de illo ipſo phi-
„ loſopho loquens, ait. Scripſit & multis ſæpè verbis, & breuiter,
„ aptèque in eo libro, quem modò nominaui, mortem nihil ad nos per-
„ tinere, Quod enim diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu: quod autem ſi-
„ ne ſenſu ſit, id nihil omninò ad nos pertinere. Hoc ipſum elegan-
„ tius poni, meliusque potuit; nam quod ita poſitum eſt, quod diſſo-
„ lutum ſit, id eſſe ſine ſenſu; id eiuſmodi eſt, vt non ſatis planè dicat,
„ quid ſit diſſolutum: ſed tamen intelligo, quid velit. Tertullianus
quoque entymematis huius vitium detexit libro De Anima dicens.
„ De morte iam ſupereſt, vt illic materia ponat, vbi ipſa anima con-
„ ſummat: quamquam Epicurus vulgari ſatis opinione, negarit mor-
„ tem ad nos pertinere: Quod enim diſſoluitur (inquit) ſenſu caret,
„ & quod ſenſu caret, nihil ad nos. diſſoluitur autem, & caret ſen-
„ ſu non ipſa mors, ſed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit paſ-
„ ſionem, cuius eſt actio. Quòd ſi hominis eſt pati mortem diſſolu-
„ tricem corporis, & peremptricem ſenſus, quàm ineptum vt tanta
„ vis ad hominem non pertinere dicatur. Cùm hæc ego in hoc caput

ita digeſsiſſem, recordatus ſum M. Antonium Muretum eiuſdem in argumentando imperitiæ Epicurum notaſſe; verùm cùm cernerem longè plura me obſeruaſſe ad rei, de qua agitur, explicationem, quàm Muretus ipſe attulerit, non putaui eorũ lectione ſtudioſos adoleſcentes eſſe defraudandos; itaq; viſũ mihi eſt ea hic ſpectanda proponere.

Franciſci Hotomani ſententia quædam ſuper C. Cæſaris verbis notata. Cap. XVIII.

NON videtur Franciſcus Hotomanus locum quendam apud C. Cæſarem diligenter admodum perpendiſſe, vbi Heluetiorum numerus recenſetur, qui poſt ingens illud prælium infæliciter cum Romanis pugnatum victoris permiſſu in ſuas quiſque ſedes reuerterunt; cùm illic .n. ita ſcriptum extet „ Eorum, qui domum redierunt, „ cenſu habito, vt Cæſar imperauerat, repertus eſt numerus mil„ lium centum & decem: Hotomanus ſic ratiocinatur. Superfuerunt ex prælio centum triginta millia: rebellarunt, atque in hoſtium numero habiti ſunt ad ſex milia, reliqui omnes in deditionem accepti ſunt; remiſsi ſunt ergo centum vigintiquatuor millia: ponamus in itinere quatuor millia deperijſſe, tamen ſupererant centum viginti millia, quomodo ſcripſiſſe Cæſarem arbitramur: Rectè quidem ille argumentationem colligit, ſed in eo fallitur, quòd vnum quiddam prætermittit, quod erat aſſumendum, vt ratio conſtaret, forma igitur argumentationis ex anteſumptis procedit, ſed materia, ex qua conficitur, vitioſa eſt, & manca: rectè autem habebit, ſi dicamus, Superfuerunt ex prælio centum triginta millia, rebellarunt, atque in hoſtium numero habiti ſunt ad ſex millia, quatuordecim millia Boiorum petentibus Æduis, quòd egregia virtute erant cogniti, vt in finibus ſuis collocarent, conceſsit Cæſar; remiſsi ſunt ergo centum & decem millia: quod autem de Bois dixi, ipſemet Cæſar paulò antè, quàm numerum ſuperſtitum Heluetiorum iniret, ſcriptum reliquit, ne quis me finxiſſe putet: fuiſſe verò Boios quatuordecim millia ex numero eorum, qui poſt illud prælium reliqui fuerunt, & ex ſumma eorum, qui domum redierunt, manifeſtò colligitur; nam quòd Hotomanus ponit in itinere quatuor millia periſſe, id verò nullo modo concedi debet; Cæſar .n. ſummam recenſuit antequam domum redirent, non poſtquam in ſuas quippe ſedes peruenerunt.

De A. Gelii loco diligenter diſputatum, vbi de aluminis natura fit mentio. Cap. XIX.

SATIS adhuc mirari nequeo vnde factum ſit, vt doctorum virorum oculos effugerit macula illa, quæ iamdiù eruditiſsimum, di-

ligen-

ligentiſsimumque ſcriptorem Gellium occupauit, ſiquidem apud ipſum ita alicubi legitur magno tùm impreſſorum, tùm in bibliothecis latentium librorum conſenſu. Tùm Sylla conatus eſt, & tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interpoſuit, ligneam incenderet: venit, acceſsit, ligna ſubdidit, ſubmouit Græcos, ignem admouit: ſatis ſunt diù conati, nunquam quiuerũt incendere, ita Archelaus omnem materiã obliuerat alumine: quod Sylla, atque milites mirabantur. itane Quadrigari alumen igni reſiſtit? cur non & bitumen, & ſulphur, & picem, & naphtam, atque huius generis alia incendia reſtinguere dicimus? nimium de lectoris eruditione diffidere videar, ſi velim hanc rem fuſius proſequi, & firmioribus argumentis comprobare; ſiquidẽ exploratiſsimũ eſt aluminis vires oẽs à calido ipſius tẽperamento prouenire, licet nõ defuerint, qui exiſtimauerint ipsũ refrigerandi vim habere, quos tñ sũmo in errore verſari non dubito: Plura, ac certiora de foſsilis huius natura cognita haberemus, niſi Theophraſti librum *περὶ ἁλῶν νίτρου στυπτηρίας* edax tempus nobis inuidiſſet: Scire autem oportet, poſtquã in hunc ſermonẽ incidi, *καυστὰ* non vno modo dici, nam & *φλογυστὰ*, & *ἀφλόγυστα* in genere *καυστῶν* collocantur ab Ariſtotile, quamquã autem alumen *φλογυστόν* non ſit, iure tamen *καυστὸν* cenſeri debet, nempè *ἀφλόγυστον*, vel Dioſcoride teſte, cuiuſmodi etiam eſt ſal, & nitrum, qua ſola ratione vulgatam Gellij ſcripturam aliquo pacto tueri poſſumus, quòd ſi neque hæc quidem ſatisfecerit, inueſtiganda ratio eſt mendi, locique perpurgandi: ac mihi quidem legendum videtur, litera immiſſa, albumine pro alumine. ſcribit.n. Plinius lignũ ouo perfuſum non ardere, ac ne veſtem quidem contactam aduri: & Dioſcorides, quod & ipſum hùc aliquo pactò confert, tradit faciem oui albumine inunctam ſole non aduri: vt poſthac minime dubitare oporteat, quin hęc vera, germanaque ſit eius loci ſcriptura, quam deinceps librorum impreſſores poterunt tutò (ſi mòdò a vulgata recedere placuerit) me auctore in ſuis codicibus reponere.

Lapſus quidam Mureti, ac Turnebi detegitur: & qui dicantur lenti debitores. *Cap. XX.*

QVI maioribus negocijs intenti ſunt, & grauioribus ſtudijs occupantur, inque eis cogitationes ferè omnes exhauriunt, ſolent interdum in leuioribus ponderis rebus offendere, atque halluci nari, quod cùm alibi ſæpè offendi, tùm verò maximè intelligi volo M. Antonij Mureti, atque Adriani Turnebi virorum omni precioſa literarum ſuppellecti inſtructiſsimorum exemplo: ij etenim cen-

cenſuerunt aliter à M. Tullio dictos eſſe lentos debitores, aliter à Lucilio, quoniam quidem Cicero lentum Antonium appellauerit, propterea quod tergiuerſaretur, & diem ex die duceret, neque promptus eſſet ad diſſoluendum, quod deberet. Lucilius autem lentum ſoluere acceperit pro eo, qui facilè ſolueret, bonumque nomen eſſet. Lucilij verſus, in quibus eã vocẽ ita vſurpari exiſtimarunt docti illi viri, citantur à Nonio corruptè, ac deprauatè, quos tamen illi rectè omninò reſtituerunt, hoc modo

Lucius Cotta ſenex Craſſi pater huius peracer

Aut etiam *Paceni*, vt emendat Turnebus.

Magnu' fuit trico nummarius, ſoluere nulli *Lentus*.

Hic Nonius nulli lentus id eſt facilis optimè exponit; neque .n. ſolũ verbum lentus interpratatur, verum etiam quod eidem cohæret, ad illudque refertur, nulli: iam verò quis non videt valere in Latino ſermone lentus nulli ſoluere, idem quod minimè tardus, ac ſegnis ad ſoluendum? vt vox lentus propriam, vulgatamque notionem retineat, quæ tamen ibi commutatur, vt contrarium ſignificet ob negationem adiectiuo nomini appoſitam: deniq; ſermo hic eſt huiuſm. Lucius Cotta ſenex non fuit lentus cuiquam ſoluere, id eſt tardus, ac piger, quomodo etiam vſus fuit Cicero eadem dictione: ac multò
„ poſt Annæus Seneca De Beneficijs. Multi ſunt (inquit) qui nec
„ negare ſciant, quod acceperunt, nec tàm mali, quàm ingrati, ſegnes,
„ & tardi, lenta nomina, non mala.

Liuii contextus, quem Petrus Nannius deprauauerat, reſtitutus & quid valeat interdum vox auctor in Latino ſermone. Cap. XXI.

EDICO tibi, Petre Nanni, & pro ſumma, quæ inter nos communium ſtudiorum cauſſa intercedit amicitia ſedulò moneo, ne quid noui moliaris in illo T. Liuij colo, quod legitur lib. 2. ab Vrbe cond.
„ hoc quidem pacto. Principio ſtatim anni nihil prius, quàm de lege
„ agebatur, ſed vt inuentor legis Volero, ſic Lectorius collega eius
„ auctor tùm recentior, tùm acrior erat: optimè .n. conceptus eſt, cõmodiſsimamque ſententiam continet, quam tu tamen videre non potuiſti, propterea quod auctorem idem ſemper valere, quod inuentorem falsò tibi perſuaſeris; quę res tibi anſam peccãdi prębuit: nunc igitur tibi narro, vocem illam apud Latinos capì interdum pro ſuaſore, ac monitore, quoniam qui alteri quicquam ſuadet, plurimùm auctoritate valeat neceſſe eſt, alioquin ſuadebit quidem, ſed non perſuadebit, niſi potius eius oratio ſtrepitu, ac ſibilis explodetur, ac penitus reijcietur, ex quo natæ ſunt hæ loquendi formulæ, tibi

D auctor

auctor ſum, vt illud facias, & hoc te auctore feci: Horatius certè in hunc ſenſum vocem illam ſumpſiſſe videtur, cùm inquit ad Piſones

Auctoris partes chorus, officiumque virile Defendat:

Dicit.n.chorum ſuadentis, diſſuadentiſque partes ſuſtinere debere, quod ipſius munus in primo Aiacis choro apud Sophoclem obſeruare licet, & apud Senecam Tragicum ſępiſsime: rurſus Od. 5. lib. 3. loquens de Regulo, qui captiuos reddendos eſſe negabat, orationeque in Senatu habita, vt hoc ipſum euinceret, vehementiſsimè contendebat

Fertur (inquit) *virilem*
Toruus humi poſuiſſe vultum,
Donec labantes conſilio patres
Firmaret auctor nunquam aliàs dato.

Senecæ contextus duobus in locis emaculatus. *Cap.* XXII.

TEMPORVM iniuria factum eſt, & eorum, qui ex dictantium voce verba calamo excipiebant, negligentia, vt Senecæ philoſophi ſcripta mutila, ac turpiter deprauata ad noſtram ætatem peruenerint, vnde non leuis labor doctis viris fuit ſubeundus, Eraſmo, Curioni, Pinciano, Iunio, Rhenano, Agricolæ, cæteris, quò eius philoſophi monumenta ſi non prorſus emendate, minori ſaltem moleſtia legerentur, quòd ſi eruditi omnes aliquid ſuæ in eum ſcriptorem induſtriæ, ac diligentiæ pro virili conferre voluerint, breuiter futurũ ſpero, vt emendatum, omnibusq; ſuis numeris abſolutum Senecam habeamus: ego etſi meum nomen in eorum ordinem reponere non auſim, exiſtimaui tamen à politiorum literarum ſtudioſis gratiam aliquam ipſo ſaltem iuuandi conatu, ac deſiderio me initurum, ſi quantum in me eſſet hęc mitiora ſtudia, vnius, atque item alterius Annæi loci emendatione promouere pergerem, ac in præſentia quidem occurrit mihi Controuerſia quinta lib. 10. illic, vbi legitur.

„ Æmilianus quidam Græcus Rhetor, quod genus ſtudiorum amabiliſsimum eſt: in quibus verbis (ni prorſus fallor) mendum reſidet, quod ego facilè cùm illum ſcriptorem percurrerem, deprehendi, eamdemque opera ſuſtuli dictione ſtudiorum in ſtultorum commutata, videlicet vt ſit alluſum ad Horatianum illud

Auditis? an me ludit amabilis Inſania?

Quod Senecæ mens procul dubio expoſcit, ac tantùm non clamat: Eſt autem duplex inſaniæ genus (vt hoc etiam auctarij loco apponã) aliud abſurdum, vt delirantium, aliud expetendum, vt poëtarum, & vatum, quibus, auctore Seneca, Rhetores quoq; adiungere licet; docet

„ docet hoc Suida in ſuo Lexico. Μανίαι (inquit) οὐ πᾶσιν ὅμοιαι.
„ τῶν μανιῶν, αἱ μέν ἐσὶν ἄτοποι, ὡς αἱ τῶν παραπαιόντων. αἱ δὲ,
„ αἱρεταὶ καὶ εὐχῆς ἄξιαι, οἷαι τῶν ποιητῶν καὶ τῶν χρησμολόγων. Et Plato in Phædro plures laudabilis inſaniæ ſpecies enumerat. Sed poſtquam Senecam emendandum ſuſcepi, antequam ipſum è manibus deponam, libet alterum ex eadem Controuerſia locum caſtigare: ibi igitur non longè inferius ita vulgò circumfertur. Zeuſim (vt puto)
„ pinxiſſe puerum vuam tenentem, & cùm tanta eſſet ſimilitudo vuæ,
„ vt etiam admirationem faceret operi, quendam ex præceptoribus
„ dixiſſe, aues malè exiſtimaſſe de tabula, non fuiſſe enim aduolaturas, niſi ſimilis eſſet. Exiſtimo hæc poſtrema verba manca eſſe, neque omnia fideliter, quomodo ab auctore ſcripta fuerant, ab amanuēſibus in codicem relata fuiſſe, quod cæteris quoque facilè me perſuaſurum confido, ſi eandem rem ab alio ſcriptore expreſſam illis ſpectandam propoſuero. Plinius igitur idem factum narrans inquit. Fertur
„ Zeuſis pinxiſſe puerum vuas ferentem, ad quas cùm aduolaſſent a-
„ ues, eadem ingenuitate proceſsit iratus operi, & dixit: vuas melius
„ pinxi, quàm puerum, nam ſi & hoc conſummaſſem, aues timere debuerant. quare puto Senecæ contextus lacunam expleri debere immiſſa dictione puer, & alteri negandi particula detracta, hoc modo.
„ non fuiſſe.n. aduolaturas, ſi puer ſimilis eſſet.

Dionyſii Lambini, & Germani Valentis error ſuper capitis diminutione patefactus. *Cap. XXIII.*

HORATIVS in Odis de Regulo ita loquitur

Fertur pudicæ coniugis oſculum,
Paruosque natos, vt capitis minor
A ſe remouiſſe.

Quem locum Dionyſius Lambinus de minima capitis diminutione accipi debere putat ex Germani Valentis ſententia: verùm ipſe in omnia alia tranſeo, exiſtimoque nullo pacto de ea intelligendum eſſe, cùm minima capitis diminutio, per quam ſtatus ſolummodo commutatur, nequaquam potuiſſet impedimento eſſe, quominus Regulus vxorem, & liberos amplecti debuerit, atque oſculari, nam alioquin pater ab aliquo adoptatus eadem de cauſa filios complecti prohiberetur, notum eſt.n. adoptionem minimam capitis diminutionem inducere. neque quicquam prorſus eum adiuuat Ciceronis auctoritas ex 3. Offic. nam quod ibi dicitur Regulus Senator non fuiſſe, verum id quidem eſt, propterea quod nec ciuis quoque eſſet, amiſerat.n. per captiuitatem ciuitatis iura, ſicut etiam prodit Suida in Ῥήγουλος, ac

diſertè ſcriptum reliquit Paullus Iuriſconſultus in Pandectis, cuius verba, quoniam rei, de qua loquimur intelligendæ non parùm con-
„ ferunt, libuit apponere. Capitis diminutionis (inquit) tria genera
„ ſunt, maxima, media, minima. tria enim ſunt, quæ habemus, liber
„ tatem, ciuitatem, & familiam; igitur cum omnia hæc amittimus,
„ hoc eſt libertatem, ciuitatem, & familiam, conſtat maximam eſſe ca
„ pitis diminutionem, cùm verò amittimus ciuitatem, & libertatem
„ retinemus, mediam eſſe capitis diminutionem: cùm & libertas, & ci
„ uitas retinetur, familia tñ mutatur, minimam eſſe capitis diminutionẽ
conſtat. cùm itaque Attilius Regulus ſeruus hoſtium per captiuitatem factus eſſet, & ciuitatis iura vnà cum libertate amiſiſſet, videor mihi non iniuria notaſſe Lambinum, qui aliter cenſuerit: ac ne quis mihi obijciat, ipſum Regulum iure poſtliminij ciuitatem, & libertatem recuperaſſe, operæprecium duxi Pomponij Iuriſconſulti verba adſcribere, quibus hanc totam rem planiſsimè nobis declarat Pan
„ dectarum libro 49. Captiuus autem (inquit) ſi à nobis manumiſſus
„ fuerit, & peruenerit ad ſuos, ita demum poſtliminio reuerſus intel
„ ligetur, ſi malit eos ſequi, quàm in ciuitate noſtra manere: & ideo
„ M. Attilio Regulo, quem Carthaginenſes Romam miſerunt, reſpon
„ ſum eſt, non eſſe eum poſtliminio reuerſum, quia iurauerat Cartha-
„ ginem ſe reuerſurum, & non habuerat animum Romæ remanendi.
hinc igitur ſatis conſtat, Romani iuris ignoratione tranſuerſum raptum fuiſſe Valentem, eiuſque ductu Lambinum deinde in præceps ruiſſe, quod ne alijs identidem accidat hoc capite præſtitimus.

Plutarchi locus perperàm ab Eraſmo conuerſus.
Cap. XXIIII.

OSTENDERE volens Plutarchus nullum de fortuna querendi locum illis relinqui, qui abſurdo, præpoſteroque conſilio quippiam aggrediuntur, ſic ait in commentario de animi tranquillitate.
„ *Οὐδὲ γὰρ ὁ τοξεύειν τῷ ἀρότρῳ βουλόμενος καὶ τῷ βοῒ τὸν λαγὼ κυνη-*
„ *γετεῖν, δυστυχής ἐστιν. οὐδὲ γὰρ γρίφοις καὶ σαγήναις ἐλάφους μὴ λαμβάνον-*
„ *τι μηδὲ εἷς δαίμων ἐναντιοῦται μοχθηρός, ἀλλὰ ἀβελτηρία καὶ μοχθη-*
„ *ρία τοῖς ἀδυνάτοις ἐπιχειροῦσιν.* quem locum ita latinè conuertit De
„ ſiderius Eraſmus. Neque.n. qui aratro velit iaculari, ac boue vena-
„ ri leporem, infortunatus eſt, neque ei, qui laqueis, aut retibus cer-
„ uos non ceperit, vllus malus aduerſatur genius, ſed ſtultitia, & per-
„ uerſitate aggrediuntur, quæ fieri, non poſſunt: quam Plutarchi ſen tentiam ita ab Eraſmo expreſſam ſi ſequamur, non video cur veluti ſtultum quippiam, & parum ad ceruorum venationem appoſitum com-

commemorare debuerit Græcus auctor laqueos, & retia, cùm ijs præcipuè inſtrumentis feræ illæ capi ſoleant, vnde à Marone dictū eſt

Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur. Et in Georgicis.
Tùm gruibus pedicas, & retia ponere ceruis.
Ac rurſus in tertio eiuſdem ruſtici Operis.
Monteſque per altos
Ingentem clamore premis ad retia ceruos.

Iulius Pollux Onomaſt. lib. 5. ſcribit ceruos retibus capi, ſi quis eos agitans venetur, pedicis verò, ſi quis inſidians eos irretiat, hæc
,, ipſius ſunt verba ἁλίσκονται δὲ δικτύοις μὲν, ἄν τις ὁρμάσας αὐτὰς
,, ἐπελάσειε, ποδοστράβαις δὲ, ἄν τις ἐνεδρεύσας αὐτὰς ἐμποδίσειε.
,, Xenophon de Cyri inſtit. lib. 1. τί δὲ ἐλάφοις ποδάγραις καὶ ἀρπεδά-
,, ναις repete ἀπὸ τοῦ κεῖνου, ἐμανθάνετε; hoc eſt; cur ceruos pedicis, & laqueis capere diſcebatis? mitto iam Gratium, Nemeſianum, ex Græcis Oppianum, alios item non paucos, apud quos crebra extat mentio retium, & laqueorum in huiuſm. ferarum venatione, neque .n. dubium eſſe poteſt, quin cerui rete, & laqueo capiantur: itaque exiſtimo Parœmiographum Plutarchi mentem perperàm nobis reddidiſſe, nec ſuis coloribus eam fideliter repreſentaſſe, debuit.n.ad proprium magis, ac particulare laquei, & retis genus deſcendere, quod Plutarchus fecerat appellans rete γρῖφον, καὶ σαγήνην, quorum vtrūque in retis genere certam quandam ſpeciem ſignificat, qua in piſcatione vti conſueuimus, atque ita conſtabit Plutarchi ſententia, nam que ſtultè nimis, præpoſterèque is agere ab omnibus iudicabitur, qui funda, ac ſagena ceruos capere voluerit inſtrumentis nimirum piſcatorijs, ac propterea ceruorum venationi parùm omninò aptis: eorum meminit Pollux lib. 10. vbi de piſcatorijs, & nauticis inſtrumentis loquitur: Xenophon certè cùm de ceruorum agit venatione gryphi, & ſagenæ numquam meminit, ſed pro his δίκτυα, καὶ ποδοστράβας crebrò nominat, vt appareat illa altera non ad venandum, ſed ad piſcandum magis fuiſſe accommodata. Plutarchi igitur locus ita
,, vertendus fuit. Neque.n. qui aratro velit iaculari, ac boue leporem
,, venari infortunatus eſt, neque ei, qui fruſtra verriculo, aut funda
,, captauit ceruos vllus malus aduerſatur genius: ſed ſtultitia, & per-
,, uerſitas eum ad tentanda impoſsibilia adigunt. Quoniam verò nullū docendi tēpus alienū videri debet, volo Plutarchi ſententiā Xenophontis auctoritate aliquo pacto conſtituere, & grauiſsimi huius philoſophi verbis nonnihil, atq; adeò multū illuſtrare: is igitur De Cyri Inſt.
,, ſic ſcriptum reliquit. ναὶ μὰ δία, ἔφη ὁ Κῦρος, μέμνημαι μέντοι ταῦτα
,, ἀκούσας σοῦ. καὶ γὰρ ἀνάγκη ἦν πάθεσθαι τῷ λόγῳ τούτῳ. καὶ γὰρ

,, οἶδά σε λέγοντα ἀεὶ ὡς οὐδὲ θέμις εἴη αἰτεῖσθαι παρὰ τῶν θεῶν οὔτε ἱππεύ-
,, ειν μὴ μαθόντας, ἱππομαχοῦντας νικᾶν. οὔτε μὴ ἐπιθισαμένους τοξεύ-
,, ειν ὄντας κρατεῖν τῶν ἐπιθισαμένων τοξεύειν. οὔτε μὴ ἐπιθισαμένους κυ-
,, βερνᾶν σώζειν εὔχεσθαι ναῦς κυβερνῶντας, οὐδὲ μὴ σπάροντας γε σῖτον,
,, εὔχεσθαι καλὸν αὐτοῖς σῖτον φύεσθαι. οὐδὲ μὴ φυλαττομένους γε ἐν πο-
,, λέμῳ σωτηρίαν αἰτεσθαι. παρὰ γὰρ τοὺς τῶν θεῶν θεσμοὺς πάντα τὰ
,, τιαῦτα εἶναι. τοὺς δὲ ἀθένιστα εὐχομένους ὁμοίως ἔφησθα εἰκός εἶναι
,, παρὰ θεῶν ἀτυχεῖν, ὥσπερ καὶ παρὰ ἀνθρώπων ἀπρακτεῖν τοὺς
παράνομα δεομένους. quæ verba ſic latinè vertit interpres. Equidem memini per Iouem, inquit Cyrus, hæc me de te audiſſe, atque illi ſermoni tuo aſſentiri me neceſſe erat. Addentem etiam te memini, nefas quidem eſſe à Dijs petere, vt equeſtri prælio victoriam adipiſcantur, qui equitandi artem non didicerunt: vel ſagittandi rudes, eiuſdem peritos ſagittando ſuperent, vel vt gubernandi rudes precentur, quò gubernando ſeruare naues poſsint: vel qui ſementem non fecerunt, optent bonum ſibi frumentum naſci: vel ſalutem petant, qui ſibimet in bello non caueant: nam huius generis omnia præter leges diuinas eſſe: quotquot autem optarent ea, quæ non fas ſit: illos aiebas haud iniuria ſic apud Deos nihil impetrare, vt qui illicita poſtulant, repulſam apud homines ferunt.

Catulli verſus emendatus in nauis deſcriptione. Cap. XXV.

BONORVM poëtarum mos eſt alterum pro altero ſæpiſsimè ponere, idque adeò frequenter in eorum ſcriptis reperitur, vt poſſit quilibet etiá mediocriter eruditus ſexcenta huius rei exépla producere, nullum.n. figuræ genus communius, atque vſitatius propemodum inuenitur; itaque longior hac de re ſermo in præſentia omittetur: illud breuiter tenendum eſt, ex eo ipſo figuræ genere dictum eſſe à Catullo in carmine De nuptijs Pelei, & Thetidis.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per vndas.

Quomodo etiam locutus fuit Horatius, cùm dixit.

Non hic Argoo contendit remige pinus:

Videtur.n. vtrobique pinus pro qualibet arbore nauibus edificandis apta poni: alioqui Orphæus poëta vetuſtiſsimus, & ex Argonautarum numero vnus nauem illam;

qua lecti iuuenes Argiuæ robora pubis
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa cita percurrere puppi.

Ex piccis, quercubusque compactam fuiſſe dicit; Euripides in Medea

dea πεύκην ipſam appellat nulla quercus mentione facta, cuius loci ſententiam, de verbis nihil interim ſollicitus, vertens Ennius abiegnam trabem nominauit, cum eam ipſam nauem intelligeret: ſic etiam equum illum Durateum, cuius ope, atq; auxilio Troiam Græci expugnarunt, ex picea, que rnaque materia fabricatum fuiſſe canit Maro, cùm tamen ex cornis in Ida Troiæ monte ex Apollinis luco exciſis conſtructum fuiſſe conſtet, veluti Pauſanias ſcriptum reliquit in Laconicis: Et de hac quidem figura, præter cæteros, videndus eſt Macrobius Saturnal. 6. Sed quod paulò poſt ſequitur in eo ipſo carmine.

Ipſa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ:

Vt eadem figura dictum cenſeri poteſt, velut etiam vſupauit Ouidius, cùm cecinit.

Pinea texta ſonant pulſi ſtridore rudentes,
Aggemit & noſtris ipſa carina malis.

Ita mihi neſcio quo pacto elegãtius & poëtæ ſententiæ accommodatius videri ſolet, ſi leganus quomodo in margine codicis, qui apud me eſt, adnotatum inueni.

Linea coniungens inflexæ texta carinæ:

Siquidem cùm nauem illam appellaſſet Catullus περιφραστικῶς volitantem flamine currum, conſequens eſſe videbatur vt ſingula ſingulis deinde redderet, circumſcriptionemq; illam, tanquam ænigma aliquod obſcurius propoſitam explanaret, itaque manifeſtius adhuc oſtendere volens cuiuſmodi eſſet currus ille, appellat inflexam carinam, quoniam verò flamine, id eſt vento impelli dixerat, hoc etiam dilucidius aperiens, inquit, coniuncta illi fuiſſe linea texta. i. vela habuiſſe, quæ ventos exciperent: Et de hac quidem re ita ſentio.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER SECVNDVS.

Adagii cuiuſdam ratio vera demonſtratur. Cap. I.

VTVNTVR iure ſuo, bonique inſuper viri officio funguntur poëtæ, cùm res parùm honeſtas honeſtis tamen vocabulis exprimunt, ac ſententiæ turpitudinem orationis artificio ita celant, vt non modò infamiam fugiant, verùm etiam inſignem laudem interdum conſequantur; cuius artificij exempla nuſquam non occurrunt in antiquorum ſcriptis: huius generis eſt Horatianum illud.

Nondum ſubacta ferre iugum valet
Ceruice: nondum munia comparis
Aequare; nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Atque item illud

Sperat malè, quæ te,
Lesbia quęrenti taurum monſtrauit inertem.

Quod exemplum ex multorum numero ea potiſsimum de cauſa delegi, vt hinc mihi occaſio daretur adagij explicandi, in quo eadem honeſta tranſlatio rei turpitudinem apparere non ſinit, & in quo Deſiderius Eraſmus ſui ſe diſsimilem præbuit: prouerbium eſt hoc. Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulit, quod ſi nequiuſcule intelligere volumus, interpretationem recipit ex his Petronij Arbitri verbis.

,, Iunonem meam iratam habeā, ſi vnquam me meminerim virginē fuiſ-
,, ſe: nam infans cùm paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus
,, annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perue-
,, ni: hinc etiam puto natum prouerbium illud, dicatur vt poſſe tau-
,, rum tollere, qui vitulum ſuſtulit. Nam vituli ſeu iuuenci dicuntur adoleſcentiores. Hor.

Te ſuis matres metuunt iuuencis.

Tauri verò dñr iam adulti: vt exempla ſuperius ex eodē Horatio à me poſita demonſtrant. Si verò ſenſu omni obſcæno remoto illud accipere malumus, Phauorinus eius nobis originem aperit, cuius hæc ſunt

ſunt apud Stobæum ſermone de Aſsiduitate. Γραῦν τινά φασι μόσχον μικρὸν ἀραμένην, καὶ τοῦτο καθ' ἡμέραν ποιοῦσαν, λαθεῖν βοῦν φέρουσαν. hoc eſt. Ferunt anum quandam cùm quotidie paruum vitulum ſublatum geſtaret, & nullum diem intermitteret, tandem adultum quoque bouem geſtaſſe. Eraſmus ad Milonem Crotoniatem huius prouerbij originem refert, de quo tamen nihil tale apud vllum ſcriptorem ipſe adhuc me legere memini, poſtquam verò Phauorini teſtimonium nactus fui, haud magnopere præterea laboraui, vt de hoc Milonis facto aliquid certius cognoſcerem.

Terentii locus magis adhuc explicatus de ſtudio mulierum in ſe ornando, nimiaq; ipſarum diligentia, quam ea in re ponunt. Cap. II.

MVLIERVM in ſe ornando ſtudium, nimiamque diligentiam oſtendere volens Terentius, ita cum ſtomacho loquentem facit Clitiphonem Heautontimor.

Non cogitas hinc longius abeſſe, & noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Quibus verbis abundè inſectatus eſt fœminarum vitium in pulchritudine comparanda, quod alij longiore ſermone, ac paſsim vituperare non deſinunt, nanque omni tempore hoc vitium ſe extulit, magnumque campum ſcriptoribus reliquit, vbi eloquentiæ vires exercerent, & Clemens quidem Alexandrinus, cùm & vt philoſophus, & vt Chriſtianus ſuæ ætatis luxum amplius iam ferre non poſſet, ad huiuſmodi vitium coercendum multa præcepta ſibi exquirenda eſſe putauit, quæ in libros Παιδαγόγου coniecit: ſed vt propius ad Latini poëtæ mentem accedam, exiſtimo ipſum illic Sybaritarum morem reſpexiſſe, apud quos legem fuiſſe produnt, anno priore mulieres inuitandi, ſi quas ad conuiuium, aut publicum aliquod ſacrificium intereſſe vellent, concedebant enim ipſis illud ſpacium, quo ſe comere, atq; ornare per ocium poſſent: meminit autem huius legis Plutarchus in Conuiuio ſeptem ſapientum, neque non Athenæus δειπνοσοφιστῶν lib. 12. his verbis. Συβαρῖται ἐξωκείλαντες εἰς τρυφὴν, ἔγραψαν νόμον τὰς γυναῖκας εἰς τὰς ἑορτὰς καλεῖν, καὶ τοὺς εἰς τὰς θυσίας καλοῦντας πρὸ ἐνιαυτοῦ τὴν παρασκευὴν ποιεῖσθαι, ἵνα ἀξίως ποιούμενοι τοῦ χρόνου, τῶν θ' ἱματίων καὶ τοῦ λοιποῦ κόσμου, προάγωσιν οὕτως εἰς τὰς κλήσεις. hoc eſt. In delicias ſoluti Sybaritæ legem ſanxerunt, vt mulieres ad feſta vocarentur, atque eas, quæ vocarentur ad ſacrificia, oportebat per annum priorem apparatum comparare, quò dignum tẽpore veſtium, aliuſque mundi muliebris facientes in conuentus adducerentur: neq; verò hoc cuiquam incredibile videbitur,

qui de Sybaritarum luxu cognita habuerit, quæ apud diuerſos ſcriptores huius generis plura memoriæ prodita ſunt.

Lucretii locus animaduerſus. Cap. III.

FVNGI verbum idem valere interdum, quod pati adeò nouum, atque inuſitatum mihi videri ſolet, vt dubitem quandoque de ſinceritate ſcripturæ Lucretiani codicis, vbi ſemel atque iterum ea vox hac notione vſurpari videtur, veluti cùm de animo loquens inquit.

Præterea pariter fungi cum corpore. Rurſus.

Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum.

Ac ſæpe etiam alibi, quibus omnibus in locis Beroaldus, Lambinus, Gyſanius, cæteri dictum eſſe putant fungi pro pati, id eſt, atrum pro candido, noctem pro die: quòd ſi meum ſuper hac re conſilium aperire liceat (cur autem non liceat, in hoc præſertim ſcriptionis genere?) malim legere pungitur minimæ ſanè, ac tantùm nulla mutatione: quis .n. non videt facillimam fuiſſe librarij ſcriptoris lapſionem in formandis duobus illis elementis, in quibus omnis reſidet difficultas? cæterum ita loquitur idem poëta.

At non eſſe tamen perplexis endopedita,
Pungere vti poſſint corpus, penetrareque ſaxa. Ibi tamen
At facere, & fungi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Ferè admiſerim fingi. atque hæc mea pura puta coniectura eſt, cui ſi vetuſti alicuius exemplaris auctoritas acceſſerit, non verear opinionem in certiſsimam, exploratiſsimamque ſententiam conuertere: interim tamen lectoris iudicium eſto.

Nihil firmi attuliſſe Muretum cur potius inficetum, quàm infacetum dicendum ſit. Cap. IIII.

PARVM certum, ac firmum attulit argumentum M. Antonius Muretus ad ſuam de voce inficetus opinionem muniendam, nam quid ſit, quamque vim habeat ad id nobis perſuadendum, quòd multa huic ſimilia vocabula, eiuſdemque propemodum compoſitionis eo pacto Latinè efferantur, ego non ſatis perſpicere queo, ac poſſum ſanè nullo negocio totidem, longèq; etiam plura illis contra obijcere, atque ita ipſius argumenti robur non mediocriter labefactare: Mureti ſuper hac re ſententia, ne quemquam lateat, poſita eſt Var. lect. 8. cap. 12. atque in ſumma hoc ſibi vult: vocis infaceti ſecunda ſyllaba ſcribi, pronunciariq; debet per tertiã vocalem, non quõ hactenus vſu inualuit, per primam, vt ſit inficetus, non infacetus, auctoribus vetuſtis

tuſtis codicibus, nec non Angelo Politiano, & Hermolao Barbaro doctiſsimis viris: denique plura eiuſdem generis vocabula non aliter proferuntur, dicimus.n. ab æquo non inæquus, ſed iniquus, & ab amico, non inamicus, ſed inimicus, & ab eo quod eſt ſapiens, non inſapiens, ſed inſipiens, & à facio non infacio, ſed inficio, ſic à faceto, non infacetum, ſed inficetum dicendum videtur: horum quodlibet argumentorum quam vim habeat, nemo non videt, quocirca non ero longior in eis confutandis, vnum tantùm ſilentio non prǽterierim, quod firmius, ac ſolidius cuipiam videri poſſet, nimirum illud, quod ab exemplo depromptum eſt: in quo primùm animaduertere oportet, non reſpondere exemplum vocis æquo huic noſtræ, quam in manibus habemus, neque eiuſdem eſſe generis; deinde à facio non fit inficio, quod eſt tingo, vt putauit Muretus, id.n. verbum ſimplex eſt, nec aliunde originem petit, ſed à facio per negationem dicitur infectus, non infictus: reſtant duo exempla, quibus ego totidem, ac longè plura oppono, vt omnem argumenti vim penitus conuellam: dico igitur ab amœno fieri inamœnum, non inimœnum, ab arato inaratum, non iniratum, à fabrefacio infabrefactum, & infabre apud Pacuuium, non infibrifactum, & infibre, & à farcio infarcio, aut infercio, certè non infircio, à paſco impaſtum, non impiſtum, à fando infandum, non infindum, à ſano inſanum, non inſinum, à mane, quod eſt bonum, immane pro non bono teſte Macrobio, non immine: ab amabili inamabile, non inimabile, ab animo inanime, non inimime, & vt magis adhuc Mureti coniecturam debilitem, oſtendamque ipſum parùm certam regulam in hac re tradenda ſequutum fuiſſe, addo illa altera: à damno fit indemne, non indimne, ab armis inerme, non inirme, ab arte iners, non inirs, ab apto, ineptum non iniptum, & reliqua huius generis plura: his igitur ita breuiter conſtitutis, ne ſim longior, idem mihi de Mureto iure dicere poſſe videor, quod olim de Scipione Africano Paulli filio dixiſſe Lucilium ſcribit Feſtus, cuius verba ponit hunc in modum.

Quo facetior videare, & ſcire plus quam cæteri
Pertiſum hominem, non perteſum dicere ferunt:

Vnde putiditatis vitium, & nimis affectatæ in loquendo diligentiæ Scipioni obiectum fuiſſe apparet.

Deleta macula ex Oratione pro lege Manilia. Cap. V.

LOCVM hunc M. Tullij ex Oratione pro.l. Manilia plures emendare conati ſunt, conſtat.n. corruptum eſſe in voce Ecbatanis, cùm ciuitas illa in Media ſita eſſet, eiuſque prouinciæ caput agno-

ſceretur, nec Mithridatis imperio ſubeſſet: Ciceronis verba ſunt hęc.
„ Mithridates autem omne reliquum tempus non ad obliuionem vete-
„ ris belli, ſed ad comparationem noui contulit, qui poſtquam maxi-
„ mas edificaſſet, ornaſſetque claſſes, exercituſque permagnos, qui-
„ buſcunque ex gentibus potuiſſet, comparaſſet, Boſphoranis finitimis
„ ſuis bellum inferre ſimulaſſet; vſque in Hiſpaniam legatos Ecbata-
„ nis miſit ad eos duces, quibus cum tùm bellum gerebamus. Ioannes itaque Scoppa tentauit reponere Iaccetanis, quo facto mendum potius mutauit, quàm ſuſtulit, ſic .n. mihi nihilo res clarior euadit, exortus deinde eſt Franciſcus Luiſinus, qui optimam & ille quidem voluntatem nihilo tamen feliciore ſucceſſu ad maculam illam eluendam attulit; eius ſuper hac re ſententia poſita eſt παρέργων libro 3. cap. 31. ſi quis eam velit diligentius conſiderare: vbi etiam Hieronymi Arloti coniecturam inſpicere poterit, nam ego breuitatis cauſſa vtramq; referre ſuperſedeo: Mihi denique legendum videtur omnibus alijs reiectis caſtigationibus, vel ex Bactrianis, aut etiam ex Baſtarnis, ita (ni fallor) Ciceronis mente, ipſarumque adeò literarum tractu in voce corrupta ſuadente: ſunt .n. Bactriani, ſicut & Baſtarnæ populi ſupra Pontum habitantes, vt ſcribit Strabo, quibus regionibus tunc temporis Mithridates imperabat: ipſius .n. regni fines
„ ita deſcribit Athenæus lib. 5. Βασιλεὺς Μιθριδάτης, κρατεῖ μὲν Βι-
„ θυνίας, καὶ τῆς ἄνω Καππαδοκίας, κρατεῖ δὲ τῆς συνεχοῦς Ἀσίας ἁπά-
„ σης ἄχρι Παμφυλίας καὶ Κιλικίας· καὶ βασιλεῖς μὲν αὐτῷ Ἀρμενίων
„ καὶ Περσῶν δορυφοροῦσι· δυνάσται δὲ τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν, καὶ τὸν
„ ὅλον Πόντον κατῳκισμένων ἐθνῶν ἐν περιμέτρῳ τρισμυρίων σταδίων,
hoc eſt: Mithridates rex, Bithiniæ, ſuperioriſque Cappadociæ factus eſt dominus, totamque Aſiam ad Pamphyliam vſq; ac Ciliciam poſsidet; Armeniorum, Perſarumq; regibus ſtipatus incedit, omnibuſq; potentibus earum nationum, quæ circa Mœotidem, totumq; Pontum intra triginta milia ſtadiorum incolunt.

Mendum ex Plinio ſublatum in Fabatę familię nomine. Cap. VI.

VALDE vtile ſemper exiſtimaui diuerſorum ſcriptorum ſententias ſuper eadem re perpendere, eaſque tanquam in lance poſitas diligenter examinare, fit .n. hoc pacto, vt perfectam, abſolutamque cuiuſque rei cognitionem habeamus, ingeniumque acuamus ad dignoſcendum verum à falſo, & de aliorum ſcriptis prudenter iudicandum: itaque ingens operæpretium me feciſſe arbitror, qui multos diuerſorum vtriuſque linguæ ſcriptorum locos de eadem re vel idē, vel diuerſum memoriæ prodentium collegerim, & in propinquo

collocauerim, cuius meæ diligentiæ ſpecimen aliquod præbere nunc volo. Gentis Fabiæ nominis origo vnde tracta, deriuataq; ſit, non cõuenit inter ſcriptores; Plinius etenim grauiſsimus harũ rerũ teſtis à fabarum ſatione deſumptam fuiſſe autumat, inquit.n. Iam Fabiorum,
„ Lentulorum, Ciceronum, vt quiſque aliquid optimè genus ſereret: at Plutarchus non minoris ponderis auctor aliunde ἔτυμον petit; ac de ſatione fabarum ne verbum quidem; nam Fabij Maximi vitam deſcribens in ipſo ſtatim veſtibulo de nominis originatione diſpu-
„ tans, inquit. Νυμφῶν μιᾶς λέγουσιν. οἱ δὲ, γυναικὸς ἐπιχωρίας Ηρα-
„ κλεῖ μιγείσης περὶ τὸν Θύβριν, ποταμὸν, γενέσθαι Φάβιον. ἄνδρα,
„ πολὺ καὶ δόκιμον ἐν Ρώμῃ τὸ Φαβίων γένος, ἀπ' αὐτοῦ παρασχόντα.
„ τινὲς δὲ τοὺς ἀπὸ τοῦ γένους τούτου, πρώτους τῇ δι' ὀρυγμάτων χρησα-
„ μένους ἄγρα; Φοδίους ἱσοροῦσιν ὀνομάζεσθαι τὸ παλαιόν. οὕτω γὰρ ἄχρι
„ νῦν αἱ διορυγαὶ φόσσαι. καὶ φόδερε τὸ σκάψαι καλεῖται. χρόνῳ δὲ τῶν
„ δυοῖν φθόγγων μεταπεσόντων, Φάβιοι προσηγορεύθησαν. quorum verborum hæc eſt latina ſententia. Ferunt vna Nympharum Fabium genitum eſſe, quidam verò Herculem apud fluuium Tyberim cum muliere eius loci incola congreſſum habuiſſe aſſerunt, & Fabiũ virum optimum, à quo Fabiorum Familia Romę initium habuit genuiſſe. Quidam autem priſcos huius generis viros, quòd primum venandi per foſſas morem induxerint, à fodiendo Fodios olim appellatos memoriæ prodiderunt: deinde mutatis literis, lapſa loquendi conſuetudo Fabijs cognomen fecit: Et tamẽ exiſtimare licet vix ignorare potuiſſe Plutarchum illam alteram à Plinio traditam originationem, ſi veram putaſſet, in promptu.n.erat, & cognitu minimè difficilis, eiuſque proculdubio meminiſſet, cùm id locus tunc maximè expoſceret: hac igitur coniectura ductus, & quoniam Plinius de familiarum cognominibus, non de gentium nominibus ibi loquitur, ſuſpicor locum mendo non vacare; atque ita reſtitui oportere. Iam
„ Fabatorum, Lentulorum, Ciceronum, & reliqua: Fabatus.n. cognomen fuit Calphurniæ gentis, ex qua L. Calphurnius Fabatus proſocer Plinij Nepotis, ad quem extant plures eiuſdem Plinij epiſtolæ: Reſtitutum igitur habemus Plinij contextum, in quo valde hæſiſſe videtur Carolus Sigonius, atque ita quidem, vt inde ſe explicare nequiuerit; tanquã vir ille totius Romanæ antiquitatis peritiſsimus in libello De Nominibus Romanorum, vbi de cognominibus ab arte, & ſtudio aliquo ſumptis diſputat, Pilumni, Lentuli, Ciceroniſque cognominum meminit, non obſcurè hunc Plinij locum deſignans, de Fabiorum autem, vel, vt ego legendum admonui, Fabatorum mirum ſilentium agit, quod tamen ita dictum velim, vt de præſtantis viri laude nihil quicquam à me detrahi exiſtimetur.

Martialis epigramma declaratum. *Cap. VII.*

EXTAT Martialis diſtichum in cauponem huiuſmodi.

Continuis vexata madet vindemia nimbis:
Non potes, vt velles, vendere caupo merum.

Ad quod intelligendum quid nobis propoſuerint Nicolaus Perottus, & Domitius Calderinus eius poëtæ interpretes, omnes inſpicere poterunt; quid ego in commune conferam, hinc iam planum facere aggrediar. Iocatur ab ambiguo Martialis in cauponem fortaſſe Rauenatem illum, de quo aliàs.

Callidus impoſuit nuper mihi caupo Rauennæ,
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

Dunque videri cupit ſummam fidem ſe in ipſo commendare, qui nõ ex cæterorum cauponum conſuetudine vinum dilutum hoſpitibus ſuis apponere ſoleat, ſed merum, ac nulla prorſus aqua permixtum, ipſum interim tectè vituperat, communique cauponum vitio affinem eſſe demonſtrat: dicit.n. ſe perſuaſum habere, cauponem illum non leuiter ferre, quod ob pluuioſam vindemiam nequeat hoſpitibus apud ſe diuertentibus vinum meracum præbere, quemadmodum cuperet, vua.n. illa ipſo vindemiæ tempore collecta multam aquam contraxerat, quæ vinum meracum eſſe non ſineret; in quam ſententiam luſit etiam alibi ad Ouidium hoc epigrammate.

Vindemiarum non vbique prouentus
Ceſſauit, Ouidi, pluuia profluit grandis,
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Videtur igitur hoc velle dicere Martialis: quoniam vindemia madet vexata continuis nimbis, non potes, ô caupo, vendere vinum, vt velles, id eſt purum; ſed tamen interim tacito ſenſu intelligi vult cauponam illum cupere quidem vinum infuſcatum, vt loquitur Plautus, ac multa aqua fractum hoſpitibus ſuis exhibere, nihilominus tamen deſiderio ſuo fruſtrari propterea quod vinum illud, quòd ex vua madida, & aquoſa expreſſum eſt, non patiatur aliam inſuper aquam ſibi infundi, ac permiſceri: huiuſm.n. vinum ὑδαρὲς eſt, atque ὀλιγοφόρον, cauponas autem hoc vitio notatos fuiſſe, videlicet quòd vinum infuſa aqua hoſpitibus ſuis miniſtrarent indicio eſt Iulius Pollux: neque non item Suida in voce καπηλικῶσι, quæ & ipſa ab aſtu, ac fraude huiuſmodi inſtitorum ducta eſt, quomodo etiam recentatũ pro vetere exhibebãt; quod Galenus conquerĩt de Cibis boni & mali ſucci: ſed & Theodorus Metochytes in quadã ſua diſputatione Theopompi hiſtorici dictum in Lacedæmonios refert, quod hanc cauponum impoſturam detegit: is.n. Lacædemonios ſimiles eſſe dicebat

impro-

improbarum mulierum cauponam exercentium, quæ hoſpitibus ad ſe diuertentibus vinum initio & guſtatu ſuauè, & vſu ſalubre præbent, callidè id, aſtutèque facientes, vt argentum ab eis eliciant: poſtea verò aliud infundunt vile, & corruptum, & acidum, eòque ipſos vti cogunt: ſic.n.& Lacædemonios initio eius belli, quod aduerſus Athenienſes geſſerunt, callidè feciſſe, vt cæteros Græcos tanquã ſuauiſsimo poculo oblato, allicerent: & quæ ibi ſequuntur. manauit autem hæc fraus aſtu plena ad hæc vſque tempora, quibus huius generis hominum verſutia aut cumulum recepit, aut certè non mediocre ſuſcepit incrementũ: Iam verò tota ambiguitas latet in voce merum, non ſecus atque penes Auſonium in epigrammate in Meroem anum ebrioſam.

Infuſum ſed quòd vinum non diluis vndis,
Potare immiſtum ſueta, merumque merum.

Propertij verſus animaduerſione digni indicati. Cap. VIII.

QVAMQVAM omnes impreſsi, & manu exarati codices mirificè conſentiunt in ſcriptura quorundam Propertij carminum, ſatiſque bonus, commoduſque ſenſus ex ea elicitur, libet nihilominus indicare ingenioſam, atque eruditam coniecturam, quam in libro, qui olim fuit optimi, doctiſsimique viri Marcelli Ceruini, & nunc penes me diligentiſsimè cuſtoditur, adnotatam inueni, vt ſi qui forte maiorem venuſtatem, quàm vulgata lectio præſeferat, in eo poëta requirat, habeat vnde ipſam petere poſsit; videtur .n. mihi neſcio quo pacto concinnior, atque elegantior illius coniecturę ſenſus: ſed Propertij carmina ex vulgatis editionibus prius apponam, deinde quid de eis exiſtimauerit vir ille omni literarum genere politiſsimus indicabo. Propertius igitur elegia ad Lenam ſic inquit.

Dum vernat ſanguis, dum rugis integer annus,
Vtere, ne quis eat liber amore dies:

Horum (vt dixi) verborum ſententia aperta, planaque eſt, nullique prorſus difficultati obnoxia: cæterum quoniam per ingenioſè excogitata mihi videtur illa altera lectio, de qua initio dicere ceperam, volo eam, vtcunque eſt, ſtudioſæ iuuentuti ſpectandam proponere, vt tanquam Apelles aliorum iudicia ex abdito excipiam. Præſtantiſsimus igitur vir Marcellus Ceruinus coniecturam faciebat legi debere

Dum vernat ſanguis, dum rugis integer, annis
Vtere, ne quid cras libet ab ore dies.

Quæ lectio ſi fortè quemquam ſui amatorem inuenerit, (nam ego omnem prorſus auctoritatem defugio) habet, quo ſe ei commendet,

det, nam pari propemodum ratione dictum videtur ab Auſonio epigrammate quodam ad Gallam iam ſeneſcentem.

Dicebam tibi, Galla, ſeneſcimus, effugit ætas,
Vtere vere tuo: caſta puella anus eſt.

Necnon ab Horatio epiſtola ad L. Florum.

Singula de nobis anni prædantur euntes.
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum,
Tendunt extorquere poëmata. Tibull. lib. 1.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede. Ouid. de Arte amandi.
Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minus, & ſpatio carpitur illa ſuo. Papinius Statius.
Exerce formam, & fugientibus vtere donis. Seneca in Octauia.
Florem decoris ſinguli carpunt dies.

Ac ſanè adeò frequens, venuſtaque ſententia eſt illorum verborum, vt nihil prorſus attineat plura exempla diligentius conquirere, itaq; ad alia me conuertam: ac (ne hoc quoque, quod obſeruatione dignũ eſt, prætermittam) conferenda eſt locutio hæc cum pari loquendi figura à M. Tullio vſurpata lib. 3. epiſt. ad Familiar. vbi ſic legitur.

„ Si de tua prolixa, beneficaque natura limauit aliquid poſterior annus: valet. n. limare leuiter imminuere, quæ ſignificatio eſt etiam verbi libare, quo vſus eſt Propertius: itaque indiſtinctè alterum pro altero vſurpatum innuenies. Lucret.

In ſaltibus omnia libant

Pro quo multi codices habent limant.

Quid ſit apud Horatium Ampullæ verborum. Cap. VIIII.

AMPVLLAE vocabulum pro grandibus, inflatiſque verbis, & ampullari, quod eſt magnificè, ac tumidè loqui, vnde tractum, deriuatumque ſit, non omnes planè norunt, nec ij quidem ſatis exploratum habuiſſe videntur, qui alios id ſe docere profeſsi ſunt, atqui res planiſsima redditur ex pauculis admodum Ariſtophanis ver-
„ bis, quæ citantur à Suida in *μυϱιαμφοϱεῖν. πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυ-*
„ *ϱιαμφοϱεῖν, ὅτῳ πϱοσείπω σ'. οὐ γὰϱ ἔχον οἴκοθεν*; i. Vnde accipiam verbum decies mille amphorarum, quo te alloquar, domi. n. non ſuppetit? cùm itaque Horatius ad Piſones ait

Proijcit ampullas.

Intelligit verba, quæ ſui magnitudine ampullas implere queant, nimirum vaſa ampla, & grandi ventre tumentia, vt nomen indicat, à menſura igitur liquidorum ductum eſt ſimile eo in loco, quemadmodum

modum quod ſtatim ſequitur *& ſexquipedalia verba*, ab alio menſuræ genere dimanauit, vt nullo pacto à metaphora poëtam illic diſceſsiſſe exiſtimandum ſit: hæc eadem inflata, & tumentia verba dicta etiam ſunt ab Ariſtophane ῥήματα ἱπποκρημνα, καὶ ἱπποβάμονα .i. in rupium, & ſcopulorum morem grandia, vel ita ſublimia, vt equis vehantur, ἵππος.n. in compoſitione, vocis, cui adhæret, ſignificatum adauget, ſicut admonet Suida: Siquis autem huius generis verborum exemplum aliquod ſibi proponi cupiat, adſcripſi ego duo inſignia epigrammata non ampulloſis modò, & ſexquipedalibus, verum etiam doliaribus, & decempedalibus verbis confecta: ea epigrammata ſunt qui dicant alicubi ſe in Italia in vetuſto marmore inſculpta legiſſe: nonnulli teſtantur eadem ſcripta fuiſſe antiquiſsimis planè characteribus in membrana Patris Achaiæ oppido reperta: ſed, vtcunque ſit, ipſa epigrammata iam audiamus: ac primum quidem, quòd verè pium, Chriſtianumque doctorem deſcribit, eſt huiuſmodi.

Εἱμαπερσηχοφόροι, ἀνυπαχειταλυποπρόσωποι,
Δυλαχρυσολόγοι, ἱεραμισθοδόται,
Αὐτοκαθηματιοσαυροὶ, θεομυνοσεβασαὶ,
Εννομακοιτίλαβοι, παρνακαθαρτόφυγοι,
Αγκυλομισηταὶ, κοσμυσωτηριοδίψαι,
Γνυθματαπεννητόφρονες, κερματατημελέες.
Καρδιαλητάγιοι, κοινωφελιμεργομεληταὶ,
Ειρηνοιόφιλοι, ἁπλοΐκοφρόνιμοι.
Βομβαρδοξιφεσισχοινεγχεσιπυρσοδιῶκτοι,
Βιβλοθεοτριβέες, δογματοθειόσοφοι.
Υψιθεοπρεπέες, καθαρυφωτεργοδιῶκται,
Ορθοφρενίζωοι, οὐρανοκληρονόμοι.

Quod ſeruata, quantum fieri potuit, Græcorum verborum compoſitione, ita Latinè redditum eſt.

Veſtedecentigeri, ſedatoſimpliciuulti;
Confitipeccati, gratidocentiſacri.
Secruciquottidieſugi, Deiſolicolentes,
Connubicaſtiſequæ, turpiuolupticauæ.
Curuidoloſperni, totorbiſalutipetentes,
Spiritogenhumiles, fraudepecuniſugæ.
Veranimoſancti, communiacommodicuræ,
Pacificatores, candidacordeuoti.
Bombardagladiofunhaſtaflammipetiti,
Bibliaſacricolæ, dogmaperitodei.
Summideogeniti, pureluciſtudioſi,

Mentebonauiui, cœlicaregnipetæ.

Alterum huic planè contrarium ita ſe habet.

Εἱματολουκοφόροι, φαινοσκυθρωπόπρωποι,
Ζυποδιεργόβιοι, χρηματομισσοπρᾶται,
Χριστοκαθημαστιοσαυροὶ, εἰδωλοσεβασταί,
Λεκτροδικαιόφυγοι, πορνολαθραιοτρόφοι.
Ἐξαπατησιάδαι, κοσμουπαντυπεροπουταί,
Καλλιστριχιπποβάται, κερματοθηρασίδαι.
Φαιναγιόφθαλμοι, ὀλοοφρενιλαθραφυτουταί,
Αἱματοδιψαλέοι, κερδαλεοφρόνιμοι.
Βομβαρδοξιφεσισχοινεγχεσιπυρδιάλεκτοι,
Βιβλοθεκφυγάδες, κοσμοματαιόσοφοι.
Διαβολοσπερέες, παγχοσκοτεργοδιωκταί,
Ὀρθοφρένιπλανοι, ταρταρεριννύμεροι.

Quod & ipſum eodem modo ſic Latinè conuerſum reperi.

Candidaueſtigeri, facieſimulanteſeueri,
Pulchroperotumidi, miſſapecunifices.
Quotidie Chriſtocrucifigi, idolicolentes,
Connubiſanctifugę, clammeritricilegæ.
Verſidolopelles; totorbiperambulitechnæ,
Alticaualleq́uites, fraudipecunilegi.
Fictoſanctoculi, mentexitioſiſerentes,
Sanguinicrudibibæ, pectorecelidoli,
Bombardagladiofunhaſtaflammiloquentes,
Bibliaſacrifugæ, deſipidiſcioli,
Nigrideonati, craſſætenebriſtudioſi,
Mente bona priui, tartarerinnypetæ.

Circumfertur & hoc quoque diſtichum neſcio quo auctore.

Conturbabantur Conſtantinopolitani
Innumerabilibus ſollicitudinibus.

Huiuſmodi vocabulis, præter cæteros, vti ſolent poëtæ Dithyrambici & Galliambographi, vnde illa ſunt apud Catullum, fœmorigena, giganticida, celeripedes, hedericomum, ſiluicultrix, nemoriuagus, atque alia huius generis plura, quorum cauſſa ipſi dithyrambi audaces dicti videri poſſunt ab Horatio.

Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit.

Sed plura fortaſſe, quàm oportuit.

Ioannes Brodæus reprehenditur in emendatione cuiusdam Ciceroniani loci. Cap. X.

VIDE quid agas Brodæe? nimis patens feneſtra tuo exemplo ſcio lis, atque audaculis iſtis aperitur, ſi ad immutandos veterum ſcriptorum contextus tua hæc ratio ſatis eſſe debet. Ego ita malim. Permittamus Pythagoram ita loqui, nos, qui doctrina, atque eruditione veteribus illis pares non ſumus, ſolidiora noſtrarum ſententiarum fundamenta iaciamus. Hæc ideò à me dicta ſunt, vt lectio in Ciceronianis codicibus conſeruetur, in quibus ita ſcriptum eſt: Ponã autem verba eo modo, quo modo à te, Brodæe, citata video, nam in meo codice nuſquam Strato comparet, ait itaque M. Tullius Offic.
„ primo. Hinc Rhetorum campus de Maratone, Salamine, Plateis
„ Thermopylis, Leuctris, Stratoque. Tu deles poſtremam dictionem, eiuſque loco ſubſtituis Cytheris, & inquis. Ego Cytheris, non Strato malim. Κύθηρα neutro genere inſula eſt: in qua tuenda ſingularis Athenienſium virtus enituit. Eſt ita ſanè, mi homo; ſed & Strato vrbs fuit Acarnaniæ, circa quam multa millia barbarorum à Cnemo Lacedæmoniorum imperatore cæſa fuerunt, auctore Thucydide: eius vrbis meminit etiam Strabo, vt hinc iam ſatis intelligere poſsis, nullam fuiſſe cauſam, cur quicquam in eo Ciceronis loco innouares, quamquam (vt dixi) vulgatæ editiones eam vocem non agnoſcunt.

Strabonis contextus, qui librariorum culpa in viri nomine corruptus erat, caſtigatus. Cap. XI.

DISCRIMEN intercedit duarum literarum in viri cuiuſdam nomine inter Brachmanos primarij appellando, quod non eodem pacto apud Plutarchum, quo apud Strabonem ſcriptum reperitur, nam quem hic Μάνδανιν, ille alter Δάνδαμιν nuncupare mauult, quod ſanè poſtremum rectum puto, atque ideo in Strabonis codices poſtliminio reuocandum, videlicet vt cum Plutarcho penitus cõſentiat, pro quo Arrianus fideiubet in hiſtoria de Alexandro: poſthac igitur conſultius fuerit ita legere illic apud Strabonem. Ἀπογεν-
„ μένῳ δ' αὐτῷ (Oneſicritum intellige) Δάνδαμιν, ὅσπερ ἦν πρεσ-
„ βύτατος καὶ σοφώτατος αὐτῶν. & cætera. Lucianus in Toxari Dandamidis cuiuſdam meminit, quem arctiſsimo amicitiæ vinculo cum Amizoca quopiam coniunctum fuiſſe narrat; ſed, vt dico, Dandamida ipſum vocat, non Dandanim.

Martialis carmen expenſum de natura ſuilli pecoris. Cap. XII.

GLANDIS plenum ſinum habuiſſe intelligere poſſumus porcariam illam, de qua dictum eſt à Martiale epigrammate ad Baſſum de villa Fauſtini.

Auidi ſequuntur villicæ ſinum porci.

Conſueuerunt enim ſuum cuſtodes aliquantum glandis ſecum ferre, quam identidem ſuibus obijciant, vt ipſos alliciant ad ſequendũ, qui alioqui palantes ferrentur ſpreto cuſtode: hanc ſententiam adiuuat vox auidi porcis adiecta: Alio deinde conſilio dictum eſt à Tibullo.

Non agnamue ſinu pigeat, fœtumue capellæ
Deſertum oblita matre referre domum.

Vt verba ipſa manifeſtò demonſtrant: Quamquam autem bonus ſenſus colligatur ex Martialis carmine ita, vt propoſui, exarato, non eſt tamen ignorandum alicubi ſcriptum reperiri ſonum ἀντὶ τοῦ ſinum, cuius lectionis ratio eſt, quia ſuillum pecus porcarij vocem agnoſcit, &, ſi ab eo aberrauerit, ipſum vocantem intelligit: ὗ ὗς γνωρίζει
" (inquit Ælianus) τοῦ συβώτου τὴν φωνὴν· καὶ ὑπακούει καλοῦντος, κἂν ᾖ πλανηθεῖσα. hiſtoriam quandam narrat illic Græcus auctor de piratis quibuſdam, qui porcorum gregem abactum in nauem impoſuerant, vt ſecum aſportarent, inquit enim, quòd illi ſues paſtorum voce audita ita alterum nauis latus inclinarunt enatare cupientes, vt nauim euerterent: ad quam hiſtoriam reſpiciens Plinius ita breuiter ſcriptum reliquit. Compertum agnitam vocem ſuarij furto abactis,
" merſoque nauigio inclinatione lateris vnius remeaſſe. Hanc ſuum facilè ſequendi cuſtodem naturam intuitus eſt Ariſtophanes, cùm dixit in Pluto.

Ὑμᾶς δὲ γρυλλίζοντες ὑπὸ φιλυδίας,
Ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι. ac rurſus haud ita longè
οὐδ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖ,
Ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.

His ego auctoritatibus munire volui hanc poſtremam ſcripturam, vt eius retinendæ lectori deſiderium ingererem: ſuadeo, non cogo.

Plinii locus, qui maculam continere videbatur, ex ingenio reſtitutus. Cap. XIII.

NON libet meo periculo affirmare Plinij locum eſſe corruptum illic, vbi de gemmis, earumque probandarum ratione agitur; ſed, ſi ad meam coniecturam vetuſti alicuius exemplaris auctoritas accedat, auſim equidem vel pignore depoſito contendere, verba hæc

„ ita legi oportere. Tantaque differentia eſt, vt aliæ ferro ſcalpi non „
„ poſsint, aliæ non niſi recuſo, verùm omnes adamante. non quomo- „
do paſsim videre eſt, retuſo. Vt dicat Plinius, quaſdam gemmas reperiri adeò ſolidas, ac duras, vt ferrum omninò reſpuant, nec cælaturam prorſus admittant; aliquas autem huiuſmodi eſſe, vt quamuis ferro ſcalpi queant, neceſſe tamen ſit ipſum crebrò redacuere, vtpote cuius acies ſæpè retundatur, atque hebetetur? Ac de ſententia quidem ita ferè mihi videtur: de vocis notione fideiuſſorem dabo Horatium, cuius illud eſt Ode quapiam.

ò vtinam noua
Incude defigas recuſum in
Maſſagetas, Arabaſque ferrum.

Sic.n. hunc locum legi oportere docti quidam viri iampridem admonuerunt: ſed hæc (vt dixi) mea coniectura ſit interim, dum certius quippiam vetere aliquo codice prælucente nobis appareat; nanque interim negari non poteſt, quin aliqua non omninò mala ſententia colligi queat ex verbis eo modo conceptis, quo modo vulgatæ editiones præſeferunt; videtur.n. opponere voluiſſe Plinius rem penè contrariam ei, quod primo loco dixerat, vt aliæ ferro ſcalpi non poſsint, cùm ait, aliæ non niſi retuſo. vt hæc ſit tanta illa differentia, de qua prædixerat: ſed tamen gemmas aliquas inueniri, quæ non niſi ferro retuſo cælari queant, neque ratione, neque ipſa experientia, quantùm quidem hactenus ſcire potui, compertum eſt; quam vnam ob cauſſam de Plinij contextus ſinceritate dubitare cogor: referam tamen de tota re ad gemmarum ſcalptores, ac tùc demum videro, quid ſtatuendum mihi ſit de hoc loco.

Argumentum Achilleum vnde dicatur, & locus quidam Ariſtotelis aliter, ac fecerit Petrus Victorius, explicatus. Cap. XIIII.

CVIVSMODI fuerit, atque vnde nomen traxerit captionis illud genus, quod Zeno philoſophus Achillem vocare conſueuerit, non conuenit inter eruditos, deque ea re diuerſæ opiniones circumferuntur: quibus nec fidem interim preſtare, nec prorſus tamen derogare placet: animi mei ſenſum duntaxat expromam, vt maiorem deliberandi facultatem eruditis viris præbeam pluribus ſententijs in medium allatis. Cùm Zenoni Stoicorũ principi propoſitum eſſet, motum ex rerum natura auferre, quatuor præcipuè rationibus vti conſueuit, quibus id, quod volebat, ſe confeciſſe arbitrabatur. ſecundam rationem ad hanc rem oſtendendam adhibitam vocabat Achillẽ,

cuius

" cuius ita meminit Ariſtoteles *φυσικῆς ἀκροάσεως. ζ. Δεύτερος δὲ ὁ*
" *καλούμενος Ἀχιλλεύς. ἔστι δ' οὗτος, ὅτι τὸ βραδύτερον οὐδέποτε κατα-*
" *ληφθήσεται θέον ὑπὸ τοῦ ταχίστου. ἔμπροσθεν γὰρ ἀναγκαῖον ἐλθεῖν τὸ*
" *διῶκον ὅθεν ὥρμησε τὸ φεῦγον. ὥστ' ἀεί τι προέχειν ἀναγκαῖον τὸ βρα-*
δύτερον. hoc eſt. Secunda vero eſt, quæ Achilles nuncupatur, quę eiuſmodi eſt, quòd res, quæ celerrima eſt, id nunquam aſſequetur quod tardiſsimo rapitur curſu. Id enim quod perſequitur, neceſſa rio eò antè venire, vnde id, quod fugit, diſceſsit. Ita fieri vt id, quod tardius eſt, reliquum aliquo ſpacio neceſſariò præueniat. Exiſtimo Zenonem argumentationi ſuæ nomen indidiſſe curſum reſpicientem Achillis, qui, vt cum Hectore congrederetur, ipſum currentem, ac pugnam detrectantem diù perſequutus eſt, ac vix tandem poſt longos circa mœnia Troiæ circuitus aſſequi potuit; res extat apud Homerum Iliad. χ.

Τῇ ῥα (inquit) *παραδραμέτην, φεύγων, ὁ δ' ὄπισθε διώκων.*

Hoc eſt. Hàc cucurrerunt, alter fugiens, alter à tergo perſequens: ac rurſus non ita multis interiectis hac imagine vtitur poëta ille.

Ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν,
Οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν.
Ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι.

Hoc eſt. Quemadmodum in ſomno non poteſt fugientem inſequi, neque hic hunc poteſt effugere, neque is inſequi: ita hic hunc non poterat aſſequi pedibus, neque hic euadere. Quod de Achille, & teſtudine comminiſcuntur interpætes, cùm auctore careat, meritò mihi probari nequit: commodius certè duci videtur ſophiſmatis nomen à nobili aliqua fabula, cuius mentio extet apud ſcriptorē aliquē: Ac Stoicos ſanè, eorumque principem Zenonem inde argumentationum ſuarum nomina deriuare conſueuiſſe indicat *Ἠλέκτρα, κροκόδειλος, κέρατα, οὔτις*, quorum meminerunt, præter cæteros, Lucianus, & Laërtius; illud inſuper ſcire oportet, non conſentire ſcriptores in auctoris nomine, qui primus Achillem vſurpauerit, nam Phauorinus Parmenidi, alij Zenoni hoc inuentum tribuunt. Iam verò quod eodem in loco vtatur voce *τετραγῳδημένον* Ariſtoteles, inde euenit, quia Stoici magno quodam ſpiritu, & quaſi inflatis buccis proferre conſueuerunt illa verba, *ὅτι οὐδὲ τὸ τάχιστον διώκειν τὸ βραδύτερον*: quomodo ferè perſonæ tragicæ loqui introducuntur; vnde *τραγικῶς λέγειν* dictum eſt, & *ἐκτραγῳδίζειν*. Porrò apud M. Tullium Pro Milone Tragœdias excitare valet, turbas dare, & diſſenſionum, grauiſsimarumque altercationum materiam præbere, cuiuſmodi altercationibus, & controuerſijs Tragœdias omnes refertas eſſe conſtat. atque hæc mihi adnotare libuit in gratiam Petri

Victorij

Victorij, qui cùm & ipſe quoque de hac tota re diligenter quęſiuiſſet, nihil tamen inuenit, cui meritò acquieſcere debeat.

Angeli Politiani commentum de pigro Ocno apud Propertium refutatum, & quomodo illic legi debeat oſtenſum. Cap. XV.

ARRISIT literatis viris Politiani commentum de pigro Ocno in Propertij carmine hoc.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternamque tuam paſcat, aſelle, famen.

Pro eo quod antea legebatur orno: Nec mirum ſanè videri debet; quis enim Politiano duce in his mitioribus diſciplinis ſe labi poſſe vereatur? quæ etiam cauſa effecit, vt hunc locum timidè, ac pedetentim attingerem: ſed quid agendum, cùm nobis veritas aliter ſuadet, & nos capillis quaſi retrahit à praua aliorum ſententia? pareamus numini, & quod ſummo iure, literatorumque omnium exemplo facere licet, oſtendamus veterem ſcripturam germanam eſſe illius loci, neque inde vllo pacto expungi debere. Περιφραστικῶς exprimere voluit Propertius inſtrumentum illud, quo ſpartum, ſeu cannabis, aliaue materia in funes contrhai ſolet, itaque ornum dixit, ipſam arborem capiens, κατὰ τὴν συνεκδοχὴν, pro quolibet ligno illi inſtrumento efficiendo accommodato, ita.n. poëtæ loqui ſæpè conſueuerunt; ac fortaſſe ornus, præ cæteras arbores, in eum vſum expetebatur, certè poëtæ ſibi licere volunt ſpeciem pro ſpecie ſuo arbitratu ponere; itaque Valerius Flaccus de haſta Achillis dixit.

Tantum hæc altis excelſior haſtis,
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.

Neque non item Auſonius epiſtola quadam ad Paulinum.

Aut pręter dominum vibrabilis ornus Achilli.

Cùm tamen illius herois haſta fraxinea eſſet vel Homero teſte.

Πηλιάδα μελίην. τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων.

Quò Plinium reſpexiſſe veriſimile eſt, cùm inquit. Procera hæc, ac
„ teres, pennata & ipſa folio, multùmque Homeri præconio, & Achil
„ lis haſta nobilitata. Sed hæc iam præter rem eſſe videntur, & nos ſuperius quippiã tetigimus de hoc ipſo figurę genere: itaque redeo ad id, quod initio dicere ceperam. Sumpſit Propertius ornum pro quouis ligno, eidemque epithetum addidit ex re promptum, nimirum, obliquam, verboq; inſuper vſus eſt ad id, quod voluit, oſtendendum appoſitiſsimo, id eſt torquere, vt hoc modo cuncta rectè conueniant, cùm ex aduerſo nulla certa ratio reddi poſsit, cur Ocnum obliquum appellauerit poëta: Denique obſcurum Propertij ſenſum Iuuenalijs

aperire

aperire voluiſſe propemodùm exiſtimari poteſt, cùm inquit,

Dummodo ne pereat, mediȩ quod noctis ab ora
Sediſti, qua nemo faber, qua nemo ſedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro.

Confer hoc poſtremum Iuuenalis carmen cum illo Propertij

Dignior obliqua funem qui torqueat orno.

Et ſtatim intelliges nullam cauſſam fuiſſe, cur veterem ſcripturam tentare debuerit Politianus: Scio ego difficillimum omninò eſſe, ac fere ἀδύνατον hunc inueteratum errorem ex animis hominum euellere, præſertim cùm ei Politianus (qui vir, & quantus) fauorem apud vulgus, & gratiam auctoritate ſua conciliauerit; ſed tamen committendum non fuit, vt rei veritas diutius lateret, cuius ea vis eſt, vt aduerſus quantamuis Politiani auctoritatem facilè ſe tueri poſsit.

Diuerſȩ quędam ſententiæ duorum ſcriptorum de eadem re prolatæ. Cap. XVI.

FORTES qui eſſent, non ſolùm Martis, verum etiam Neptuni filij dicti ſunt: hinc Theſeus, cùm Ægȩo patre, Æthra matre natus eſſet, ob incredibile corporis robur Neptuni filius exiſtimatus eſt: tradit autem hoc Ioannes Tzetzes his verbis.

Θησεὺς ὑὸς ἦν Ἀττικοῦ Αἰγέως, καὶ τῆς Αἴθρας.
Ὡς δ' ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τοῦ Ποσειδῶνος.
Τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας, καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους,
Υἱοὺς καὶ φίλους, ἐραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.

Quod perinde eſt, ac ſi dicas. Theſeus filius fuit Attici Ægæi, atq; Æthrȩ: filium autem Neptuni tanquam virum fortem appellauerunt; Quoniam omnes animoſos, ac fortes filios eſſe, & amicos, & amaſios Neptuni dicunt: Quod libuit adnotare ob Gellij ſententiam huic aliquo pacto contrariam, ac repugnantem: is .n. ferociſsimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dictos fuiſſe tradit, veluti Cyclopam, & Cercyonam, & Leſtrygonas: atqui Theſeus tantum abeſt, vt ferox, & immanis fuerit, vt hominibus huiuſcemodi moribus præditis infenſiſsimum ſe præbuerit, quod pluribus expēlis oſtendit Plutarchus in ipſius herois vita; Gellij tamen ſententia M. Tullij teſtimonio confirmatur, cuius hæc ſunt verba libro De Natura Deorum primo. Quid de ſa-
„ crilegis, quid de impijs, periuriſque dicemus?

Tubulus ſi Lucius vnquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

„ Vt ait Lucilius, putaſſet eſſe Deos, tam periurus, aut tam impius fuiſſet

fuiſſet? hanc etiã opinionẽ ſequutus videtur Lucretius, cùm inquit

Nec mare, nec fluctus frangentes ſaxa crearunt,

Repete tu ἀπο τȣ̃ κοινȣ̃ mortalia ſecla.

Quid intellexerit Lucianus per σφαῖραν ἐκ καλάμου, vbi Iacobi Mycilli verſio notatur. *Cap. XVII.*

LVCIANVS Dialogo; qui Nigrinus, ſiue de moribus philoſophorum inſcribitur, quendam loquentem facit philoſophi partes ſuſtinentem; is narrat ſe quadam die ad Nigrinum acceſsiſſe, ipſumque deprehendiſſe manibus librum tenentem, circum autem vndique multas veterum, atque doctorum hominum imagines iacentes: Poſitam autem in medio fuiſſe dicit tabellam quandam, in qua Geometricæ quædam figuræ deſcriptæ eſſent, ac ſphæram Calani illius, ad exemplum, & imitationem vniuerſi, vt videbatur, compoſitam. Quæſiui ego diligenter, quiſnam tandem fuerit Calanus ille, cuius ſphærã ſubindicauerit illic Lucianus: omnem meam bibliothecam excuſsi, conſului doctos viros, denique nullum non lapidem moui, vt de eo certi aliquid cognoſcerem: quid plura? nihil profeci: adiui iterùm, atque tertiò Græcum Luciani exemplar; in eo denique animaduerti facetiſsimi ſcriptoris verba ſuper ea re ita diſertè legi,

„ καὶ σφαῖρα καλάμου πρὸς τὸ τοῦ παντὸς μίμημα ὡς ἐδόκει πεποιημένη.

Legeram Iacobi Mycilli verſionem, adeòque altè Calanus ille in animum meum ſe inſinuauerat, vt rectam Græci exemplaris ſcriptùram aliquandiù non viderim, perſonante aures meas, atque ob oculos aſſiduè obuerſante Calano illo: demum diſiecta eſt nebula, quæ mihi oculos velauerat, ſtatimque intelligere cepi materiam, ex qua Nigrini ſphæra confecta eſſet, illic denotari, id eſt σφαῖραν καλάμου, non Aſtrologum quempiam, cui nomen fuerit Calano, is.n. fortaſſe numquam natus eſt, eius certè mentio nuſquam extat apud ſcriptores. Calanum Indum noui vnum ex Brachmanibus, qui preſente Alexandro Magno in pyram ardentem ſe coniecit: Cononem item Maronis indicio, cùm ait,

In medio duo ſigna, Conon. &c.

Quod nomen in Luciani codices reponere potuiſſem, ſi audaculos iſtos imitari voluiſſem, qui omnia ſibi licere putant; ſed veritati propius accedere iudicaui, quod prius dixi. Nunc an falſus fuerim, lectori iudicandum relinquo, nam mihi ſatis fuit, quid ego probabiliter ſentirem, planum facere.

Cuiuſmodi fuerit armatura ex ſpongia confecta, cuius alicubi meminit Liuius, & de loricis lineis. Cap. XVIII.

DICAM quod ſentio de hoc T. Liuij loco, quem Henricus Glareanus ingenuè fatetur ſe non intelligere; neque verò id mirum; eius enim obſcuriſsima ſententia eſt, & quæ propterea hominem requirat multæ lectionis, nec minoris iudicij: fuit autem huiuſmodi vir ille; ſed non omnia poſſumus omnes. Hęc Liuij verba ſunt lib. 9. illic, vbi loquitur de armatura Samnitum. „ Forma erat ſcuti: ſummum latius quà pectus, atque humeri teguntur; faſtigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſa: ſpongia pectori tegumentum, & ſiniſtrum crus ocrea tectum. Quis non miretur hoc armaturæ genus ex ſpongia confectum? hoc certè non minorem admirationem habet, quā thoraces illi linei, quibus Chalybes in bellis vſos fuiſſe narrat Xenophon: & tamen ſi res optimè teneatur, nihil abſurdi, aut deridiculi in vtraque armatura deprehendetur. Scribit Polybius antiquos thoraces non habuiſſe, ſed in ſubligaculis periclitari ſolitos, Pauſanias verò tradit priſcos illos heroas, quorum, puto, res geſtas ſuo carmine complexus eſt Homerus, lorica vſos fuiſſe forma planè ſuis illis temporibus inuſitata, eam ipſe deſcribit hunc in modum; Duæ ſunt fibulis iunctæ æneæ laminę: earum altera pectori, & ventri: dorſo altera muniendo erat apta: & partem quidem anticam gyalon, proſegon poſticam vocabant. Satis id firmum eſſe corporis munimentum videbatur etiam ſine clypeo, ob eam rem Homerus Phorcynem Phrygem ſine clypeo pugnantem fecit, quod habili vtrinque lorica vteretur, quam gyalothoracem appellat. Inferioris ætatis homines animaduertentes parùm tutò præliorum diſcrimina adiri in illis armis, firmiores, ac munitiores thoraces excogitarunt, ſimulque ſcuti formam aptiorem, ipſumque ſolidiorem effecerunt, quo qui vterentur, facilè carere poſſe intelligebant firmo illo, ſolidoque thorace, corpus.n.ipſius ſcuti obiectu ſatis muniri videbatur, & ſimul neceſſe erat, militum corpora haud ita ſcuti, cæterorumque armorum pondere prægrauari, atque impediri, vt membra commouere nequirent: hoc igitur incommodum vitarunt, loricę genere reperto, quod & corpus aliqua ex parte tueretur, nec pugnantibus tamen vlli eſſet impedimento: lineas chlamydes conficiebant; caſq; (vt puto) bombyce, ſpongia, lana minutatim diſſecta, aut aliqua huiuſmodi materia referciebant, quæ percuſſa ictum exciperet, ac ſuſtineret, & in qua ferri acies retunderetur: Adducor in hanc ſententiam Pauſaniæ verbis, quę leguntur in Atticis hoc modo. οἱ δὲ θώρακες „ οἱ λινοῖ, μαχομένοις μὲν οὐχ' ὁμοίως εἰσὶ χρήσιμοι. διιᾶσι γάρ καὶ βιαζόμενοι

" *μενοι τὸν σίδηρον. θηρεύοντας δὲ ὠφελοῦσιν. ἐναποκλῶνται γὰρ σφί-*
" *σι καὶ λεόντων ὀδόντες καὶ παρδάλεων*. hoc eſt. Loricæ autem lineæ pugnantibus haud æquè vtiles ſunt: ferro etenim vehementius immiſſo peruiæ ſunt. venatoribus autem proſunt; in illis namque leonum, & pardorum dentes retunduntur. Comparat autem illic Pauſanias Sarmatarum loricas ex equorum vngulis confectas cum lineis Græcorum loricis: Arbitror igitur Samnitum armaturam ſpongia conſtaſſe, id eſt chlamydes ipſorum eo quaſi tomento refertas fuiſſe, quò telorũ ictus retundurentur: Nam alioquin videre nequeo quomodo loricæ illæ abſq; alquo huiuſmodi tomento vlli vſui eſſe poſſent, niſi ſi qui ta'em nacti fuiſſent, qualem Amaſim Ægypti regem ſolitum geſtare memorant, eam Plinius contextam fuiſſe narrat filis, quorum ſingula trecentis ſexagintaquinque filis conſtarent; à quali coagmentatione manaſſe arbitror, vt dicerentur loricæ bilices, trilices, quadrilices. Virgilius. *rumpitq; infixa bilicem*

Loricam. &

Loricam conſertam hamis, auroque trilicem. ac rurſus.

clypeumq;, auroque trilicem Loricam induitur.

Eius autem obliuiſci non debemus in hac materia, quod ſuperius dixi; nimirum tùm huiuſmodi loricas induiſſe veteres, cùm clypeum quoq; ſumebant, nam alioquin ſine clypeo numquam illiuſmodi lorica armati prælia iniuiſſent: itaque non aduerſatur Pauſaniæ verbis à me ſuperius appoſitis, Æmilius Probus, cùm de Iphicrate loquens
" ait. Idem genus loricarũ mutauit, & pro ferreis, atq; æneis lineas de
" dit; quo facto expeditiores milites reddidit, nam pondere detracto,
" vt æquè corpus tegerent, & leues eſſent, curauit: nam loricati Iphicratis milites clypeum quoque geſtabant, quomodo etiam omnes milites linea lorica armati in prælium prodire conſueuerunt; intelligebant.n. ſe abſque clypeo parùm omninò munitos eſſe, itaque Sueto-
" nius de Sergio Galba loquens inquit. Loricam tamẽ induit linteam,
" quamquam haud diſsimulans parùm aduerſus tot mucrones profuturam. Sed et Æmilij verba in eam quoq; ſententiam intelligi poſſunt, vt referantur ad vniuerſam armaturam ab Iphicrate repertam ac præſertim ad clypeos, non particulatim ad loricas, veluti Hieronymus Magius, qui primus *ἀντινομίαν* adnotauit, exiſtimaſſe videtur, nam
" Diodorus eandem rem tradens inquit. *τῶν γὰρ Ἑλλήνων μεγάλαις*
" *ἀσπίσι χρωμένων, καὶ διὰ τοῦτο δυσκινήτων ὄντων, συνεῖλε τὰς ἀσπί-*
" *δας, καὶ κατεσκεύασε πέλτας συμμέτρους, ἀμφοτέρων εὖ στοχασάμε-*
" *νος, τοῦ τε σκέπειν ἱκανῶς τὰ σώματα, καὶ τοῦ δύνασθαι τοὺς χρωμένους*
" *ταῖς πέλταις διὰ τὴν κουφότητα, παντελῶς εὐκινήτους ὑπάρχειν.*

Id eſt. Cùm.n. Græci magnis clypeis vterentur, ideòque ægrè ſe

mouerent, ſuſtulit clypeos, & peltas modicas confecit, in quo quidem duo bona conſequutus eſt, vt & corpora ſatis tegerentur, & poſſent vtentes peltis, propter læuitatem agiliores eſſe. Quoniam verò hùc paulatim deductus ſum, vt de loricis fuſius, quàm initio propoſueram, verba facerem, non libet ſilentio præterire, quod de Ægide ſcriptum reliquit diligens, atque eruditus Grammaticus Seruius ad locum quendam Maronis; is ibi tradit Ægidem propriè eſſe munimentum pectoris æreum habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum, ſi in pectore numinis fuerit, Aegis vocatur: ſi in pectore hominis, ſicut in antiquis Imperatorum ſtatuis olim videre erat, lorica dicitur. Sed antequam receptui canam, volo ornare hoc caput aliquo additamento, quod & ipſum per ſe cognitu iucundum ſit, & Liuij loco illi nonnihil lucis afferat. Polybius in Epitome libri ſexti, poſtquam vniuerſam Romanorum armaturam deſcripſit, addit hæc verba. ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ, καὶ πτεροῖς φοινικίοις, ἢ μέλασιν, ὀρθοῖς τρισὶν, ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος. ὧν προσεθέντων κατὰ κορυφὴν ἅμα τοῖς ἄλλοις ὅπλοις, ὁ μὲν ἀνὴρ φαίνεται διπλάσιος ἑαυτοῦ κατὰ τὸ μέγεθος, ἡ δ᾽ ὄψις γαλὴ καὶ καταπληκτικὴ τοῖς ἐναντίοις. hoc eſt. Præter hæc omnia, adornantur corolla plumea, pennisque tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis: quę cum in ſummo vertice cęteris armis addiderint, vir quidẽ apparet duplo maior, quàm ſit: eius verò aſpectus pulcher hoſtibusq; terribilis. Hinc Virgilius Meſſapi galeam decoram nuncupauit ab ornamento criſtarum.

Tùm galeam Meſſapi habilem, criſtisque decoram
Induit. Quemadmodum eandem terribilem dixit à terrore, quem incutiunt hoſtibus ea armati; Idem purpurei lophi meminit; *Criſtaq; tegit galea aurea rubra.* ac non multò poſt *Purpurei criſtis iuuenes.* ac rurſus; *criſtasq; rubentes Excipiam forti.*

Conatus emendandi Plinii locum, qui maculam continere videbatur. Cap. XIX.

QVID vocet imum dorſum in cumino Plinius, cùm ait. Et necatur cuminum ab imo dorſo, niſi repurgetur. Ego non diſpicio: ac, ne diutius ea ſalebra curſum, quo celerrimo in illius auctoris lectione ferebar, moraretur; ſtatui tantiſper, dùm certius aliquid cognoſcerem, eam ita ſuperare, vt legam, ab imo thyrſo. Mihi ſic ſententia conſtat: illo modo nihil minus: Nunc lectoris partes erunt vel meam coniecturam amplecti, vel docere me vim, ac notionem illius vocabuli eo in loco.

Cæſaris

Cæſaris locus declaratus, Hotomanique ſuper eo emendatio reiecta. Cap. XX.

OBSCVRVS admodum perplexuſq; (ſic.n. putauit Franciſcus
Hotomanus) apud Cæſarem locus reperitur, & qui legentes
non parùm torqueat, libro de bello Gallico primo in ipſo ferè veſti-
bulo, vbi Heluetiorum ex proprijs finibus diſceſſus cauſſam referens
„ Cæſar, ita ſcriptum reliquit. Orgetorix M. Meſſala, & M. Piſone
„ Coſſ. regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, &
„ ciuitati perſuaſit, vt de finibus ſuis cum omnibus copijs exirent: &
reliqua: deinde non multò poſt addit. Ea res, vt eſt Heluetijs per
„ indicium enunciata, moribus ſuis Orgetorigem ex vinculis cauſſam
„ dicere coëgerunt: damnatum pænam ſequi oportebat, vt igni cre-
maretur: & cætera, Quorum collatione locorum manifeſtam ἀντι-
νομίαν primo aſpectu nemo eſt, qui non agnoſcat: quare Franciſcus
Hotomanus vir admodum eruditus, ac de bonis diſciplinis optimè
meritus pro ciuitate reponendum cenſet ei, vel eis, vt non vniuerſæ
ciuitati conſilium ſuum Orgetorigem aperuiſſe intelligamus, ſed no
bilibus viris, & ſuis duntaxat clientibus: quæ coniectura vt à vulga-
tæ lectionis veſtigijs nimiùm abeſt: ita Cæſaris ſententiæ parùm con-
uenit: nam ſi Orgetorix conſilium ſuum nobilitati ſolummodò pro
bauit, cur deinde ciuitas ob eam rem incitata armis ius ſuum exequi
conatur, & non potius nobilitas ipſa, quæ ab eo iniuria affecta erat?
quod cùm abſurdum ſit, ego ita locum illum accipio, vt dicat Cæſar,
Heluetios poſtquam Orgetorigem cum Caſtrico, & Dumnorige
conſpiraſſe de totius Galliæ imperio inuadendo, interque ſeſe diui-
dendo indicijs cognouiſſent, Orgetorigem ex vinculis cauſſam dice
re coegiſſe, vtpote qui ſe circumduci viderent, & de libertatis poſ-
ſeſſione eius aſtu, ac perfidia deijci, per ſpeciem.n. totius Galliæ im-
perij conſtituendi, ſibi ipſi dominationem comparare ſtudebat Orge
„ torix, quod apertè oſtendit Cæſar ibi. Is M. Meſſala, & M. Piſone
„ Coſſ. regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit: ac
„ rurſus ibi. Hac oratione adducti, inter ſe fidem, & iuſiurandum dant,
„ & regno occupato per tres potentiſſimos, ac firmiſſimos populos to
„ tius Galliæ ſeſe potiri poſſe ſperant; nam quod ſtatim ſequitur, Ea
„ res vt eſt Heluetijs per indicium enunciata, profectò referri debet
ad id, quod proximè anteceſsit, vel ex ipſorum Iuriſconſultorum
diſciplina: ſumma igitur totius rei hæc eſt. Probarunt quidem Hel
uetij Orgetorigis conſilium, ſed conſilij rationem vehementer ſunt
auerſati: itaque poſtquam de ea per indicia ſunt facti certiores, haud
immeritò in eius auctorem animaduerterunt, vnde etiam mirum vi-
deri

deri non debet plus Orgetorigis mortui, quàm viui conſilium apud Heluetios valuiſſe, quod Hotomanus in ſuis notis ad Cæſarem obſeruauit, nam (vt dixi) de finibus quidem ſuis cum omnibus copijs exire placebat Heluetijs, ſed quòd Orgetorix imperiũ occuparet, hoc verò ſe ferre non poſſe re ipſa oſtenderunt: apparuit autem hoc factò verè dictum fuiſſe ab Heſiodo.

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ, τῷ βουλεύσαντι κακίστη. id eſt.
Ipſe ſibi nocet is, alium qui lædere quærit.
Conſultum malè conſultori peſſima res eſt.

Terentii locus magis adhuc illuminatus. *Cap. XXI.*

TERENTII comœdiæ doctrinæ, atque artificij plenæ ſunt, ac de artificio quidem aliàs nobis occaſio dabitur diſputandi; eruditionis ſpecimen non leue in præſentia dare ſum paratus, ne ſibi regnum in eo interpretando inepti quidam Grammatiſtæ, qui ipſum in ſcholis adoleſcentibus edocendum proponunt, ſtatim ſe adeptos putẽt, ac verborũ aliquot proprietatẽ, locutioniſq; elegantiã obſeruari præceperint, quamquam ne hanc quidem negligi oportere iudico. *Τὸ πρέπον*, quod in amantis cogitabundi perſona repreſentanda ſeruauit Terentius Eunucho, ex naturæ ipſo penetrali depromptum eſt: inducit.n. Comicus adoleſcentem Phœdriam ſecum cogitantem, atque animo reuoluentem, quæ ſit intercepti amoris paſſurus incommoda, ſi totum biduum ruri manſerit, ac denique, præter cætera, hęc ipſum loquentem facit. *dum hæc puto,*

Pręterii imprudens villam: longè iam aberam,
Cùm ſenſi: redeo rurſum: malè verò me habens:
Vbi ad ipſum veni diuerticulum, conſtiti:

Fit autem hoc ipſius naturæ vi, atque inſtituto, vt cùm toti in quapiam cogitatione defixi aliquò pergimus, imprudentes locum animo deſtinatum prætereamus, cuius rei commodam, probabilemq; rationem attulit is, quicunque fuit, qui naturales quæſtiones aliquot Alexandri Aphrodienſis nomine diuulgauit, in earum ſiquidem vna, quod hùc ſpectat, ita ſcriptum eſt; quærit autem illic auctor, cur aliquem ad locum neceſſariò proficiſcentes, cùm tamen eò peruenimus, vlterius aliquantò progrediamur, quęſtioniſq; exitum diſſoluit, vt dicat. *ὅτι πολλάκις ἔχομεν τὴν ψυχὴν περί τι πρᾶγμα φροντί-*
„ *ζουσαν, κακεῖσε νεύουσαν καὶ ἐστραμμένην καὶ μὴ ἐφεστηκυῖαν ἀκριβῶς ταῖς*
„ *αἰσθήσεσι πρὸς γνῶσιν τῶν οἰκείων. ὥσπερ οὖν ὁρῶντες τὸν τόπον, οὐχ*
„ *ὁρῶσι τῷ μὴ εἶναι τὴν κρίνουσαν δύναμιν τὰ αἰσθητά* .i. Quia animum

ſæpè

ſæpè in rem quampiam habemus intentum, eòque inclinatum, & conuerſum, neq; penitus ſenſibus imminentem, vt quæ ijs propria ſint, cognoſcat: velut igitur locum videntes, non vident, neque preſtò is eſt, qui ſenſibilia iudicat.

De habitu, ac proceritate Herculis diſputatum. Cap. XXII.

EX ijs, quæ ſcripta reliquit A. Gellius de corporis proceritate, qua fuit Hercules prædictus, colligimus Heroa illum communẽ reliquorum hominum habitum exceſsiſſe, ac tantò fuiſſe, quàm alios proceriorem, quantò Olympicum ſtadium longius eſſet, quàm cætera. multò tamen aliter cenſuit Hieronymus is, cuius ſententiam refert Clemens Alexandrinus Oratione ad Gentes: nam cùm oſtendere vellet Chriſtianus philoſophus Herculem, qui ab ethnicis pro Deo coleretur, mortalem omninò fuiſſe, ac propterea nullo maiore honore dignum, quàm qui hominibus haberi ſoleat, ipſius Hieronymi teſtimonium aduocauit in hæc verba. *Ἱερώνυμος ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ* (Herculis) *ὑφηγεῖται τοῦ σώματος, μικρόν, φριξότριχα, ῥωστικόν*. ſequitur ſtatim Dicæarchi ſententia ſuper eadem re hoc modo, *Δικαίαρχος δὲ, σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπτόν, ὑποχαροπόν, τετανότριχα* .i. Hieronymus philoſophus ipſius quoq; corporis narrat habitum, paruum, criſpo capillo, bona firmaque valetudine; Dicæarchus autem gracilem, neruoſum, nigrum, naſo aquilino, oculis ſublætis, fuſo capillo. Herodotus in Melpomene ſcribit apud Scythas oſtendi veſtigium Herculis petræ impreſſum, virili veſtigio ſimile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuium Tyrem: Lucianus quoque in eo Dialogo, in quo Herculis diuinitatem irridet, ipſum procera ſtatura præditum fuiſſe dicit: Ac de Herculis quidem habitu hactenus à nobis dictum ſit; cæterùm, quoniam ſcitu dignam putauit Gellius rationem, quam Pythagoras iniuit in comprehendẽda Herculani corporis magnitudine, volo ego illius exemplo ſimilẽ collectionem ab alijs in re pari obſeruatam legenti proponere, vt vel Gellio nonnihil lucis importem, vel ſaltem huic capiti iuſtam menſuram tribuam. Phlegon Trallianus in libello De mirabilibus, & Longæuis narrat Tiberij Neronis ætate adeò vehementem terræ motum vniuerſam ferè Aſiam concuſsiſſe, vt multæ vrbes funditus deletæ fuerint, ac quibus in locis terra diuulſa fuit, ingentia cadauera reperta fuiſſe, quorum magnitudine ſtupefactos incolas non auſos eſſe loco mouere, indicij cauſa Romam miſiſſe dentem vni exemptum, qui pedis menſuram non attigerit modò, ſed etiam ſuperauerit: quẽ legati Tiberio oſtendentes, ſimul etiam quæſiuerunt, vellet ne ad ſe

heroem,

heroem, cuius is fuerat, adferri? ibi Tiberium prudenter conſilium eò direxiſſe, vt neq; cognitione magnitudinis ſeipſum priuaret,& ſpoliandorum cadauerum flagitium euitaret. Inſignem quendam geometram nomine Pulchrum, quem ob artem apud ſe honorificè habebat, accitum faciem iuſsiſſe fingere proportione denti reſpondẽtem: qui dimenſus dentis quantitate perſpecta,quanta facies,& quę totius corporis moles futura eſſet,celeriter opus abſoluit,& ad Imperatorẽ attulit: eumque ſufficere hoc ſibi ſpectaculum dixiſſe, dentemque eò vnde erat allatus, remiſiſſe: Pauſanias quoque in Atticis Myſum quendam ſibi retuliſſe ſcribit de magnitudine corporis Aiacis, cuius genuum vertebrę diſci inſtar eſſent eius, quo Quinquertiones vtuntur, indeque coniecturam feciſſe de vniuerſi corporis magnitudine. hac eadem ratione deprehendit Phidias quantus eſſet totus leo, cùm eius duntaxat vnguem ſpectaſſet, vnde natum prouerbium volunt *ἐκ τῶν ὀνύχων λέοντα γινώσκειν.*

Horatii locus Græci ſcriptoris collatione illuſtratus. *Cap. XXIII.*

SENTENTIAM illam, quam particulatim ad poëtices ſtudium tranſtulit Flaccus epiſtola ad Piſones,in vniuerſum à Symilo prius vſurpatam fuiſſe comperi; intelligo aũt verſus illos Latini ſcriptoris,

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quęſitum eſt: ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit, video ingenium; alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè:

Quibus reſpondent hi Græci poëtæ,citante Stobæo in Collectaneis,

Οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ
Πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενὶ,
Οὔτε πᾶν τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη.
Τούτων ὁμοίως τοῖν δυοῖν συνηγμένων
Εἰς ταυτὸν, ἔτι δεῖ προσλαβεῖν χορηγίαν,
Ερωτα, μελέτην, καιρὸν, εὐφυῆ, χρόνον,
Κριτὴν, τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι,
Εν ᾧ γὰρ ἂν τούτων τὶς ἀπολειφθεὶς τύχῃ,
Οὐκ ἔρετ' ἐπὶ τὸ τέρμα τοῦ προκειμένου.

Hoc eſt. Neque natura ſine arte ſufficit cuiquam omninò quocunque in ſtudio. Nec ars per ſe ſine præſidio naturæ. Quòd ſi iſta duo ſimiliter conueniant Vnà, adhuc deſiderantur ſumptus, Amor, exercitium, opportunitas, tempus, Iudicium, quod dicta ſtatim arripiat,& intelligat. Nam quocunque iſtorum quiſpiam deſtituatur, Non aſſequetur inſtitutum ſibi terminum. hæc inſuper ad Horatij

mentem m-

mentem magis adhuc intelligendam, ſtabiliendamque adnotare volui; nam Platonis, Ciceroniſq; locos ab alijs animaduerſos eſſe non ignoro: & ſunt profectò diligenter, attentèque conſiderandi, nam quæſtionem ab Horatio propoſitam, quæ vetus fuit, & iam olim in ſcholis agitata, aliter apud ipſos explicatur: videntur .n. auctores illi arti naturã præferre in ſtudio poëtico: quod & Democritus cenſuit.

Prouerbij cuiusdam vera interpretatio allata aduerſus Hadrianum Iunium. Cap. XXIIII.

LONGE alius ſenſus eſt Varronianæ epigraphæ, quæ prouerbij faciem præſegerit Cras credo, hodie nihil, atque exiſtimauerit Hadrianus Iunius eius interpres: is etenim ea ſignificari putat mutationem, & variabilem rerum humanarum ſortem, in quam ſententiam Anaxandridæ, Ariſtophanis, & Nazianzeni teſtimonia profert, verum (vt dicere ceperam) longè alius ſenſus eſt illius adagij, arbitrorque tunc eo vti licere, cùm fidem alicui nos minimè habere ſignificamus, puta ſi inſtitor non niſi præſenti pecunia merces diſtrahere velit, rectè vſurpabit Cras credo, hodie nihil: Noſtrates cauponæ pro foribus tabernæ vel in pariete pictum, vel in tabula ſuſpenſa notatum habere ſolent patrio ſermone huiuſmodi carmen Hoggi non fò credenza, domani sì. Illud autem cras nunquam aduenit, vt ſic hoſpites eludant, & ambiguo illo ſermone prudentiores interim admoneant, ipſis non niſi dinumerato precio apud ſe diuertendi copiã fore: hoc, quod dico, non eſt nihili, ſed valdè certum, ac exploratum, quod tñ ſi veteris alicuius ſcriptoris auctoritate muniendum eſt, Perſium ſtatim adducam, apud quem ſimilis fruſtratio proponitur eo in loco.

petite hinc iuuenesque, ſenesque
Finem animo certum, miſerisque viatica canis.
Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid? quaſi magnum
Nempe diem donas? ſed cùm lux altera venit.
Iam cras heſternum conſumpſimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulùm erit vltra.

Martialis quoque de Poſthumo quodam loquens neſcio quid huiuſmodi narrat eo epigrammate.

Cras te victurum, cras dicis Poſthume, ſemper.

Quorum ſanè locorum collatione mirum eſt quantopere noſtra ſuper hac re ſententia confirmetur, quæ ſi tibi, lector, vera videtur,

Dede manus; aut ſi falſa eſt, accingere contra.

Petri Victorij quædam caſtigatio ad Ciceronis locum improbata. Cap. XXV.

EX duobus M. Tullij locis, quos Petrus Victorius tanquam mutilos, & malè affectos ſe curare profeſſus eſt, etſi neutrum ſatis commodè ſanatum puto, vnum certè peſsimis modis acceptum conſtanter affirmo. ac Ciceronis quidem verba in Oratione pro M. Marcello ſunt hæc, loquitur autem de rebus à C. Cæſare geſtis. Quæ
„ quidem tanta eſt, vt tropheis, monumentisque tuis nulla vnquam al
„ latura ſit finem ætas: nihil.n.eſt opere, aut manu factum, quod ali-
„ quando non conficiat, & conſumat vetuſtas. Quæ verba rectè ſe habent, ſuique auctoris mentem commodiſsimè exprimunt, neque .n. illic trophęa, & monumenta pro conſtructionibus lapideis accipi debent, ſed pro ipſis victorijs, & præclarè geſtis, ob quæ deinde trophęa, ac monumenta ſibi extrui promeritus eſt Cęſar, idq; ita eſſe inde etiam conſtare poteſt, quòd addit Cicero verbum tuis, quaſi verò intelligi velit, Cæſaris trophæa, ac monumenta alterius generis eſſe, quàm aliorum ducum, atque imperatorum: ac neſcio an Horatij locus ille huic aliquo pacto ſimilis ſit, ac propè par.

Exegi monumentum ęre perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum. & alibi.
centum potiore ſignis
Munere donat.

Sic etiam propemodùm Martialis eo epigrammate:

Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Criſpi mulio ridet equos,
At chartis nec furta nocent, nec ſecula pręſunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Et fusè Ouidius in extremo vltimo libro Metamorph. Maro quoque in poëmatio ad Valerium Meſſalam inquit.

Ipſa hęc, ipſa ferent rerum monumenta per orbem,
Ipſa ſibi egregium facta decus parient.

Neque abſimile eſt Iſocraticum illud ex Euagora. Ἐγὼ δὲ ὦ Νικό-
„ κλεις, ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας. πο-
„ λὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς
„ λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειεν. hoc eſt, Arbitror equidem, ò Nicocles, pulchra monumenta eſſe corporum etiã imagines: verùm multò pluris faciendas mentis, & actionum icones, quas

quas in ſolis orationibus artificioſè compoſitis ſpectare licet: neque aliter Velleius Paterculus de Pompeio loquitur vol. poſteriore. Et
„ Syria, Pontuſq; Cn. Pompei virtutis monumenta ſunt: Sed & Propertium audire oportet, cuius ſunt hæc.

Fortunata meo ſi qua es celebrata libello,
Carmina erunt formæ tot monumenta meæ & c. deinde ſubdit.
At non ingenio quæſitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio ſtat ſine morte decus. ac rurſus alibi
Cæſaris & famę veſtigia iuncta tenebis:
Mæcenatis erunt vera tropbęa fides.

Denique M. Cicero illis verbis alluſiſſe videri poteſt ad Ageſilai dictum, quod ſemel, atque iterum à Plutarcho commemoratur, atque in Laconicis quidem apophtegmatis hoc modo. κατὰ τὸν
„ Αἰγύπτου ἀπόπλουν, ἀποθνήσκων, (Ageſilaus) ἐνετείλατο τοῖς πε-
„ ρὶ αὐτὸν, μήτε πλαςὰν, μήτε μιμηλὰν τοῦ σώματος εἰκόνα ποιήσασ-
„ θαι, εἰ γάρ τι καλὸν ἔργον πεποίηκα, τοῦτό μου μνημεῖον ἔςαι, εἰ δὲ
„ μὴ, οὐδ' οἱ πάντες ἀνδριάντες βαναύσων οὐδενὸς ἀξίων ἔργα ὄντες.
hoc eſt. Ex Ægypto in patriam reuertens Ageſilaus in ea nauigatione vita deceſsit. Cùm quidem ſuis moriens mandauit, ne vllam ſui corporis fingendo, aut alia imitatione pararent imaginem, ſi quid enim (aiebat) à me eſt preclarè factum, id monumentum mihi erit, ſin verò, ne omnes quidem ſtatuæ hominum opera illiberalium. Idipſum in commmunibus omnium apophtegmatis ab eodem ſcriptore iterum percenſetur. quò ingenij aciem direxiſſe Ciceronem, cùm illa de Cæſare proderet, facilè mihi perſuadeo.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER TERTIVS.

Leonardi Aretini conuerſio ex Ariſtotele à Franciſci Robortelli calumnia defenſa. Cap. I.

VERISIMILE eſt eos, qui de alijs liberè loquuntur, de ſe quoque pari libertate loquentes haud moleſtè laturos, quod etſi omni iure æquiſsimum eſt, ego tamen æquitate hac in pręſentia vti nolo, ne quis inuidentiæ, aut aliquo alio animi vitio id me dare, ac non potius meo iure vti arbitretur: rem igitur ipſam modeſtè aggredior. Franciſcus Robertellus vir doctiſsimus, omnique liberali diſciplina politiſsimus putauit ſe Leonardi Aretini lapſionem in reddendis quibuſdam Ariſtotelis verbis ex primo *οἰκονομικῶν* deprehendiſſe, itaque in ſuarum adnotationum libris caput confecit, in quo huiuſmodi erratum exagitauit.
„ Ariſtotelis locus eſt, vbi ait ducendam eſſe vxorem *οὐ μόνον ἕνεκα*
„ *λειτουργίας τῇ φύσει, ἀλλὰ καὶ ὠφελείας.* quem ſic Aretinum vertiſſe dicit. Non ſolùm vt naturæ id acceptum referant, ſed etiam vt commoda inde percipiant. quod ſi ita eſt, verbum amplius non addo, hiſcere non auſim, omninò obmuteſco: Sed vereor, vt parùm bona fide Aretini verſionem nobis repręſentauerit Robortellus, nam in cunctis, quot quot vidi, exemplaribus, vidi autem quam plurima, locus hic ita legitur. non ſolùm vt id naturæ tributum ferant, verùm etiam vt commoda exinde ſuſcipiant. quæ verba optimè Ariſtotelis mentem exprimunt; eſt.n. *λειτουργία* munus quoduis publicũ, & *λειτουργεῖν* munus publicum obire, vt ad Græci ſcriptoris ſententiam accommodatiſsimè reddi potuerit eo in loco tributum ferre. i. quoddam quaſi vectigal ſoluere, quomodo non abſimili in re loquuntur interdum boni auctores. Syneſius epiſtola contra Andronicum.
„ *ἢ γὰρ ἤδη διάκειται τὴν γνώμην ὁ τιμωρός, ἢ δαίμων ἢ, ἄνθρωπος, ὡς*
„ *λειτουργίαν τινά, ταύτην εἰσφέρων θεῷ.* hoc eſt. Neq; .n. ita animo affectus eſt tortor, ſiue dæmon, ſiue homo, quaſi miniſterium hoc
„ perſoluat Deo. rurſus alia epiſtola. *καὶ μισόφροντις ὢν, ὀδυνήσομαι*
„ *μὲν, ἀνέξομαι δὲ δικιδίων καὶ πραγμάτων λειτουργίαν τινὰ ταύτην,*

 εἰ

,, εἰ καὶ βαρεῖαν, ἐκπιμπλὰς τῷ θεῷ. hoc eſt. Quumq; oſor curarum ſim, dolebo quidem, ſuſtinebo tamen cauſarum, ac negociorum tractationem, miniſterium hoc, etſi graue, Deo exoluens. Cornel. Gall. eleg. vltima.

Illa, velut proprium repetens infeſta tributum,
Inſtat, & increpitans, debita reddis, ait?

,, Seneca De Benefic. Alia per ſublime demiſſa, vt omnis rerum naturę
,, pars tributum aliquod nobis conferat. Et epiſtola quadam. Omnia
,, autem, ad quæ gemimus, quæ expaueſcimus, tributa vitæ ſunt. rur-
,, ſus alia. Imperetur æquitas omninò, & ſine querela mortalitatis tri
,, buta pendamus. Et De Remed. fortuitorum. Mors, exilium, luctus,
,, dolor non ſunt ſupplicia, ſed tributa viuendi: & de Conſolat. ad
,, Martiam. Cùm ita perſpexeris, ſciens optimè cum his agi, quos natu
,, ra, quia illos hoc manebat vitæ ſtipendium, citò in tutum recepit.
,, & Quæſt. Natur. lib. 6. Mors naturæ lex eſt, mors tributum, offi-
,, ciumque mortalium, malorumque omnium remedium eſt. Arno-
,, bius. Et ſtudioſè referunt natiuitatis vſuras: Aut igitur Robortellus parùm accuratè legit locum illum Aretini, aut idem omninò putauit eſſe, naturæ tributum ferre, quod acceptum referre, nam eo modo, quo ipſe citat, ſcriptum fuiſſe in ſuo codice, vix credibile mihi videtur, propterea quod omnes impreſsi, & manu exarati libri, quos vidi, magno conſenſu ita, vt protuli, verba illa præſeferunt; Ac ſanè non debuit Robertellus vnius codicis inſpectione eſſe contentus, cùm de eruditiſsimi viri fama minuenda ageretur: neque oportuit deinde Franciſcum Luiſinum Robortelli peccatum ita fouere, vt illi magnam inde laudem conciliare ſe poſſe ſperaret.

Ioannis Stobæi contextus à menda purgatus. *Cap. II.*

NON dubito, quin mendum lateat in his Stobęi verbis Serm. 72.
,, Ἡ Φίλωνος γυνὴ ἐρωτηθεῖσα, διὰ τί μόνη τῶν ἄλλων ἐν συνόδῳ οὐ φο-
,, ρεῖ χρυσοῦν κόσμον, ἔφη. ὅτι αὐτάρκης κόσμος μοι ἐστὶν ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀρε-
τή. hoc eſt. Philonis vxor interrogata, quam ob rem ſola ex alijs in conuentu non geſtaret ornatum aureum, dixit. Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi ſufficit. Hoc.n. ipſum commemorans Plutarchus initio commentarij De Muſica non Philonis, ſed Phocionis vxorem huius præclaræ vocis auctorem appellat. Ἡ μὲν Φωκίωνος
,, τοῦ χρηστοῦ γυνή, κόσμον αὐτῆς ἔλεγεν εἶναι, τὰ Φωκίωνος στρατηγή-
ματα. hoc eſt. Phocionis eius, qui Probus cognominatus eſt, vxor ſuum ornatum eſſe dicebat, mariti ſui res præclarè geſtas. Cur autem exiſtimem in Stobæi potius, quàm in Plutarchi contextu peccatum

reſidere, facit epithetum viri nomini adiunctum, conſtat.n. Phocionem à vitæ integritate Probi cognomen .i. χρηστοῦ inueniſſe: Cùm igitur Plutarchus Phocionem illic nullo errore ductus, ſed certo conſilio, ac determinatè appellauerit; contrà facilè ſuſpicari liceat ſcriptoris librarij inſcitia vocem hanc in Stobæi collectaneis deprauatam eſſe, videor mihi tutò poſſe pronunciare Stobæi codicem mendo non carere, atque illic ex hiſtoriæ fide pro Φίλωνας Φωκίωνος reponi debere.

Aelianus emendatus in fluminis nomine. *Cap. III.*

QVOD Conradum Geſnerum offendit in Æliano, nemini poſthac negocium faceſſet, ſi germana loci ſcriptura teneatur, neque .n. dubitare oportet, quin locus deprauatus ſit in omnibus, quæ circumferuntur, exemplaribus. Ælianus hiſtoria de Animalibus libro 14. ita ſcriptum habet. „ *Ενθα ὁ Ταίναρος ποταμὸς καὶ ὁ* „ *Ηριδανὸς συμβάλλεται, οὗτος μὲν καὶ διὰ δόξης ἰὼν καὶ κλέους: ἐκεῖ-* „ *νος δὲ οὐ πάντι γνώριμος.* hoc eſt, vt Geſnerus conuertit. Vbi inſignis Eridanus & parùm nobilis Tenarus coitionem faciunt, ibi peculiaria & c. Hic ex eo oritur difficultas, quod nullus omninò fluuius reperitur in Eridanum influens, cui ſit nomen Tenaro, conſtat.n.tùm ex Græcis, tùm ex Latinis ſcriptoribus, Tenarum vrbem fuiſſe Laconicam, in qua via reperiretur ad inferos tendens, vel, vt alij prodiderunt, promontorium in Peloponneſo, vbi ſpecus eſſet, Acherruſiæ ei, quæ in Ponto eſſet, ſimilis: de quo accipiendum eſt Horatianum illud.

Quo bruta tellus, & vaga flumina
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur.

Ex aduerſo cùm certò conſtet Tanarum fluuium in Eridanum ſe exonerare, videor mihi ſatis tutò pronunciare poſſe ſcribendum eſſe apud Ælianum *Τάναρος ἀντὶ τοῦ Ταίναρος*; atq; vt id vel meo periculo ſequantur typographi omnes, quicunq; poſthac Ælianum ſuis formis excudent, auctor ſum: Porrò de Tanaro in Eridanum influente mentio extat apud Plinium.

Iodochi Villichii expoſitio ad Maronis carmen reiecta de ſolida equorum vngulà. *Cap. IIII.*

AT duplex agitur per lumbos ſpina, cauatque
Tellurem, & ſolido grauiter ſonat vngula cornu.

Verſus

Verſus hi ſunt ex. 3. Georgicorum, vbi generoſi equi notas proſe-
quitur Maro, quos ego non attigiſſem, niſi vidiſſem Iodocum Villi-
chium turpiter in eorum expoſitione lapſum eſſe: nam ad poſterio-
,, rem verſum eius ſcholion eſt huiuſmodi. ſextadecima eſt aſsidua cal
,, citratio, qua terram cauat, qua ſonat cornu ſolido, non bifido, vt
in bouino pecore: Prho Deûm, atque hominum fidem, adeò inops,
imparatuſque fuit Virgilius ab epithetorum copia, vt explendi ver-
ſus gratia manifeſsimam vocem intruderet, quæ nullam penitus pro-
poſitæ rei vim, roburque adderet? quis.n. ignorat equorum vngu-
lam ſolidam eſſe, non fiſſam, vt diſtinctionis cauſa minime opus fue
rit dictionem illam adiungere, etiam ſi de equo Cęſaris, & bucephalo
Alexandri fama vera eſſet? monſtri.n. inſtar illa fuerunt, vt eorū nul-
la ratio ducenda fuerit ei, qui pręcepta de equorum delectu habendo
conſcriberet: vt igitur appareat, non ex nihilo dictum eſſe à Marone.

Solido grauiter ſonat vngula cornu,

Aduocanda hùc ſunt quædam Xenophontis verba ex libro *περὶ ἱπ-
πικῆς*, eis etenim Virgilij locus planiſsimè explicabitur; ſunt autem
,, hæc. *πόδας δ' ἄν τις δοκιμάζοι, πρῶτον μὲν τοὺς ὄνυχας σκοπῶν. οἱ
,, γὰρ παχεῖς πολὺ τῶν λεπτῶν διαφέρουσιν εἰς εὐποδίαν.* quæ Paber-
genſis interpres ita vertit. In explorandis igitur pedibus, primùm
vngula conſideranda; ſpiſſa.n. ad pedum bonitatem longè differt à te
nui; deinde paucis interiectis addit Græcus auctor *καὶ τῷ ψόφῳ δὲ
,, φησὶ Σίμων δηλοῦς εἶναι τοὺς εὔποδας, καλῶς λέγων, ὥσπερ γὰρ κύμ-
,, βαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή*.i. Rectè etiam Simon
ſcripſit, ſonitu deprehendi pedum bonitatem: non ſecus.n. ardua
vngula quàm cimbalum reſonat: cuius loci quaſi interpretem ſe pro-
fitetur Iulius Pollux *ὀνομαστικῶν* lib. 1. *Ἀπὸ μὲν σώματος, ὁπλαὶ
,, κοῖλαι, ὡς εἶναι ἐν βάθει τὴν χελιδόνα, καὶ μηδὲν αὐτὴν τῶν ἐκ τοῦ
,, ἐδάφους λυπεῖν. ἡ γὰρ τοιαύτη ὁπλή, ὥσπερ κύμβαλον φησὶν ὁ Ξε-
,, νοφῶν πρὸς τὸ δάπεδον ψοφεῖ*. hoc eſt. A corpore quidem, vngu-
,, læ cauæ, vt ſcilicet earum concauitas profunda ſit, ne in ſolum im-
pingens moleſtetur. huiuſmodi enim vngula (vt Xenophon inquit)
cymbali inſtar ad ſolum reſonat. Atque hinc ſatis iam intelligi arbi-
tror, quid ſibi eo in loco voluerit Maro; quamque vim habeat epithe-
tum ſolidi de equi vngula pronunciatum.

M. Tullii ſententia quædam examinata de perſonis, quæ in Dialogis loqui introducuntur. *Cap. V.*

MARCVS Tullius Dialogo De ſenectute videtur notaſſe Ari-
ſtonem Chium, quòd in perſonarum delectu, quæ inſtitutum
de-

de ſenectute ſermonem ſuſtinerent, τὸ πρέπον (vt Græci vocant) parùm accuratè cuſtodierit, nam cùm in omni re, quid deceat ſedulò perſpiciendum ſit, tùm verò maximè id obſeruandum eſt in ſerijs, & philoſophicis diſputationibus, earumque rerum tractatione, quæ ad mores hominum conformandos plurimùm conferunt: quod cùm Ariſto Chius parùm diligenter curauerit, illi culpæ affinis iudicari debuit, quæ in homines rei, perſonæ, temporiſque momenta negligentes cadere conſueuit: itaque iure optimo à Cicerone conſilium ſuum quodammodo commendâte dictum eſt. Omnem au
„ tem ſermonem tribuimus non Tithono, vt Ariſto Chius, ne parùm
„ eſſet auctoritas in fabula: ſed M. Catoni ſeni, quò maiorem auctoritatem haberet o ratio. Quod hic Cicero in Ariſtone reprehendit, poteſt etiam de Varrone dictum videri, quem tamen ob amicitiam, quę ſibi cum eo intercedebat, noluit pàlam nominare, ne eius voluntatem à ſe abalienaret; ita tamen egit, vt non obſcurè in culpæ crimen ipſum quoque vocaſſe videretur, nam quod de vno dicebatur, ad alterum quoque pertinere neceſſe erat ob culpæ communionem: Notum autem eſt Varronem illud idem argumentum de Senectute pertractaſſe, inque eo commentario Tithonum loquentem introduxiſſe, vel ſaltem à fabula titulum ei feciſſe, nam ſæpe apud Nonium legimus Varronis locos ex eo commentario citatos, qui quoniam omnibus in promptu ſunt, in præſentia omittentur: Videtur autem Varro huiuſcemodi epigraphis à fabula aliqua, fictoque argumento ſumptis ſcriptiones ſuas inſignire conſueuiſſe, nam liber eius de Inſania citatur à Grammaticis, cuius index fuit Oreſtes, eius etiam meminit Gellius: item alter Ἐνδυμίωνες. id eſt Somniculoſi; & Prometheus De hominum fabrica à Prometheo primo hominis plaſte. Anthiſtenes quoque inſignis philoſophus librum conſcripſit de vini vſu, ſiue de ebrietate, cui titulum fecit Κύκλωψ: Quid quod & ipſe quoque Plato Minoem loquentem facit quodam dialogo? Quatenus verò ſine reprehenſione liceat in grauiſsimarum rerum tractatione fabulis vti, docet Macrobius in Commentario ad Fragmentum libri ſexti Ciceronis De Republ.

T. Liuii contextus, qui alicui vitio affinis videri poterat de opinione reſtitutus. *Cap. VI.*

TITVS Liuius Annalium lib. 2. ciuilem diſcordiam inter patres, plebemque ortam commemorans, miſerique cuiuſdam hominis calamitates, qui eas omnibus audientibus, quò magis plebem in patres incitaret, expoſuerat narrans his vtitur verbis. Id (ęs alienum) cumu-

cumulatum vſuris primò ſe agro paterno, auitoque exuiſſe, deinde fortunis alijs, poſtremò velut tabem perueniſſe ad corpus: ductum ſe ab creditore non in ſeruitutem, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe. Summus quidam amicus meus in his Liuij verbis mendum aliquod ſubeſſe iamdiù ſuſpicatus eſt, namque aiebat, hominem illum ſtudentem nobilitatem in odium adducere, vt id commodius præſtaret, ad ſimile confugiſſe, quod illi rei demonſtrandæ valdè appoſitum erat, itaque dixiſſe malum illud, velut tabem perueniſſe ad corpus, at cùm omnis tabes ad corpus perueniat, nec aliqua omninò ſit, quæ corpori non adhæreat, nullam prorſus vim ad id, quod tunc maximè homo ille volebat, amplificandum, exaggerandumque habere iudicabat ſimile, quod ibi vſurpauit: itaque affirmare non dubitabat, locum illum corruptè, ac mendoſè circunferi: cui ego, poſtquam huiuſmodi perſuaſionem extorquere non potui, altius.n.eius animũ inſederat, quàm vt inde facilè eximi poſſet, vt ei tandem quoquomodo ſatisfacerem, tametſi nil prorſus dubitabam de ſinceritate veteris, vulgatæque editionis, dixi non incommodè legi poſſe. Poſtremò velut tabem perueniſſe ad cor: perductum ſe ab creditore non in ſeruitium, & cætera: nam cùm peſte laborare omni tempore moleſtum ſit, ac periculoſum, tùm verò id maximè timendum eſt, cùm eius vis ad cor penetrare incepit, tunc.n. ſalus omninò deſperata eſt, nec vllis medicamentis amplius retineri poteſt, quæ ſententia mirificè conuenit negocio, quod Liuius ex miſerrimi illius hominis perſona in manibus habebat: confirmaturque hęc mea coniectura aliorum ſcriptorum teſtimonio, qui alicubi eodem modo locuti ſunt: veluti cùm inquit Lucretius.

Inde vbi per fauces pectus compleret, & ipſum
Morbida vis in cor meſtum confluxerat egris,
Omnia tùm verò vitai clauſtra lababant:

Neque abſimile eſt Catullianum illud.

Me miſerum aſpicite, & ſi vitam pariter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemque mihi.
Quę mihi ſubrepens imos, vt torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias:

Sic etiam Petronius Arbiter.

Nulla eſt certa domus, nullum ſine pignore corpus,
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat:

Neque non item Seneca in epiſtolis. Cùm verò magis vires morbus exedit, & in medullas, neruoſque deſcendere deliciæ, & quæ ſequuntur. Viſum autem mihi eſt hanc meam de hoc Liuij lo-

eo coniectura his libris inſerere, vt ſi quem forte ſcrupulus, qui meũ illum amicum malè habebat, torqueret, poſſet eo ſe hac mea fantaſia penitus liberare.

Prouerbium quoddam ſecus, atque ab Eraſmo explicatum. Cap. VII.

Ἐν μέλιτι σαυτὸν καταπάττεις. Prouerbium hoc explicat Chiliadum auctor, putatque dici de mollibus, ac delicatis, quibus parùm ſit veſci melle, niſi toti ſe eo perungant; Mihi tamen longè aliter omninò videtur, vtpote qui exiſtimem percommodè in eos illud iaci poſſe, qui ſibi ipſi difficultates conciliant, & in pericula ſua ſe ſponte conijciunt, &, vt eſt in alio prouerbio, ſuo iumento ſibi malum arceſcunt: ductum.n. eſt ab ijs, qui ſe melle oblinunt, quo facto quid aliud, quàm muſcas, culices, veſpas, & huiuſmodi animalcula inuitant, quibus aſsiduè infeſtentur? vnde apud Perſas quoddã ſupplicij genus repertum fuit, quod σκαφισμὸς dicebatur. Lyctij quoque Cretenſes in Epicureos ita animaduertebant, vt eos in cataſta vinctos iuxta curiam dies viginti nudos melle, & lacte perfunderent, vt ab apibus, & muſcis conſumerentur: Marcum etiam Arethuſiorum antiſtitem poſt multos cruciatus, quos Iuliano imperante perpeſſus eſt, cauea incluſum, garoque, & melle perunctum, in ardore æſtatis ſub dio ſuſpenſum fuiſſe, quò crabronum morſibus impeteretur, ſcribit Suida: Extat quoque apud Antoninum Liberalem fabula Polytechni, qui à Pandarei ſeruis, quòd ingens eius familię probrum intuliſſet, correptus inſolubili vinculo conſtrictus fuit, corporeque melle innuncto, in paſcuum proiectus; vbi cùm muſcæ adſidentes cum diuexarent, Aëdon ob priſtinam miſerata amicitiam, eas abigebat. ipſius auctoris verba ſunt hæc, ſi quis fortè Græcis magis delectatur. „ Πολυτέχνον οἱ θεράποντες οἱ τοῦ Πανδάρεου συνέλαβους καὶ ἔδησαν ἀφύκτῳ δεσμῷ, ὅτι ἐνελωβήσατο εἰς τὸν οἶκον τοῦ Πανδαρέου, καὶ τὸ σῶμα ἐναλείψαντες μέλιτι, κατέβαλονες εἰς τὰ ποίμνια. καὶ Πολύτεχνον μὲν αἱ μυῖαι προσίζουσαι, ἐλυμαίνοντο. Ἀηδὼν δὲ οἰκτείρασα πρὸς τὴν παλαιὰν φιλίαν, ἀπείργεν ἐκ τοῦ Πολυτέχνου τὰς ἐσόβησεν μυῖας. Porrò & muſcarum apologus, quem confinxit Æſopus, non minimam lucem huic prouerbio infert; narrat.n. ille eueniſſe aliquandò, vt muſcæ in cella quadam mel nactæ confeſtim ad ipſum aduolarint veſcendi cauſa, verùm, cùm implicitis pedibus euolare nequirent, tunc facti ſeram pœnitentiam ipſas ſubijſſe. Apuleius de Aſino aureo tale quippiam narrat de ſeruo, cui dominus iratus eſſet. „ Quam mortem (inquit) dominus eorum ęgerrime ſuſtinens,

arreptum

,, arreptum ſeruulum eius, qui cauſſam tanti ſceleris luxuriæ ſuæ pręſtiterat, nudum ac totum melle perlitum firmiter alligauit arbori ficulneæ, cuius in ipſo carioſo ſtipite inhabitantium formicarum nidificia bulliebant, & vltrò, citròque commeabant multiiuga ſcaturigine. Quę ſimul dulcem, ac mellitum corporis nitorem perſentiſcunt, paruis quidem, ſed numeroſis, & continuis morſiunculis inhærentes, & reliqua.

Vulgata Plinii lectio aduerſus Hieronymum Mercurialem aſſerta. *Cap. VIII.*

OSTENDIT ſe Plinij locum parùm diligenter omninò conſideraſſe Hieronymus Mercurialis, cùm vitij notam ei aſpergere non veretur, nam cùm paſsim apud ipſum vulgò legatur. Nero Cæ-
,, ſar claritatem ei (thapſiæ) dedit initio imperij, nocturnis graſſatio-
,, nibus conuerberatam faciem illinēs ſibi cum thure, ceraque, & ſequū
,, to die contra famam cutem ſinceram circumferens. Mercurialis pro cera legendū putat ceruſſa manifeſto errore, de quo ipsū ſatis admonere debuit Dioſcorides, auctor ille quidem valdè bonus, & ob rei herbariæ ſcientiā nulla non fide dignisſimus, cuius verba ſuper eadē re (nam & is quoq; de thapſia loquitur) appoſui, vt hoc pacto Latini ſcriptoris preuulgata lectio locupletiſsimo teſte muniretur, & à culpa, quam ei Mercurialis obiecit, vendicaretur: ita igitur habet Dio-
,, ſcorides. *ὑπώπιά τε αἴρει καὶ πελιώματα λεῖα ἡ ῥίζα ἢ ὁ χυλὸς σὺν λι-*
,, *βανωτῷ καὶ κηρῷ ἴσοις. δεῖ δὲ μὴ πλέον δυοῖν ὡρῶν ἐᾶν. μετὰ δὲ ταῦ-*
,, *τα πυριᾶν θερμῇ θαλάττῃ.* hoc eſt. Sugillata, atque liuores; emendat trita radix, aut ſuccus, additis pari portione thure, & cera: oportet tamē non vltra duas horas eo remedio vti: tùm calida maris aqua locū fouere. Quibus verbis manifeſtò apparet, niſi quis conniuētibus oculis ea intueatur, omni prorſus culpa ſcriptorem librarium liberari oportere, cui fecit ipſum affinem illic Mercurialis.

Lucretij locus noua explicatione illuſtratus. *Cap. IX.*

VENIT mihi in mentem ſuſpicari locum hunc eruditiſsimi poëtæ Lucretij de Epicuro loquentis.

E tenebris tantis tàm clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti illuſtrans commoda vitæ,
Te ſequor, ò Graiæ gentis decus.

Duplicem ſenſum continere poſſe, vnum, qui planus eſt, atque apertus nihil amplius in receſſu habens, quàm quod prima fronte

præſeferat, alterum, qui obſcurior eſt, neque omnibus in promptu poſitus: veni autem in hanc opinionem, poſtquam Suidã percurrens in eum locum incidi, vbi de Epicuro fit mentio, eiusque philoſophi vita ſtrictim, ſummatimque ab eruditiſsimo illo Grammatico percenſetur, illic .n. præter cætera, hæc verba de Epicuro leguntur.
„ ὅγε μὴν Ἐπίκουρος ἔτι νέος ὢν αὐτὸς, οὐ ῥᾳδίως ἀπὸ τῆς κλίνης οἷός
„ τε ἦν κατιέναι ἀμβλυώττων τε καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἡλίου αὐγὴν δειλὸς
„ ὢν. καὶ τῷ φαιδροτάτῳ τε καὶ ἐναργεστάτῳ τῶν θεῶν ἀπεχθανόμενος. καὶ
„ μέντοι καὶ τὴν τοῦ πυρὸς αὐγὴν ἀπεστρέφετο: quod eſt. Atque ipſe etiã Epicurus adoleſcens etiãnum, haud facilè poterat è lectulo deſcendere, cæcutiens, & radios ſolis non ferens, amœniſsimo, & ſplendidiſsimo Deo illi inimicus: auerſabatur etiã ignis ſplendorem: Exiſtimo igitur voluiſſe Lucretium in Epicuri laudem conuertere vitium illud, quod eidem ab aduerſarijs contumeliæ loco obijciebatur: Velim nunc diligenter ſecum expendant ſtudioſi, an verſus initio à me citati aliquo pacto hûc referri poſsint, nam ego quidem non auſim id pro certo affirmare.

Vera (ni fallor) Maronis ſententia eruta ex Mezentij verbis, quæ is profert, cùm in eo eſt, vt ab Aenea occidatur. Cap. X.

NON liquet adhuc ad plenum ex interpratibus Vrigilianis ſententia illorum verborum.

Nullum in cæde nefas: nec ſic ad prælia veni:
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lauſus.

Ego illis talem quempiam ſenſum ſubeſſe iudico: Nullum crimen ab eo admittitur, qui hoſtem in prælio interimit: probat hoc Mezentius huiuſm. argumentatione. Ego crimen non perpetrarim: & tamen hoc animo in certamen deſcendi, vt, ſi poſſem, Aeneam occiderem, ergo in eo, quod quis hoſtem occidit, nullum crimen conſiderari poteſt. Probat nunc quod ſtatim aſſumpſerat, dicens.

Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lauſus.

Id eſt. Lauſus, qui ab Ænea interfectus eſt, effecit, vt incredibili deſiderio tenerer Æneam occidendi; ergo hoc animo pugnam commiſi, vt Æneæ cæde Lauſi mortem expiarem: nullum itaque in cæde nefas: neque ego ſic ad prælia veni, vt alicui crimini obnoxium me crederem, ſi Æneam extinxiſſem, Lauſus enim ab illo interfectus, hanc mentem, atque hoc conſilium mihi indidit, vt Æneam occidere ſummopere expeterem. Colligit autem concluſionem generalem ex eo, quod ipſe facturus fuiſſet, quod argumentandi genus vitioſum

eſſe

eſſe docet Cicero De Inuentione, vbi hoc exemplũ ponit ex Plauto.

Amicum caſtigare ob meritam noxiam,
Immune eſt facinus: verùm in ætate vtile,
Et conducibile.
Nam ego amicum hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia
Inuitus, ni id me inuitet, vt faciam, fides.

Sed poëtæ multa ſibi licere volunt, quæ Philoſophi, ac Dialectici ſibi non permitterent.

Coniectura de Auſonij carmine, quod parùm emendatè circumfertur. Cap. XI.

HINC *tenus Europam, fama creſcente, perito*
Conſtantinopolis rhetore te viguit.

Quod habet Auſonius Parentalium 3. ita caſtigari volo, vt conſtet ſenſus.

Hinc tenus Euripum: Nam alioquin Gallia, & Hiſpania, quarum ibidem paulò antè meminerat poëta, tàm ſunt in Europa, quàm Thracia, in qua eſt Conſtantinopolis: Intelligit autem de Euripo Helleſpontiaco, de quo Ptolomæus, Plinius, Strabo, & alij, ſed & hic noſter in Moſella.

Quis Chalcedonio conſtratum ab litore pontum,
Regis opus magni, mediis Euripus vbi vndis,
Europæque, Aſiæque vetat concurrere terras?

Si quem verò inſolens præpoſitionis tenus conſtructio offendit, illi per me licet, accuſandi caſum in gignendi, ſine etiam auferendi caſum conuertere: Sed & de eo quoque lector admonendus eſt, non inueniri Parentalia hæc in omnibus excuſsis Auſonij exemplaribus, ſed in illis duntaxat, quæ Carpinus haud ita diù publicauit: hoc addere operæprecium viſum eſt, ne quis, cùm ea epigrammata in aliquot formis impreſsis codicibus non reperiret, ludere me voluiſſe exiſtimaret.

Eluta macula quępiam ex codice Apulei. Cap. XII.

QVAE ſit narium ſymphonia, nemo, ſat ſcio, nobis explicarit, neque.n. cum nihil ſit, explicari poteſt: quare vbi nunc vulgò legitur in Apulei libro De Dogmate Platonis. In media namque
" regione oris nares natura conſtituit, quarum ſymphonia odor cùm ſpiritu commeat. Non dubito quin emendare oporteat ſyphonibus

bus perſpicua ſententia: nares enim ſyphonis vice fungi videntur in ea parte oris: quare ὀχετεύματα dicuntur Ariſtoteli, & Polluci, id eſt canales quaſi quidam, & meatus, per quos (vt inquit Lactantius Firmianus) ſpiritus ducitur, odor capitur, purgamenta cerebri defluunt.

Quid ſit apud Plautum Victitare ſorbilo, & Tergus oſtreatum. Cap. XIII.

MILPHIO ſeruus ita loquitur Platuina Pœnulo,

Hem mihi iam video propter te victitandum ſorbilo.
Itaque iam quaſi oſtreatum tergum vlceribus geſtito,
Propter amorem veſtrum.

Vbi victitare ſorbilo iccircò dictum arbitror, quia qui morbo aliquo laborant, liquidarum rerum ſorbitione vitam ſuſtentare conſueuerunt, cùm dura, & ſolida comminuere, ac deuorare nequeant: quòd ſi Milphio intelligit fore, vt ſibi herus pugnis dentes excutiat, aut diffringat, manet eadem ſententia metus cauſſa mutata; quod verum puto, quoniam ſuperius Agoraſtocles Milphioni minatus fuerat dicens,

Non ego homo trioboli ſum, niſi ego illi maſtigiæ
Exturbo oculos, atque dentes.

Oſtreatum verò tergus appellat vibicibus inflatum, ac tumens, ita vt oſtrearum formam referre videatur: Sic etiam Iuuenalis offam vſurpat pro tumore eadem de cauſſa.

ne te pulſare togatus
Audeat, immo & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.

Nos vulgò dicere conſueuimus, imprimere perſicum in oculis, cùm ſignificare volumus fore, vt oculos alicui ita contundamus, vt tumor excitetur, qui pomi illius magnitudinem repreſentet: Hæc autem ad Plautinum locum adnotare libuit, vt poſſent eruditi hanc noſtram cum Dionyſij Lambini interpraetatione conferre, & quam deinde veriorem exiſtimauerint, ſuo arbitratu amplecti.

Virgilii epigramma declaratum, & ad idem Ioſephi Scaligeri expoſitio reiecta. Cap. XIIII.

DVRE ſanè, & coactè nimis venuſtum Maronis epigramma, quod inter eius Catalecta reperitur, interpraetatus eſt Ioſephus Scali-

Scaliger in ſuis ad illum locum ſcholijs; quod cùm ego ſatis æquo animo ferre non poſſem, ſtudui pro virili verum, germanumque poëtæ ſenſum eruere, venuſtumque in eo epigrammate conficiendo Maronis artificium patefacere, neque irritus (ni prorſus fallor) conatus hic meus cecidit, quod an verum ſit, hoc capite ſtudioſis iudicandum proponam: ſed operæpretium eſt Virgilij epigramma prius adſcribere, quod eſt huiuſmodi.

Scilicet hoc ſine fraude, Vari, dulciſſime dicam:
Diſpeream, niſi me perdidit iſte potus.
Sin autem præcepta vetant me dicere, ſanè
Non dicam, ſed me perdidit iſte puer.

Iocus eſt in poſtremo carmine, qui inexpectato ſenſu mentem ſubito quaſi ictu ferit, inque eo προσδοκία quædam latet, ſicut in Pyrrhi reſponſo, à quo cùm quiſpiam inter pocula quæreret, vtrùm Antigenidas, an Satyrus melior eſſet tibicen, ἐμοὶ μὲν, εἶπε, ϛρατηγὸς Πολυσπέρχων. innuens quæri oportere non inutilia, ſed neceſſaria: Et Stratonicus Cytharœdus interogatus, num magis barbari eſſent Bœoti, an Theſſali; Eleos reſpondit: idemque, interogatus rurſus quodnã ex nauigijs eſſet ſecuriſsimum, longum, an rotundum: quod portum ſubijſſet, reſpondit: Ab hoc quaſi errore venuſtatem quæſiuit Hetruſcus quidam poëta in Fabuli encomio dicens. Non è fanciul dal latte tolto apena, Che non ſe n'empia, & reliqua, nam & pudor meus, & bonorum morum ratio vlterius proſequi me prohibet: Eiuſdem promedum generis eſt vrbanitas illa Ciceronis pro
„ Cælio. Quod quidem facerem vehementius, inquit, niſi interce-
„ derent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere, ſemper hic erro. Et epigramma illud inter luſus Priapi.

Cùm loquor, vna mihi peccatur litera, nam præ
Tæ dico ſemper, bleſaque lingua mea eſt.

Virgilius itaque fingit ſe vini generoſitate offenſum fuiſſe, idque Vario ſignificare volens, inquit.

Scilicet hoc ſine fraude, Vari, dulciſſimè dicam,
Diſpeream, niſi me perdidit iſte potus.

At cùm ſe vna ſyllaba in carmine peccaſſe intelligat, poſtremumque verſum longius crus trahentem ſe confeciſſe animaduertat, quaſi errorem emendare ſtudeat, tacitus de aliqua dictione, quam pro illa altera potus ſubſtitueret, diù quæſiſſe videri vult, quæ cùm ei poſt longam diſquiſitionem non occurriſſet, arripuit è propinquo, quam ſors ei obiecit, dixitque puer loco potus bellè verſus dimenſione ſeruata, id autem erat, quod ſincerè, & ex animo voluit initio ſignificare: Neque cuiquam mirum videri debet pueri à ciatis pulchritudine

captum fuiſſe Virgilium, etenim qui pocula in conuiuijs miſcebant, formoſi eſſe conſueuerunt, ijque potiſsimum ad hoc munus obeundum deligebantur, qui forma, ac venuſtate cæteros anteirent, quod ſæpe à me penes diuerſos ſcriptores obſeruatum fuit, ſed inſtar omnium eſto (vt hęc quoque pars nullo non idoneo teſte muniatur) C. Gracchi auctoritas, cuius in oratione, quam ad populum in concione habuit cùm ex Sardinia redijt, hæc ſunt verba citante Gellio.

„ Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie ſtabant: ſed in „ conuiuio liberi veſtri modeſtius erant, quàm apud principem: Sed mihi temperare non poſſum, quominus & Martialis diſtichum hoc adſcribam ex lib. 11.

Dormiat & tecum, qui cùm modò cæcuba miſcet,
Conuiuas roſeo torſerat ore puer;

Iam verò conſueuiſſe interdum poëtas carminis modulo factum ſuũ excuſare, patet hiſ, quæ ſubieci, exemplis: Lucilius,

ſeruorum feſtum dies hic,
Quem verſu exametro non planè dicere poſſis.

Cùm Sigillaria denotare vellet. Horatius.

Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt.

Equotutium intelligens. Ouid. de Ponto lib. 4.

Qno minus in noſtris ponaris, amice, libellis,
Nominis efficitur conditione tui,
Lex pedis officio, fortunaque nominis obſtat.
Quaque meos adeas, eſt via nulla, modos.
Nam pudet in geminos ita nomen ſcindere verſus:
Deſinat vt prior hoc, incipiatque minor.
Et pudeat ſi te, qua ſyllaba parte moratur,
Arctius apellem, Tuticanumque vocem.
Et potes in verſum Tuticani more venire:
Fiat vt è longa ſyllaba prima breuis.
Aut vt ducatur, quæ nunc correptius exit,
Et ſit porrecta longa ſecunda mora.
His ego ſi vitiis auſim corrumpere nomen,
Ridear, & meritò pectus habere neger.
Hæc mihi cauſa fuit. Et reliqua:

Ac rurſus ad eundem Tuticanum ſcribens inquit.

Hæc tibi mittuntur, quem ſum modo carmine queſtus
Non aptum numeris nomen habere meis.

Sic etiam Martialis de Earino Domitiani.

Dicunt Earion tamen poëtæ:
Sed Gręci, quibus eſt nihil negatum,

Et quos ἄγες ἄγες decet ſonare:
Nobis non licet eſſe tàm diſertis,
Qui Muſas colimus ſeueriores.

Archeſtratus quoq; in Cõmentarijs de ſalſamentis, quæ ſunt in Boſphoro, ſimile quippiam dixiſſe videtur his verſibus, qui referuntur ab Athenæo δειπνοσοφ: lib. 7. cùm de ſacro piſce loquitur.

Βοσπόρῳ ἐκπλεύσαντα τὰ λευκότατ' ἄλλα προσέσω
Μηδὲν ἔχει στερεᾶς σαρκὸς Μαιώτιδι λίμνῃ
Ἰχθύος αὐξηθέντος ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν.

» Τίς οὗτος (ſubdit Athenęus) ἐστὶν ὃν φησὶν οὐ θεμιτὸν ἐμμέτρως εἰπεῖν. i.
Candida mox adſint, quę mittit Boſphorus vndis.
Nil ibi ſit firmę carnis Meotide ſtagno:
Piſce quidem nato, quem verſu dicere non eſt.

Quis eſt hic piſcis, quem non licet verſu dixiſſe?

Vnde Luſcorum, & Luſcinorum cognomina deriuata ſint, & Plinij locus emendatus in altero illorum vocabulorum. Cap. XV.

LVSCOS, & Luſcinos ita diſtinxerim, vt Luſcos intelligamus manaſſe ab eo, cui oculus erutus fuerit, Luſcinos verò ab eo, qui interdiù, ſiuè ad lucernam, niſi ea, quæ propè admota eſſent, non videret, quaſi Luſcioſos, id eſt μύωπας, vt eos Græci vocant, teſtè Nonio, & Fulgentio. Atque hinc Fabricij, illinc Annij cognominati ſunt: Neque enim obſeruatum eſſe arbitror in antiquitate Romana, diuerſarum familiarum cognomina ab eadem omninò re ducta fuiſſe non eiſdem tamen vocabulis: veluti eſt cognomen Flacci in gente Horatia, & Valeria, Maximi in Valeria itidem, & Fabia, Taciti in Cornelia, & hac ipſa Annia. Quare cenſuerim ego falsò nos docuiſſe Sigiſmundũ Gelenium differentiam Coclitum, & Luſcinorum, dùm exiſtimat Coclites dici, qui altero minus oculo naſcerentur, Luſcinos verò, qui per vim fuerint eluſcati: hoc.n. poſtremum de Luſcis rectius enunciatur. Quę ſi vera ſunt (quemadmodum quidem eſſe mihi perſuadeo) operępretium eſt Plinij contextum emendare in voce Luſcini, vbi nunc vulgò legitur lib. 11. Luſcini iniurię cognomen habuere. Nam videntur tria priora elementa vocis iniuriæ diſsiluiſſe à propria ſede, & proximum, qui præceſſerat, locum occupaſſe, vt fieret Luſcini ex eo, quod antea eſſet Luſci iniuriæ, quæ deinde elementa repetita fuerunt ab indocto librario in voce ſequente, cuius alioquin nulla fuiſſet ſignificatio, ſi illo modo truncata permanſiſſet: quid enim, quæſo, valuiſſet in Latino ſermone vox vriæ? Eſt autem ſententia verborum Plinij hæc: Luſci habue-

runt cognomen ab iniuria vni ex Annia gente illata, cui à neſcio quo fuit exculpus oculus, ita vt fieret luſcus, quod nomen ab iniuria primùm profectum ad poſteros eius dimanauit conuerſum in familiæ cognomen, vt dicerentur deinde Annij Luſci, ad differentiam Plocamorum, Milonum, Caprarum, Verorum, Gallorum, Anulinorum, Libonum, Seuerorum, Fuſorum, Rufforum, & Tacitorum, quos omnes partim florentè Republica, & Imperio, partim eo iam collabente in Annia gente fuiſſe docent hiſtorici.

Cur lætam cupreſſum appellauerit Maro in Culice, atque, inibi Ioſephi Scaligeri caſtigatio reiecta. *Cap. XVI.*

EGO non percipio Ioſephi Scaligeri mentem ſuper illo Maronis ex Culice.

Ilicis & nigrę ſpecies, & lęta cupreſſus.

» Cùm ait. Læta eſſet ἀμφιλαφὴς, quæ tamen habeat γλισχρὰ folia, » vt vocat Theophraſtus, & vt res ipſa docet, læta eſſe, & ἀμφιλαφὴς non poteſt. An verò arbor γλισχρὴ non poteſt eſſe lęta? Certè ſi γλισχρὰ folia ſunt viſcoſa, ac tenacia, lætæ autem arbores appellantur, quæ fæliciter proueniunt in aliquo ſolo, quid vetat γλισχρὰ eſſe læta? Quod vt aliter ſit, haud tamen Scaligero facilè conceſſerim legi debere in illo carmine lenta: ſiquidem cupreſſus proceræ, & adultæ, de qualibus loquitur illic Maro, non ita facilè ducentis manum ſequuntur, vt ipſis illud epithetum conuenire poſsit: Intelligemus hoc multò facilius, ſi vſum illius adiuncti aliunde certò cognouerimus: Ac, ne ab erudito poëta diſcedam, inquit idem Virgilius in Tityro.

Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit vrbes,
Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſsi.

Et in Palæmone vitem lentam appellauit, ac ſalicem, ſicut & in Daphnide, & lentum vimen in opere Ruſtico

Seu lento fuerint aluearia vimine texta.

Atque iterum in Grandiori poëmate.

Rurſus & alterius lentum conuellere vimen *Inſequor.*

Ac de hederis in hoc ipſo Culice haud multò inferius dicet.

Ipſęque excedunt ad ſumma cacumina lentæ.

Et lentare de remis, qui inflectuntur. Sed ῥαδιναὶ κυπάρισσοι dicũtur à Theocrito? Dicuntur ſanè, at alio ſenſu, quemadmodum illic notat interpres exponens ῥαδινὸν τὸ ἐπίμηκες, καὶ λεπτὸν, τὸ ῥᾷα, id eſt εὐκόλως δονούμενον: vt ſi dicas procerum, ac teres, & quod facilè quatitur, & commouetur, cuiuſmodi eſt cupreſſus, cùm vento agitatur.

tur: Reſtat igitur, vt lætam cupreſſum accipiamus apud Maronē eo ſenſu, quo lætæ ſegetes ab eodem poëta nuncupantur in Georgicis

Quid faciat lætas ſegetes. & lætum gramen

Pingueſque in gramine læto. & lætus palmes in Melibæo.

Iam læta turgent in palmite gemmæ.

Quomodo ſit dictum à poëta neſcio quo Lunam Caluos adamare, & cur Syneſius σελήνια caluos appellauerit, vbi Eliæ Vineti, atq; Adriani Turnebi ſententiæ perpenduntur. Cap. XVII.

OENIGMATIS ſpeciem præſeferre videtur, quod à poëta quopiam refellere cupiente monoſtichum illud.

Vngues Mercurio, barbam Ioue, Cypride crines

De caluis traditur eo verſiculo.

Mauors imberbes, & caluos, Luna, adamaſti.

Elia Vinetus, cuius opera, atq; induſtria Auſonij monumenta emendatiora, explicatioraque habemus, in ſuis ad hunc locum commentarijs de Endimione id dici putat; de cuius tamē caluitio nihil ſe legiſſe fatetur. Referres te, Vinete, ad Luciani veras narrationes, & quid ſcriptor ille de populis in Lunæ orbe degentibus fabulatur, obſeruares: intelligeres.n.carminis illius veram, germanamque ſententiam; quæ his verbis ex eo loco deſumptis optimè aperitur. καλὸς
„ νομίζεται παρ' αὐτοῖς ἤν που τὶς φιλακρὸς καὶ ἄκομος ᾖ. τοὺς δὲ κομή-
„ τας καὶ μυσάττονται. addit autem, quod huic contrarium eſt. ἐπὶ δὲ
„ τῶν κομητῶν ἀστέρων, τὸ ὐναντίον. τοὺς κομήτας καλοὺς νομίζουσιν.
Hoc eſt. Pulcher apud illos habetur caluus, & ſine coma: comatos «
autem abominantur. Apud eos verò, qui cometas inhabitant ſtellas, «
comati contrà formoſi habentur: Vnde etiam factum puto, vt calui à Syneſio lunulæ nuncupentur: niſi ſi quis malit huius appellationis cauſſam ad ſplendorem cranij depilis referre, quod lucet inſtar lunæ: certè de Iſocrate dicterium commemoratur, quòd per caluam eius cerebrum eluceret: Valerius quidem Maximus de Æſchylo poëta lo-
„ quens ait. In Sicilia mœnibus vrbis, in qua morabatur, egreſſus,
„ aprico in loco reſedit: ſuper quem aquila teſtudinem ferens, eluſa
„ ſplendore capitis (erat.n.capillis vacuum) perinde, atque lapidi, eam illiſit. Itaque Petronius Arbiter epigrammate quodam caluariam ridere dixit, ideſt ſplendeſcere, id.n. interdum ſignificat vox illa, ſicut apud Horatium.

Ridet argento domus. Petronij carmen eſt hoc.

Quod ſolùm formæ decus eſt, cecidere capilli,

Vernanteſque comas triſtis abegit hyems.

Nunc vmbra nudata ſua iam tempora mærent,

Areaque attritis ridet aduſta pilis.

Vnde ſcire licet, Adrianum Turnebum vehementer cæcutiſſe, qui in caluorum cranio ſplendorem illum videre non potuerit, quem tamẽ, præter Valerium, ac Petronium, Nicetas quoque Choniates, vtpote acutiori acie prǫditus in Ducas caluaria liquidò aſpexit, inquit enim.

„ Σιωπεςὼς δὲ ὁ δηλωθεὶς ἄνωθεν Δούκας, τὸν πῖλον τῆς κεφαλῆς ἀφελό-
„ μενος, ἑαυτῷ περιθέσθαι ἱκέτευε τὸ διάδημα, ἐψιλωμένον τριχῶν
„ προδεικνὺς κρανίον, καὶ τὴν φαλάκραν ὡς πλησίφωτον σελήνην ὑπερ-
φαίνουσαν. hoc eſt. Cæterùm Ducas, cuius antè meminimus, illi aſtans, detracto capiti pileo, orabat, vt ſibi diadema imponeretur caluitio oſtenſo, quod inſtar plenæ lunæ relucebat. Hæc ſi Turnebus ſciuiſſet, aut meminiſſet, doctrinę, ac diligentiæ ſuæ certius, atque præclarius ſpecimen nobis reliquiſſet.

Horatii ſententia ex dulciſsimo ſcriptore Xenophonte expreſſa. Cap. XVIII.

CLAVSVLA illa epiſtolæ Horatij ad Numicium.

Viue, vale: ſi quid noniſti rectius iſtis
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

Videri mihi ſolet imaginem cuiuſdam ſermonis referre, quo vtitur Xenophon in Commentario cui titulus Ἱππαρχικός: illic. n. Grǫcus auctor docere volens modum, ac rationem, qua pedes equorum fieri poſsint ſolidiſsimi, ac robuſtiſsimi, ita inquit. ὡς δ᾽ ἂν καὶ οἱ
„ πόδες ἄριστοι τῶν ἵππων κράτιστοι, εἰ μέν τις ἔχει ῥάω καὶ εὐτελεστέραν ἄσκη-
„ σιν, ἐκείνη ἔστω. εἰ δὲ μή, ἐγώ φημι χρῆναι, πεῖραν ἔχων. & reliqua. hoc eſt. Quemadmodum autem fiant pedes equorum robuſtiſsimi, ſi quis habet faciliorem, & promptiorem exercitationem, eam ſequatur, ſin minus, illud vſu doctus faciendum ſuadeo. Vt hinc iam ſcire liceat, non ex nihilo dictum fuiſſe à Latino poëta.

vos exemplaria Grǫca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Nam quæ inde vtilitates ad ſcriptiones noſtras exornandas trahi poſſint, Horatius ipſe longo vſu optimè didicerat.

Martialis dictici cuiuſdam vera ſententia demonſtratur, quæ Domitium Calderinum latuit. Cap. XIX.

REFRIXERIT omnis argutia huius Martialis epigrammatis ex libro 2. ad Marianum.

Sępe ego Chriſtinam futui. det quàm benè, quęris?

Supra

Supra quod fieri nil, Mariane, poteſt.

Niſi poſterioris carminis mens, ac ſententia ad liquidum percipiatur, in eo ſiquidem lepos omnis, atque acumen epigrammatis continetur, ac tametſi turpis, obſcœnaque ſententia illi ſubſit; nobis tamen, qui difficillimos quoſque veterum ſcriptorum locos explicandos ſumpſimus, nullo modo ea videtur diſsimulanda: Calderinus n. in quo non mediocre auxilium repoſitum eſſe conſueuit ad epigrammatarij mentem planè, atque apertè cognoſcendam, nihl hùc ſuæ opis confert; quod poëtæ acumen, & ingenium detegat. Ego igitur exiſtimauerim epigrammatarium impudicam mulierē nomine Chriſtinam notare voluiſſe, tanquam ei turpitudini obnoxiam, quæ ſaluo pudore à nobis nominari nequit, & quæ ne à Martiale quidē ſuo, proprioque vocabulo appellatur, ſed verborum inuolucro adhibito latenter ſignificatur; intelligit autem infame illud, & flagitioſum libidinis genus, quod ore membro virili admoto peragitur, de quo meminit aliàs Martialis non vno in loco: Huius autem deſcriptionis ratio haud mediocriter aperitur epigrammate quopiam, quod inter luſus Priapi legitur hunc in modum.

Per medios ibit pueros, mediaſque puellas
Mentula, barbatis non niſi ſumma petet.

Rurſus endecaſyllabo quodam.

Quòd ſi tàm grauis, & moleſta pœna
Non profecerit, altiora tangam.

Cùm igitur ſupra os nullum extet foramen, quo obſcœnitas aliqua perpetrari poſsit, œnigmaticè dictum eſt à Martiale Chriſtinam tàm benè dare, vt nihil ſupra: Argutiam igitur captauit epigrammatarius ex ambigua loquendi formula, nam, cùm ſupra quod fieri poteſt valere videatur id, quod in communi ſermone dici conſueuit, vt nihil melius, aliter nunc illud ſumit, vt oſtendi.

Quomodo amara pharmaca ægrotis exhiberent veteres, vbi de Lucretii loco diſputatur. Cap. XX.

INDVLGENTIORES, atque elegantiores medici, cùm potionem aliquam amaram ægrotis exhibent, veluti, exempli gratia, abſinthia, *prius oras pocula circum*
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur.

Quod ſimile Themiſtius quoque vſurpauit in Oratione ad Nicomedenſes:

déſes: & ex noſtris Torquatus Taſsius illo ſuo pilluſtri poëmate, quo Gothifredi, aliorumque Chriſtianorũ principũ res geſtas in Hyeruſalem expugnatione magnifico, eodemque ſuauiſsimo carmine Muſis omnibus, atque Apolline ipſo fauentibus nuper cecinit, & quo quidem poëmate non modò omnia noſtrorum hominum illius generis poëmata ſuperauit, ſed & Græcorum, Latinorumque famæ luminibus obſtruxiſſe mihi videri ſolet, quocirca non putaui me operam ludere, & bonas horas malè collocare, ſi illud ipſum poëma ſcholijs quibuſdam, & commentarijs illuſtrarem; quod etiam libentius facio, vt oſtendam eius obtrectatoribus, quàm peruerſè de poëmatis, illorumque conficiendorum artificio, ac ratione iudicare ſoleant. Hic igitur Torquatus Taſsius idem ſimile his verbis expreſsit.

Coſi all'egro fanciul' porgiamo aſperſi
Di ſoaue liquor' gli orli del vaſo,
Succhi amari ingannato intanto ei beue,
E dà l'inganno ſuo vita riceue.

Quod igitur mel præſtabat in triſtium pharmacorum exhauritione, id ficus efficiebant, cùm quid durius, craſsiuſque deuorare neceſſe erat: eos enim medios diuidebant, & intra ipſorum pulpam folia, bolos, aut pilulas illas abſcondebant, quas in ventrem mittere oporteret, itaque fico deuorato pharmacum quoque nulla moleſtia ſumebant: docet hoc Plinius lib. 27. „ Quidam (inquit) in polenta dedere „ ſupra pondus, addito pulegio: alij contra paralyſin: alij pueris fo„ lia in fico, ſic vt amaritudinem fallerent. Loquitur autem de abſynthio, de quo illud etiam ſtatim dixerat. Diligenter autem teri debet, propter difficultatem. Quod fauet ſcripturæ, quam in vno codice Lucretij olim inſpexi; in eo .n. disertè legebatur.

Sed veluti pueris abſinthia trita medentes
Cùm dare conantur.

Pro eo, quod nunc vulgò tætra legitur. Significo autem, non determino.

Declaratum carmen Auſonii. *Cap.* XXI.

VBERA, quæ in humeris geſtat Nouember in Auſonij tetraſticho de Menſibus.

Deuotusque ſatis vbera fert humeris.

Neque ſunt ſemina in ſaccis repoſita, & in agricolarum dorſo coniecta, neque ad Iſidis mammillas referri debent, ſi quid iudicio: Sed fimum ſignificant, quo illo menſe, qui vere ſementem facturi ſunt, agrum ſtercorare conſueuerunt, vt docet Columella; rectè autem

ſtercus, vber appellatur, quoniam eo, perinde ac infantes nutricum lacte, agri aluntur, atque impinguantur, vnde vber glebæ legas apud Maronem, id eſt fœcunditatem, quæ nimirùm ex ſtercoratione prouenit.

Eſt locus (Heſperiam Grai cognomine dicunt)
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.

Cuiuſmodi fuerint verſus circulares, vbi D. Thomæ Aquinatis opinio confutatur. Cap. XXII.

SCIO multos accuratè, ſummaque diligentia quæſiuiſſe, qui nam tandem fuerint libri illi, quos *ἐγκύκλιυς* nominat Ariſtoteles *ἠθικῶν νικομαχέων* 1. & vt omnes fermè opiniones, quæ ſuper hac re circumferuntur, probabiles iudico, ita illam nullo prorſus modo recipi debere contendo, quam attulit D. Thomas in ſuis ad locum illum comentarijs: Huic tamen viro hanc culpam facilè condonabimus, ſi nobiſcum reputare voluerimus, ipſum à ſtudio muſico, atque ijs literis, quæ humaniores appellantur, tantùm abeſſe voluiſſe, quantùm in Philoſophia, rerumque diuinarum cognitione excellere ſtuduerit: D. igitur Thomas locum illum Ariſtotelis, vbi *περὶ τῶν ἐγκύκλιων* meminit, perinde accipit, ac ſi de verſibus circularibus; i. *τῶν ἀντιςρέφων* loquatur philoſophus: Sed per Deos; quotuſquiſque tandem in animum induxerit hanc ſententiam amplecti, qui, cuiuſmodi fuerint *ἀντιςρέφα* carmina, leuiter modò cognitum habuerit? Equidem exiſtimo nulla vmquam ratione adduci potuiſſe Ariſtotelem, vt philoſophiæ præcepta obſcura illa quidem ſua vi, atque explicatu difficilia huiuſcemodi carminum genere complecti voluerit, ſeque tàm arctis cancellis concludere, & in eas anguſtias ſponte conijcere, vnde ſe minimè, cùm vellet, expedire poſſet, præſertim cùm nulla vtilitas ex arcta illa carminis ratione colligi potuiſſet: verùm nihil opus eſt pluribus id verbis oſtendere, cùm ſatis, ſuperque percipi poſſit: ſi cuiuſmodi fuerint verſus illi, demonſtrauero. Sidonius Apollinaris, auctor ille quidem non valdè bonus, ſi locutionem inſpicias, at ſi epiſtolarum, quas ſcribit, argumenta ſpectes, non omninò contemnendus ad Burgundionem ſcribens, docet verſus recurrentes (ſic.n. *ἀντιςρέφυς* ipſe vocat, qui aliàs Sotadici nuncupantur) non vnius generis eſſe; nam & qui metro ſtante, neq; literis loco motis, vt ab exordio ad terminum, ſic à fine releguntur ad ſummum, recurrentes dici admonet, cuiuſmodi eſt antiquũ illud.

Roma tibi ſubitò motibus ibit amor. necnon illud.
Sole medere pede, ede perede melos.

Quibus

Quibus ego alterum addo, quod adhuc Florentiæ viſitur in pauimento vermiculato delubri Ioanni Deo tutelari dicato.

En giro tortè ſol cyclos, et rotor igne:

Neque non item pro recurrentibus haberi declarat, qui pedum lege ſeruata, etſi non per ſingulos apices, per ſingula tamen verba repli-
,, cantur, vt eſt vnum diſtichon meum (ſunt autem hæc ipſius Appol-
,, linaris verba) quod de riuulo luſi, qui repentino procellarum paſtus
,, illapſu, publicumque aggere eum cum fragoſo diluuio ſupergreſ-
,, ſus, ſubdita culta viæ inundauerat, quamquam depoſiturus inſanam
,, mox abundantiam, quippequem pluuijs appendicibus intumeſcen-
,, tem, nil ſupra venæ perennis pondera inflarent, igitur iſtic (nam
,, viator adueneram) dum magis ripam, quàm vadum quæro, tali io-
,, catus epigrammate, per turbulenti terga torrentus ijs ſaltem pedibus inceſsi.

Præcipiti modò, quod decurrit tramite, flumen
Tempore conſumptum iam citò deficiet.

Hoc ſi recurras, ita legitur.

Deficiet citò iam conſumptum tempore flumen,
Tramite decurrit quod modò præcipiti. &c.

Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo.

Hactenus Apollinaris: ſed extat epigramma Petri Angelij viri omni polita eruditione exornati, & ob ingentem partam ſibi laudem in carminibus pangendis, illuſtri loco politi, quod quia ſuauiſsimum eſt, libuit adſcribere.

Carminibus mihi ſi duram vis flectere mentem
Albia, voce tua conſocianda lyra eſt:
Lętitias ego tum magnas iam ſentio, cùm mi
Liquida vox ſenſus, & ſonus exhilarat.

In hunc ordinem reponere etiam oportet Maronis illud.

Aut lęues ocreas lento ducunt argento.

Eſt enim reciprocum carmen auctore Seruio, qui ſi vera ſcribit, admonet nos, ita illud legi debere.

Aut ocreas læues. & reliqua:

Aliter enim non conſtat verſus, vt reciprocetur. Animaduerti præterea aliud genus reperiri *ἀντιστρέφων ἔπων*, quod ab Apollinare omiſſum eſt; in eo ſi quis rectam verborum ſeriem immutet, ac quod vltimum in ordine antea erat, primum efficiat, contrariam ſententiam reddiderit: huiuſmodi eſt, quod me puero in ſcholis circumferebatur de Caimo, & Abele fratribus.

Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo.

Quod ſi inuerſo verborum ordine pronuncietur, diuerſam, atque

adeò

adeò contrariam ſententiam repræſentabit, In hoc autem genere carminum ſenſus priori contrarius ex interpunctione aliter, atque aliter adhibita, potiſsimùm oritur, velut in hoc diſticho.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium, quod ſi inuertas, erit.
Eximium decus hoc fecit te ſcandere rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

Hæc inepta carminum artificia maximo in honore fuerunt apud eos homines, qui ducentis, trecentiſq; ab hinc annis in literis floruerunt, ij ſe plurimùm in bonarum diſciplinarum ſtudijs profeciſſe tunc maximè exiſtimabant, cùm huiuſmodi deliramentis ſcripta ſua reſpergebant: Itaque Franciſcus Petrarca vir, vt illa ferebat ætas, valdè eruditus, & in Latinis carminibus pangendis non inuenuſtus, in Etruſcis verò propè diuinus, certè omnium præſtantiſsimus, ſuorum temporum labem effugere non potuit; nam & ipſe quoque in hac palæſtra ſe exercuit, extat enim adhuc inter eius monumenta epiſtola quædam, cuius initium. Iucunda ipſa fœlicitate. quæ ſi retexatur, & ſurſum verſum pronuncietur diuerſam, contrariamque ſententiā exprimet. Fuit & aliud carminum genus antiſtrophis non diſsimile, quod à bouum repetitis actibus in ſulco βουστροφηδὸν à Græcis nuncupari videtur, eius meminit Pauſan. Eliac. prior. Quibus ita declaratis, reliquum eſt, vt ſtatuant eruditi, an veriſimile ſit Ariſtotilem hæc ſcitamenta conſectatum fuiſſe in philoſophiæ decretis proſteritati tradendis, propriaque de re obſcuriſsima, ac plurimis, craſsiſque ignorantiæ tenebris ad ſua vſque tempora inuoluta ſententia explicanda; mihi quidem non modò non veriſimile, ſed prorſus ἀδύνατον videri ſolet: ac ſanè Martialis, quem iſtud carminis genus minus multo, quàm philoſophum dedecebat, ab huiuſmodi ſe ineptijs abhoruiſſe teſtatur epigrammate ad Claſsicum dicens.

Quòd nec carmine glorior ſupino,
Nec retrò lego Sotadem cynedum,
Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor iſte ineptiarum,
Scribat carmina circulis Palæmon,
Me raris iuuat auribus placere.

Hic .n. Martialis per Sotadem cynedum ſotadicum carmen intelligit, de quo, ſi quis plura ſcire cupit, Quintilianum, Diomedem, & Dionyſium, præter cæteros, adire poterit.

Horatii locus ex Odis de agris hiſpidis ſocus, atque ab aliis explicatur. *Cap.* XXIII.

CVR agri ab Horatio hiſpidi nuncupati ſint, cum ait.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros:

A nemine, quod ſciam, adhuc ita declaratum eſt, vt eruditus lector eius explicationi meritò acquieſcere debeat; ac tametſi fieri poteſt, vt ne hac quoque, quam in preſentia ſum allaturus, admodum ſatisfactum ſibi putet, volui tamen ſententiam meam aperire, vt pluribus propoſitis explicationibus, eam deinde quiſque ſequatur, quam probabiliorem eſſe exiſtimauerit: Itaque per hiſpidos agros eos intelligo, qui maturis frugibus referti ſunt, nam ij ſpicis ipſis, atque ariſtis horrere quodam modo videntur, ac ſetoſi eſſe, neque aliter dictum eſt à Marone in Georgicis.

Spicea iam campis cùm meſſis inhorruit. ac rurſus
Hæc galeis, denſiſque virum ſeges horruit haſtis.

Et in Æneide *atraque latè*
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus. item rurſus
Tùm latè ferreus haſtis
Horret ager.

Quod magis adhuc confirmari poſſe videtur horrei etymo, quod Grammatici afferunt, id.n. quaſi horridum propter aſperitatem ariſtarum nuncupari volunt, quoniam priſci fruges in ſuis ſpicis cum ariſtis in granaria reconderent: Pari quoque ratione faciem hiſpidam vocauit Horatius, quæ pilis referta eſſet.

Mutatus Ligurinum in faciem verterit hiſpidam.

Denique Martialis huic explicationi ſuo teſtimonio fauet in illis.

At cùm per decimam conſurgens horrida partem
Spica, feret præſens naſcentes campus ariſtas:

Non eſt autem ex nihilo dictum ab Horatio Non ſemper imbres manare, ac defluere in agros frugibus refertos, nam Virgilius Ecloga quadam teſtatus eſt

Triſte lupum ſtabulis, maturis frugibus imbrem.

Et rurſus in Grandiori ſuo Poëmate inquit.

Qualis vbi ad terras abrupto ſydere nimbus
It mare per medium, miſeris heu præſcia longè
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis, ruet omnia latè.

Et Columella De cultu hortorum.

Cùm iam maturis quærit (olitor *) ſupponere falcem.*

Sæpe ferus duros iaculatur Iuppiter ignes,
Grandine dilapidans hominumque, bouumque labores.

Pertinuit igitur ad argumentum, quod in manibus habebat Horatius, maiore vi, atque efficacia tractandum epithethum illud agris adiectum, ac ſolere quidem poëtam hunc magno iudicio, & prudentia adiunctis vti, qui eius ſcripta diligenter euoluerit, facilè mecum fatebitur.

Martialis epigramma declaratum in quo de anulis, & eorum geſtatione fit mentio. Cap. XXIIII.

ADDVCAM vniuerſum Martialis epigramma, vt id mea explicatione planum reddam, cęteroqui obſcurum, nec ſatis ab interpræte intellectum, neque autem fieri poteſt, vt non totum proponatur ob ſententiæ perpetuitatem, carminumque connexionem, quæ veluti cathena quæpiam perpetuò ſe conſequuntur, inuicemque cohærent, eſt autem hoc lib. 5. de Stella.

Quòd nutantia fronte pertinaci
Geſtat pondera Maſclion ſuperbus,
At grandis Linus omnibus lacertis
Septem quòd pueros leuat, vel octo,
Res non difficilis mihi videtur,
Vno cum digito vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

Difficultas epigrammatis redigitur ad poſtremum carmen ob rei nouitatem geſtandi decem puellas in digito: Hunc ego nodum ſic explico. Stella videtur plurimùm delectatus anulorum geſtatione, ſicut epigrammate, quod hoc proximè anteceſſit, oſtendit Martialis, dum inquit.

Sardonycas, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenies: inde eſt hęc, puto, culta manus.

Hoc idem ſignificari arbitror poſtremo endecaſyllabo alterius epigrammatis à me propoſiti, hac de cauſa. Amatores ſummo ſtudio expetere conſueuerunt rem aliquã à puellis, quas depereunt, ſibi dari, quam apud ſe, tanquam mutui amoris teſtem conſeruent, atque inter res præcioſiores diligentiſsimè cuſtodiant, & qua identidem ſe oblectent, & dolorem, quem examaſiæ abſentia capiunt, hoc quaſi lenimento nonnihil conſolentur, Stella igitur puellis, quas adamaret, vel anulos vi detraxit, vel ab ipſis volentibus accepit: Ac ne cau-

ſa noſtra teſtibus careat, libuit hùc aduocare alterius poëtæ locum, qui hoc, quod dico, vehementer confirmare videtur, is eſt Horatius amantium morum diligentiſsimus, ſcitiſsimuſque enarrator, apud quem ita ſcriptum legimus.

Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo:
Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito malè pertinaci.

Atque hæc vna pôteſt eſſe non omninò falſa illius loci explicatio: Altera eſt, vt dicamus, Stellã geſtare conſueuiſſe anulos, in quibus amaſiarum imagines inſculptæ eſſent, nam & hoc veteres factitaſſe docet Clemens Alexãdrinus Pędagogi lib. 3. cuius verba altius repetere, & à lõginquiore capite arceſſere viſum eſt, vt res tota melius intelligãt.

" αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐριοδρομοῦσα, ἢ
" λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέ-
" λευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποστόλου μεμ-
" νήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων: οὐ γὰρ εἰδώλων
" πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται: οὐδὲ μὴν
" ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν, ἢ κύπελλα τοῖς σωφρονοῦσιν:
" πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ
" τὰς ἑταίρας: ὡς, μὴ δὲ ἐθελήσασιν αὐτοῖς λήθην ποτὲ ἐγγενέσθαι
" δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, διὰ τὴν ἐνδελεχῆ τῆς ἀκο-
" λασίας ὑπόμνησιν .i. Sint autem nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel nauis, quæ celeri curſu à vento feratur, vel lyra muſica, qua vſus eſt Polycrates, vel ancora nautica, quam inſculpebat Seleucus, & ſi ſit piſcans aliquis, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur, neque n. idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus vel ſolum attendere prohibitum eſt. Sed nec enſis, vel arcus, ijs qui pacem perſequantur, nec pocula ijs, qui ſunt moderati, ac temperantes: multi autem libidinoſi nudatos habent eos, quos amant, vel amicas, vt ne, ſi velint quidem, poſsint affectionis amoris obliuiſci, quòd libido, & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocetur: Huius etiam cõſuetudinis meminit Cicero de Finib. lib. 5. Nec tamẽ
" Epicuri (inquit) licet obliuiſci, ſi cupiã: cuius imaginem non modò
" in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in anellis habent.

Porrò veteres non vno, atque altero anulo contentos fuiſſe, verùm pluribus digitos onerare cõſueuiſſe docet Martialis hoc epigrãmate.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit anulos:
Nec cum lauatur. cauſſa quæ ſit, quæritis?
Dactylothecam nõn habet.

Quod

Quod autem Martialis hoc loco in Stella ſuo commēdat, id veluti turpe, ac vitioſum, reprehendere videtur Horatius in Satyra dicens

Sæpe notatus

Cum tribus anellis, modò læua Priſcus inani

Vixit inæqualis. Plinius quoque ſuæ ætatis luxum,
,, & ambitionem in anulis geſtandis notat lib. 33. Hic nunc (inquit)
,, ſolus excipitur (loquitur autem de digito medio, quem Galli, Britanique anulis exornabant, Romani reliquos omnes eo excepto) cęteri
,, omnes onerantur, atq; etiam priuatim articuli minoribus alijs. Sunt
,, qui tres vni minimo congerant: Illud etiam addere placet, quod de anulis æſtiuis legitur apud Iuuenalem, vt Romanorum delicię manifeſtius adhuc appareant, ait igitur.

Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,

Nec ſufferre queat maioris pondera gemmę.

Vnde colligimus veteres anulos habuiſſe, alios ęſtiuos, alios hyemales: æſtiui tenues fuerunt, & ex leui bractea: hyemales ſolidiores, ac ponderoſiores: quorum geſtatione digitos foueri ita, vt rigorem hyemis non ſentirent, exiſtimaſſe videntur delicatuli illi, qui æſtate deinde leuiores ſumebant, ne articuli videlicet eorum pondere nimis grauarentur.

Valerii Maximi communis lectio contra M. Antonii Mureti ſententiam defenſa. Cap. XXV.

NVLLA prorſus fuit cauſſa, quamobrem M. Antonius Muretus vir alioqui inſigniter eruditus, locum hunc è ſexto Valerij Mximi attingeret, & tanquam mendoſum caſtigaret, præſertim integram dictionem communi librorum conſenſu iamdiu receptam è ſua ſede deturbando. Valerius de Cimone loquens ita ſcriptum re-
,, liquit. Cimonis verò incunabula opinione ſtultitiæ fuerunt referta:
,, eiuſdem ſtultitiæ imperia ſalutaria Athenienſes ſenſerunt: itaq; coe-
,, git eos ſtuporis ſemetipſos damnare, qui eum ſtolidum crediderunt. Muretus ſtultitiæ vocem in poſteriore loco non agnoſcit, ac veluti ſuperuacaneam, & ocioſam inducenduam putat: Ipſe omnem venuſtatem auferri contendo, ſi vox illa ex contextu eximatur: namque εἰρωνικῶς ibi loquitur Valerius, quaſi illa minimè fuerit ſtultitia appellanda, quę tot commoditates Athenienſibus poſtea peperit: Hic autem loquendi modus in noſtra quoque lingua radices egit: ſed & Propertius Elegia, qua puellarum auaritiam deteſtatur, non aliter locutus videtur, ibi.

Ille furor patrię fuit vtilis, ille parenti.

Experta eſt veros irrita lingua deos:
Nec aliter aſtutus ille ſeruus apud Terentium Heautont.
Vin tu homini ſtulto mihi auſcultare?
Hûc etiam mirificè quadrat, quod Solon Athenienſium ſenatui ipſum, quòd ſtuderet Piſiſtrato, inſanire clamanti, reſpondit, Meam (inquit, inſaniam ciuibus breui oſtendet tempus, cùm veritas in lucem venerit.

Δείξει δὴ μανίην μὲν ἐμὴν βαιὸς χρόνος ἀστοῖς
Δείξει, ἀληθείης ἐς μέσον ἐρχομένης.

Quemadmodum eſt apud Laërtium in Solonis vita. Eòdem ſpectat vox Cotys Thracum regis, cui acriter in ſubditos animaduertẽti amicorum quempiã dixiſſe ferunt *μανία τοῦτ' ἐστί, καὶ οὐ βασιλεία*, illumq; reſpondiſſe, *ἀλλ' ἡ ἐμὴ αὐτὴ μανία τοὺς ἀρχομένους σώφρονας ποιεῖ*: neq; .n. rex ille huiuſmodi ſermone amico interoganti dabat, vt rectè furor eius imperandi ratio appellaretur, ſed ita loqui interdum conſueuimus, cùm inſtitutum aliquod noſtrum magis adhuc commendare volumus, quemadmodum ſexcentis præterea collatis ex optimis quibusque ſcriptoribus teſtimonijs, niſi res per ſe valdè nota eſſet, oſtendere poſſem.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER QVARTVS.

Vetus quædam ſcriptura in Propertij carmine conſeruata aduerſus Gulielmum Canterum. Caput I.

LECTOREM hic breuiter admonitum volo, vt ſibi caueat à Gulielmi Canteri emendatione, quam in Propertij codices nuper inuhexit, nã quo loco politiſsimus poëta de Laconicarum fæminarum tolerantia, ac diſciplina loquens, ait.

Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros:

Ille non laudes, ſed ludos legendum admonet, huiuſque præclaræ coniecturæ auctorem citat Ioannem Auratum: Sed quicumq; is fuerit, qui non infames laudes reiecit, ipſe hoc loco eum docebo, quo pacto accipi debeat Propertianum adiunctum. Voces quædam ambiguæ, & mediæ ſignificationis repeciuntur,quę, etſi in bonam partem ſæpius accipiantur, poſſunt nihilominus, cùm res poſtulat, in deteriorẽ ſumi, cuius generis multę à Grammaticis adnotantur, in quarũ claſſem reponere licet laudem, cuius notio ad famã, & nomen,quod ex quacunq; re ſiue honeſta, ſiue turpi colligitur,referri poteſt, nam & fures nobiles appellantur, & lenones, & ſcorta,& veneficę,& quicunq; in ſuo artificio,& vitę inſtituto cęteros antecellũt, & ſe aliquo facinore nobilitarunt, qua re de aleatoribus circũfertur Mimus ille.

Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior.

Sic etiam dictum eſt à Catullo.

O furum optime balneariorum,

Et à Plauto in Moſtellaria.

Is nunc in aliam partem palmam poſsidet,

Loquitur illic de adoleſcente, qui ex moribus continentiſsimis degenerauerat ad mores corruptiſsimos:Si quis igitur primas in re aliqua turpi peragenda ferat, dicetur ille quidem laude non carere, ſed cuiuſmodi? turpi, inhoneſta, propudioſa, & quæ infamiam, & dedecus conciliet. hoc adeò verum eſſe ex epitheto,quo laudem perſæpe ornat Homerus, intelligi poteſt: appellat.n.ipſam καλὴν, quaſi ali-

qua

qua laus reperiatur οὐ καλῶ: ſic etiam aliquo pacto dictum videri poteſt à Marone.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque, puerque tuus.

Sed & Euripides multò manifeſtius hoc ipſum declarat, cùm inquit: Οὕπω νιν Ἑλένης αἰσχρὸν ὤλεσε κλέος.

Idem de Latina voce honor tradidit Gellius, qui ex oratione Q. Metelli Numidici ad ſuam ſententiā comprobandam hæc verba profert.
„ Qua in re quāto vniuerſi me vnum anteſtatis, tanto vobis, quàm mihi
„ maiorem iniuriam, atque contumeliam facit, Quirites, & quanto
„ probi iniuriam facilius accipiunt, quàm alteri tradunt, tanto ille vo
„ bis, quàm mihi, peiorem honorem habuit: Sic ex aduerſo ὄνειδος cum ferè in infamiæ, & turpitudinis ſignificatione ponatur, nonumquam tamen pro gloria accipi obſeruatum eſt, velut apud Euripidē in Iphygenia Aulidenſi, ibi

Καλόν γέ μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας. &
Θήβαις κάλλιστον ὄνειδος. &
Καλόν γ' ὄνειδος τῷ νεωστὶ νυμφίῳ.

Et illud ex poëta neſcio quo.

Γαστέρα μοι προφέρεις, κάλλιστον ὄνειδος ἁπάντων.

Quam loquendi figuram imitatus eſt Publius Syrus in Mimiambis illo ſenario.

Eſt honeſta turpitudo pro bona cauſa mori.

Et ex noſtris Ioannes Caſa in pulcherrimo quodam ſuo poëmatio, cùm inquit.

Dedecus ambitio pulchrum eſt, vitiumque fauentis
Laudatum populi ſtudio.

Non diſsimili quoque ratione dixiſſe videtur Apuleius: Poſſem equi
„ dem bono periculo vel his dictis contentus perorare. Seneca Hercule Furente. *proſperum, ac fœlix ſcelus*
Virtus vocatur: ſontibus parent boni.

Et vulgatum illud prouerbium Fœlix infortunium eſt carere liberis: Neq; aliter ferè dictum eſt à Næuio Maleuolis iucundū malum. Propertius igitur Laconicarum fæminarum inſtitutum commendare volens, dicit ipſas nudas inter luctantes viros palæſtra ſe exercere conſueuiſſe, indeque non infames laudes referre ſolitas; ſed honeſtas potius, & præclaras: Quæ verò dici poſſent infames laudes (vt exemplorum appoſitione res melius intelligatur) declarat Salluſtius in Ca
„ tilinaria de Sempronia loquens. Hęc mulier (inquit) genere, atque
„ forma, præterea viro, ac liberis ſatis fortunata fuit: literis Græcis,
„ & Latinis docta, pſallere, & ſaltare elegantius, quàm neceſſe eſt

probæ:

„ probæ: multa alia, quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt: ſed ei cariora ſem
„ per omnia, quam decus, atque pudicitia fuit: item Horatius.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Iam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur vngui.

Sic Clio fęmina bibaciſsima cum viris potando certare auſa, perſæpe «
victoriam reportauit, *αἴσχιστόν γε* (inquit Aelianus) *τοῦτο φερομένη* «
τὸ νικητήριον, ὥς γε ἐμοὶ κρίτῃ. hoc eſt. Verùm hanc victoriam adi «
piſci turpiſsimum ei fuit, me iudice: An verò deinde ex hiſtoriæ fi-
de dictum ſit Lacedæmonios palæſtræ operam dediſſe, cùm id Lycur-
gi lege vetitum fuiſſe conſtet; fuſius à nobis explicatur in Commenta
rijs ad Senecæ libros De Beneficijs, quos propediem in lucem ede-
mus, iam.n.abſoluti ſunt, & nihil, niſi præli commoditatem expe-
ctant: interim tamen pro certo affirmare licet huiuſmodi conſuetu-
dinem apud Chios viguiſſe, quod literarum monumentis proditum
eſt ab Athenæo *διπνοσοφιστῶν* lib. 13. his verbis. *ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ καὶ*
„ *βαδίζειν ἥδιστόν ἐστιν ἐπὶ τὰ γυμνάσια καὶ τοὺς δρόμους καὶ ὁρᾶν προσπα-*
„ *λαίοντας τοὺς νέους ταῖς κόραις.* hoc eſt. In Chio inſula in gymna-
ſia, curſusque accedere ſuauiſsimum eſt, iuuenesque luctantes cum
puellis intueri.

Varronis locus contra Petri Moſellani ſententiam declaratus. Cap. III.

EQVIDEM ſatis adhuc mirari nequeo, quid venerit in mentem
Petro Moſellano homini, vt apparet, in Grammaticorum ſcholis
magna cum laude verſato, ac tenuiore illa doctrina egregiè inſtru-
cto, vt adeò præpoſterè locum quendam M. Varronis interpretare
tur, vt & verborum, & mentis, & elegantiæ, ac ioci, qui in Varro-
nis verbis latet, rationem prorſus haberet nullam: locus, quem
nunc maximè intelligo, poſitus eſt apud Gellium lib. 13. vbi de iu-
ſto, aptoque conuiuarum numero, ac de menſis ſecundis, & bella-
„ rijs diſputans, Varro (inquit) Bellaria ea maximè ſunt mellita, quæ
„ mellita non ſunt, *πέμμασιν* enim cum *πέψει* ſocietas infida. Super
his verbis Moſellani ſcholion eſt huiuſmodi. Quæ mellita non ſunt,
id eſt quæ non ſunt magno apparatu cocta: Non puto quemquam
adeò hebetem inueniri, vt audita noſtra interpretatione, Moſellani
conatum non reijciat, & quàm à vero intellectu aberrauerit, planiſ-
ſimè nō perſpiciat: Dico igitur in Varronis verbis ſubeſſe *πλοκὴν*, &
vocem mellita priore loco poſitā pro ſuaui accipi oportere, poſterio- «

re verò ἀντὶ τῶν μελισσείων, ſimilemque videri Varronis ſententiam Phyloxeni poëtæ ἐντομηματίῳ, qui dixerit eas carnes ſuauiſsimas eſſe, quæ carnes non ſint, itemque piſces, qui piſces non ſint, cuius vocis meminit Plutarchus in ipſo veſtibulo Commentarij, quo adoleſcētibus cautiones præſcribit, vt poëtas abſq; detrimēto legere poſſint, cùm inquit. ὅτι μὲν ὡς Φιλόξενος ὁ ποιητὴς ἔλεγεν ὦ Μάρκε
„ Σήδατε, τῶν κρεῶν, τὰ μὴ κρέα ἥδιστα ἐστὶ, καὶ τῶν ἰχθύων, οἱ μὴ ἰχ-
„ θύες, ἐκείνοις ἀποφαίνεσθαι παρῶμεν, οἷς, ὁ Κάτων ἔφη, τῆς καρ-
„ δίας τὴν ὑπερώαν εὐαισθητοτέραν ὑπάρχειν. id eſt. Quod Philoxenus poëta dixit, M. Sedate, eas carnes ſuauiſsimas eſſe, quę carnes non ſint, itemque piſces, qui piſces non ſint: de eo pronunciare ſinemus iſtos, quós palato plus ſapere, quàm corde Cato aiebat: Iam verò ſatis notum eſt mellitum pro ſuaui, & amabili crebrò vſurpari, velut cùm de paſſere inquit Catullus. Et de oculis Iuuencij

Nam mellitus erat:

Mellitos oculos tuos Iuuenci, Rurſus alibi de eodem

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenci,
Suauiolum dulci dulcius ambroſia.

Sic etiam Auſonius nepotem ſuum mellitum vocat in Protreptico, & rurſus in Genethliaco.

Horatii locus ex Odis illuſtratus. Cap. III.

HORATIVS Od.7. lib.3. qua parte Aſterien hortatur, vt viro abſenti fidem integram ſeruet, nec amatoris alicuius querelis moueatur, ita inquit.

Prima nocte domum claude; neque in vias
Sub cantu querulę deſpice tibiæ:
Et te ſæpe vocanti
Durum, difficilis mane.

Cuius loci venuſtatem etſi primus omnium attigit Dionyſius Lambinus, additaque explicatione patefecit, nobis tamen gloriolæ partem aliquam reliquit, ac ſedulitatis, diligētiæque, quam in bonis auctoribus verſandis adhibere conſueuimus, fructum non inuidit: nam quòd cantum querulum μινυρισμὸν à Græcis apellari ſcribit, verum id quidem eſt, atque omnibus notum, ſed quomodo magis propriè adhuc amantium illæ ad puellarum fores querelæ dicerentur, non paſſim inuenies, qui tibi explicet, atque hoc ſanè eſt, ex quo Horatij locus mirificè illuſtrabitur. Plutarchus igitur proprium illius rei vocabulum ponit, atque eius conſuetudinis meminit in ἐρωτικῷ his verbis. τίς οὖν ὁ κωλύων ἐστὶ κωμάζειν ἐπὶ θύρας. ᾄδειν τὸ παρακλαυ-
„ σίθυ-

,, *σίθυρον ἀναβᾶν τὰ ἐχόνια. παγκρατιάζειν πρὸς τοὺς ἀντεραστάς. ταῦ-*
,, *τα γὰρ ἐρωτικὰ καὶ καθ' ὃ αἴθηται ὀφρύς*; hoc eſt. Quid verò prohi
bet, quin comeſatum ad fores eius ipſa eat, cantet carmen paraclau-
ſithyrum ad ianuam, imagunculas ſertis ornet, omni conatu cum ri-
ualibus decertet; hæc.n. amatoria ſunt? Quò etiam reſpexit Seneca
,, epiſtola quapiam dicens. Habitaturum tu putas vnquam fuiſſe in
,, Vtica Catonem, vt præternauigantes adulteras dinumeraret, & aſpi
,, ceret tot genera cymbarum varijs coloribus picta, & fluctuantem
,, toto lacu roſam, vt audiret canentium nocturna conuicia: nonne
,, manere ille intra vallum maluiſſet, quàm ibi vnam noctem anxius du
xiſſet? neque non item Plautus Perſa.

Atenim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores,
Proinde tu tibi iubeas occludi ædes foribus ferreis.

Gellij vetus ſcriptura aduerſus Lodouici Carrionis ſententiam comprobata. Cap. IIII.

RETINEAMVS vulgatam lectionem, & in longiſsimæ poſſeſ-ſionis iure ſedulò conſeruemus, licet eam Lodouicus Carrio loco mouere conatus ſit, & propria ſede deturbare, nam cùm paſ-ſim nullo diſcrimen antea legeretur in Gellianis codicibus ex Qua-
,, drigarii Annibalibus. Eo pacto ei ſub Gallicum gladium ſucceſsit;
,, atq; Hiſpanico pectus hauſit: dein continuo humerum dexterum eo
,, dem concuſſu incidit, neque receſsit vſquam, donec ſubuertit, ne
,, Gallus impetum icti haberet. Carrio cenſuit emendari debere Iſtius
pro Icti, neque verò eſt, quòd manuſcriptorum librorum auctorita-tem prætexat, tanquam iuſiurandum mendacio, etenim (vt rectè inquit Simonides)

Πρὸς ἀπάτην ὅρκος σοφιστής ἐστιν ἀξιόχρεος.
Iuſiurandum eſt egregius artifex doli.

Si igitur commoda aliqua ſententia, imò ſi omnium optima ex verbis, quæ in impreſsis codicibus habentur, elici poteſt (quemadmodum certè poteſt) nulla videtur cauſſa, quamobrem ad nouam ſcripturam confugiamus? quæ tamen huiuſmodi eſt, vt Quadrigarij verborum ſenſum penitus euertat, ne dum aliqua ex parte ſubleuet; nam quid tandē ſit, quod dicitur, Ne Gallus impetū iſtius haberet, ne ipſe quidē Carrio, ſat ſcio, explicabit: Ego quid ſibi velit Quadrigarius illis al-teris verbis, breuiter Carrionem docebo. Quoniam Gallus ille, qui cum pugnabat T. Manlius, armorum tractandorum artem, diſcipli-namque callebat, cuius rei Manlius imperitus erat, ſummo ſtudio ca uere oportuit, ne ſpatium, commoditaſque Gallo præberetur, vt

ſe componere poſſet, & in ſtatu ex arte conſtituere, quod cùm ſemel conſequutus eſſet Manlius, atque ſtatum Galli conturbaſſet, & de loco certo hominem deieciſſet, eoque pacto ei ſub gladium ſucceſsiſſet, non erat committendum, vt ab eo recedens liberum gladij vſum hoſti relinqueret, ſed inſtans, vrgenſque aduerſarium curare debuit, vt ei brachium impediret, ictumq; tardaret: Gallorum enim gladij ita fuerunt parati, vt primo impetu vnam plagam inferrent, deinde ita ſtatim curuarentur, & inflecterentur in longitudinem, & latitudinem, vt niſi ſpacium recedendi, & pede corrigendi daretur, celeriter ictus illorum eſſet irritus, quod Latinè à me expreſſum his
„ verbis refertur à Polybio. αἱ γὰρ μάχαιραι τῶν Γαλατῶν ταῖς κα-
„ τασκευαῖς μίαν ἔχουσιν τὴν πρώτην καταφορὰν καιρίαν, ἀπὸ δὲ ταύ-
„ της εὐθέως ἀποξυστροῦνται καμπτόμεναι κατὰ μῆκος καὶ κατὰ πλάτος ἐπὶ
„ τοσοῦτον, ὥστε ἂν μὴ δῶτις ἀναστροφὴν τοῖς χρωμένοις ἐρείσαντας,
„ πρὸς τὴν γῆν ἀπευθῦναι τῷ ποδὶ, ταχέως ἄπρακτον εἶναι τὴν δευτέ-
„ ραν αὐτῶν πληγήν. rurſus alibi. οἱ Ῥωμαῖοι συνδραμόντες εἰς τὰς
„ χεῖρας τοὺς Κελτοὺς ἀπράκτους ἐποίησαν. ἀφελόμενοι τὴν ἐκ διάρ-
„ σεως αὐτῶν μάχην. ὅπερ ἐστὶν ἴδιον Γαλατικῆς χρείας διὰ τὸ μηδα-
„ μῶς κέντημα τὸ ξίφος ἔχειν. hoc eſt. Romani concurſu facto, & co
minus congreſsi Gallorum impetum fecerunt irritum, adempta in altum tollendorum enſium facultate, qua Galli vti neceſſe habent, quòd eorum gladij punctim non feriunt: Sed & Seruius ad illud Maronis. *& ſublatum altè conſurgit in enſem*

Notat ita Gallos ferire conſueuiſſe: de quo nos etiam admonuit Liuius lib. 22. dicens. Gallis, Hiſpaniſque ſcuta eiuſdem formæ ferè
„ erant diſpares, ac diſsimiles gladij, Gallis prælongi, ac ſine mucro
„ nibus: Hiſpano punctim magis, quàm cęſim aſſueto petere hoſtē; bre
„ uitate habiles, & cum mucronibus. Quibus verbis Polybij ſententiā
„ exprimere voluit poſitam lib. 4. vbi prælium Cannenſe recenſetur. Præſtabit etiam adire Plutarchum in vita Camilli haud ita longè à fine, vbi docet, quo armorum generę inſignis ille Imperator ſuos milites inſtruxerit aduerſus impetum Celticorum gladiorum: Eius ego verba volens, libenſque prætermitto, ne exemplorum copia lectorem obruam, cuius quidem commoditati in primis conſultum volo. Atq; hæc vna ratio fuit conſilij Manlij in ea pugna: Altera colligitur ex Ariſtotile Mechanicorum quęſt. 12. vbi quærens philoſophus cur longius ferantur miſsilia funda, quàm manu iacta, inquit, iccircò id euenire, quia in fundæ vſu manus quidem fit centrum, funda verò quod à centro exit: quanto autē productius fuerit id, quod à centro eſt, tanto citius mouetur: ictus autem, qui manu fit, fundæ reſpectu breuis eſt: Ex hac .n. Ariſtotelis ratione conſequitur id, quod

oſten-

oſtendere propoſueram, ad quod reſpiciens Maro inquit.

Haſtaſque reductis
Protendunt longè dextris ac rurſus
Iamque aſſurgentis dextræ, plagamque ferentis
Aeneę ſubiit mucronem, impſumque morando *Suſtinuit*.

Quarum rerum ignoratione factum eſt, vt Quadrigarij locum à Gellio relatum mendoſum eſſe putauerit Carrio: qui ne inſolita quoque illius vocabuli ictus inclinatione moueatur, narro ei conſueuiſſe interdum veteres ſcriptores eo modo terminare patrios caſus huiuſcemodi dictionum, vt patet pluribus exemplis. Cæcilius Calchis.

Nam quidnam fores fecere ſoniti? idem Plotio
Quid hoc futurum obſonio, & vbi tantum ſumpti factum?

Accius Decio.

Nihil neque periculi, neque tumulti eſt, quod ſciam: & Nyctegreſia
Cuius vos tumulti cauſa accierim, & quid parem animaduertite.

Terentius Andria.

Nihil ornati, nihil tumulti, acceſſi, introſpexi.

Reliquas lectionis varietates, quas ibidem Carrio ad caput illud extendendum collegit, adeò leues, nulliuſque momenti ſunt, vt pigeat confutare.

M. Antonij Mureti opinionem de auctore prioris illius Orationis, quæ vulgò Iſocrati Platonis æquali tribuitur, veram non videri. *Cap. V.*

ORATIONEM illam percelebrem, optimiſque ad vitam rectè inſtituendam præceptis refertam, quæ Iſocratis nomine circunfertur, non illius Iſocratis eſſe, qui Ciceronis temporibus floruit, vt falsò putauit M. Antonius Muretus; ſed illius alterius, qui Iſocratis, & Platonis æqualis fuit, perſuaſum habeo, idq; adeò verum eſſe, præter alia multa indicia, perſpicuè conſtat Ioannis Tzetzæ teſtimonio auctoris quidem eruditi, & cui hac in re plurimum fidei adhibendũ ſit, propter ætatem, qua vixit, librorum .n. indices minus deprauati tunc temporis circumferebantur, vnde certius de auctore ilius παραινέσεως pronunciare potuit: Is autem Iſocratem illum, ex cuius officina, tanquam ex equo Troiano, eloquentiſsimos, facundiſsimoſque exiſſe oratores dictum eſt auctorem fuiſſe eius ipſius Orationis, de qua mihi cum Mureto nunc eſt controuerſia, diſertè prodit: idq; adeo perſpicuè à Tzetze expreſſum eſt, vt nullã prorſus difficultatẽ eius verba contineant, quę etiam vniuerſa hùc adſcripſiſſem, niſi longiora omninò iudicaſſem, quàm quod hoc adnotationis genus admittere ſoleat; apud ipſum igitur inſpici poterunt: Ac quoniam

veritatis inueſtigatio non tàm in propria ſententia aſtruenda, quàm in falſis aliorum argumentis euertendis verſatur, oſtendendum eſt Mureto, cur Iſocrates ille ὁ σὸς ἑταῖρος καὶ ἐμός à Dionyſio vocatus fuerit, id quod M. Cicero ſatis declarat, qui eadem prorſus de cauſſa Terentium familiarē ſuum appellaſſe videtur in Lęlio: nam cum eo ſcriptore valdè delectaretur, ipſumque in manibus aſsiduè haberet, nec vllo ferè tempore deponere ſolitus eſſet, potuit meritò eo modo ipſum nuncupare, quod de Dionyſio quoque intelligi volo: Veruntamen ſilentio non præterierim Iſocratis orationem de Regno videri ſcriptam non ab alterutro illorum Iſocratum, de quibus nunc maximè noſtra inſtituta eſt diſputatio, ſed ab Athenæo quodam ſophiſta, cuius meminerit Iulius Pollux Onomaſt. lib. 2. capite περὶ
„ ὀδόντων vbi ita ſcriptum legimus. ὁ Νικοκλέους τοῦ Κυπρίων πα-
„ τὴρ, ᾧ τὰς παραινέσεις ὁ Ἀθηναῖος σοφιστὴς ἔγραψε, τὸ μὲν ὄνομα
„ αὐτῷ Τίμαρχος ἦν, διστοίχους δ' εἶχεν ἄρα τοὺς ὀδόντας τῷ Ἀριστοτέλους λόγῳ. hoc eſt. Nicoclei verò Cypriorum regis Pater, cui Parenæſes Athenæus ſophiſta ſcripſit, nomine Timarchus vocabatur, duplicem verò, Ariſtotele teſte, dentium ordinem habuit: Verùm ego in præſentia malo ſuper hac re aſſenſum continere, ac me Scepticum profiteri, quàm quicquam certi, ac determinati in re tàm obſcura pronunciare: video.n. potuiſſe fieri vt diuerſi philoſophi, atque oratores ad eundem Nicoclem aliquid ſuarum ſcriptionum dirigerent.

M. Tullij vulgata lectio aduerſus Gulielmi Canteri emendationem defenſa. *Cap. VI.*

BENE eſt, quòd Adriani Turnebi analecta nonnullos alere poſſunt, qui alioquin diuturna inedia macerati teterrimo genere mortis dilaberentur: nam quod ille inter ſuæ menſæ purgamenta eſſe voluit, auidè corripuit Gulielmus Canterus, interque ſuas precioſiores dapes honorificè diſpoſuit: Intelligo autem caſtigationem cuiuſdam vocis, quam Canterus inuexit in codices M. Tullij Verr. 6. cùm tamen locus à mendo vacuus eſſet, ibi. De hoc Verre dicitur,
„ habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quædam, quæ
„ Heraclea nominantur Mentoris manu ſummo artificio facta: Nam cùm in omnibus tùm editis, tùm in priuatis bibliothecis latentibus exemplaribus ita, vt modò protuli, hæc verba extent: Canterus legi debere conſtanter affirmat Thericlea pro Heraclea, quæ fuit olim Turnebi phantaſia, vt ipſemet teſtatur in ſuis Aduerſarijs, à qua, melius deinde re tota perpenſa, diligentiuſque conſiderata, recedere non dubitauit: nam, per Deos, quid cauſſæ eſt, quamobrem quicquam

quam innouare debeamus, vbi vetera optimè quadrant, locumque ſuum cum dignitate tuentur? Iure mihi videor vetus illud Græcorũ prouerbiũ vſurpare poſſe Χρύσεα χαλκέων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων. etenim quàm recta eſt vulgata ſcriptura, tàm perperam excogitata eſt noua caſtigatio; Ac, præter cætera, ſaltem animaduertere debuit eius auctor Thericlem cyatos, qui ab eo nomen deinceps ſumpſerunt, ex vitro, aut ex terebinto, vel aliquo ligno, ſiue etiam argilla torno fingere conſueuiſſe, vt docent Theophraſtus, Suida, & Plinius; non autem ex argento, de qualibus poculis loquitur ibi Cicero. Rectum igitur eſt, quod habent editi libri Heraclea: ſunt.n. Heraclea pocula grandia, & capacia, cuiuſmodi nimirum Hercules vti conſueuit: de quibus cùm multa extent apud Athenæum, & nos longè plura collegerimus in noſtris libris De cænis antiquorum, præſtat nunc ſilentium agere, ne eadem vbique ingerere velle videamur.

Philippi Beroaldi ſententia ſuper Apulei codicis emendatione reiecta, nouaque allata. Cap. VII.

QVONIAM hoc lucubrationum genus adeò vagum eſt, & inſtabile, vt per omnes omnium ſcriptiones iure quodam ſuo peruolitet, libet aliquantulum in Apulei monumenta diuertere, vt maculam, quæ librum ſecundum μεταμορφώσεων occupauit, abſtergerem, priſtinoque candori reſtituerem, nam quo loco ita paſsim circumfertur: Quid cùm frequenti ſobole ſpiriſus cumulat verticẽ, vel prolixa ſerie porrectus dorſa permanat: Vitiũ ſubeſſe nemo dubitat; quod Philippus Beroaldus amputare volens corrigendum cenſuit ſpiſſus, nam denſitas (inquit) & ſpiſsitudo capillorum gratiam auget, ſicut raritas eſt dehoneſtamento: Ego mitiore malagmate impoſito partem illam malè affectam proſanari poſſe affirmo, ſi legatur ſpiroſus, id eſt ſpiræ in modum circa verticem conformatus, quod ipſemet Apuleius paulò poſt innuit illis verbis. Vberes.n. crines leniter emiſſos, & ceruice dependulos, ac deinde per colla diſpoſitos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes pauliſper ad finem conglobatos in ſummum verticem nodus aſtrinxerat. Ita autem caput exornare conſueuiſſe fœminas indicio eſt omnium ſermone tritum prouerbium ἐξ ὀφέων τὴν Ἀνδρομάχην διασκευάζειν, vbi ὄφις ornamentum capitis muliebre, quod (teſte Varrone) titulum Latini dicunt, ſignificat, ad quod referendum arbitror Iuuenalis illud ex Satyra 6.

Altera lenum
Extendit, pectitque comàs, & voluit in orbem, & paulò poſt
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum

Aedi-

Aedificat caput, Andromachen à fronte videbis,
Poſt, minor eſt. Sic etiam Statius in Violantillæ epithalamio
Celſæ procul aſpice frontis honores
Suggeſtumque comæ.

Item Septimius Florens Tertullianus libro De Fæminarum cultu. „ Præterea neſcio quas enormitates ſutilium, & textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retrò ſuggeſtum.. Plinius quoque lib. 9. „ Solliam Paulinam, quæ fuit C. Principis matrona, ne ſerio quidem, ac ſolemni cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cæna, vidi ſmaragdis, margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque: Sed & Gregorius Nazianzenus de eodem ornatu intellexit illo verſiculo.

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοις γυναῖκες. hoc eſt
Nec caput ædifices aſcito fœmina crine. Sic etiam Phocilides
Μὴ μὲν ἐπ' ἄρσενι παιδὶ τρέφειν πλοκαμηΐδα χαίτην,
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μεθ' ἅμματα λοξὰ κορύμβων. id eſt
Cæſariem ne mas criſpos producat in orbes,
Vincula neu plicent crines contorta corymbis.

Hunc autem capillorum nexum à Græcis quoque σπεῖραν dici apud Iulium Pollucem obſeruaui, vbi duo plectendorum crinium genera facit, σπεῖραν, et ὑπόσπειρον, quamquàm in Pollucis contextu perperam vulgò legatur σεῖραν, et ὑπόσπειρον, σπεῖραν Naumachius σειρὰν hoc eſt cathenam appellat eo verſu.

Μηδὲ κόμης περίαλλα πολυσχιδέας πλέκε σειράς id eſt
Neue comæ intortas temeraria necte cathenas;

Suidas plicaturæ capillorum cuiuſdam meminit, inſtar cornu efformatæ, quæ omnes huiuſmodi fuiſſe videntur, vt lectionem à me in Apuleianis codicibus excogitatam, mirificè confirment; eam itaque arctiſsimè complector, & Beroaldi coniecturæ præferre minimè dubito.

Aemilii Probi locus aliter, quàm à Lambino caſtigatus.

Cap. VIII.

DO locum eſſe corruptum apud Æmilium Probum in Pelopida ad finem ibi, „ Atque hęc ſecunda victoria accidit, nam iam inclinatę erant tyrannorum copię: Neque mihi de hoc vlla eſt cum Lambino controuerſia: ſed quod ipſe deinde remedium ad loci ſanationem adhibet, id verò mihi nullo modo probari poteſt: quis.n.tantum

ſibi ſumat in bonorum auctorum reſtitutione, vt nullo priſtinæ vocis, quæ in controuerſiam venit, ſeruato veſtigio, ac, ſi Dis placet, ne apice quidem cuſtodito, aliam eius loco temerè, confidenterque ſubſtituere audeat? Equidem, ſi hoc pacto veteres libros tractare mihi permittatur, profiteor me breui omnes ita emendatos redditurũ, vt nullam præterea moram legenti ſint allaturi: verùm ego ſemper ab hac ratione vehementer abhorrui, nec quicquam inſolenter mihi vendicare conſueui, quod ſi vſquam alibi, in hoc certè Probi loco ſibi permiſit Lambinus, in quo fortaſſe minus, quàm in quoquam alio neceſſe fuit, nam eius vera, germanaque ſcriptura vel cęco apparet, eſt enim legendum Sequuta pro Secũda minima ſanè, ac tantùm nulla mutatione: Facilis autem fuit ſcriptoris lapſus ex vna in alteram dictionem ob earum affinitatem, præſertim verò cùm ſæpe conſueuerint ineruditi amanuenſes pro litera Q. ei proximam, & ſono propè parem C ſcribere, niſi etiam illorum temporũ pronunciatio, atq; vſus ita ferret: Nemo igitur futurus eſt, qui non hoc modo locũ illum caſtigare malit, quàm cum Lambino Secunda pugna: Sic autem propemodum loquitur Paterculus initio prioris voluminis. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienſes ſequuta victoria eſt.

Horatij quidam locus ex hiſtoria illuminatus. Cap. IX.

ARIDE nimis, atque ieiunè attigerunt interpræ tes omnes hunc Horatij locum ex Odis.

Periculoſæ plenum opus aleę
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Nam cur dictum ſit à poëta aliquem incedere per ignes cineri doloſo ſuppoſitos, non aperuerunt, veriti fortaſſe ne ſi propius ipſi accederent, in huiuſmodi dolum imprudentes prolaberentur, quæ ſuſpicio nullam mihi cunctationem pariet, quominus ad locum ipſum me conferam, propterea quòd fraudem detexerim, inſidiaſque omnes probè cognitas habeam, vt profacilè mihi ſit eas effugere: Alluſit igitur Flaccus ad Ixionis factum, quod narrat Ioann. Tzetzes; ſcribit enim ipſum Deioneo ſocero huiuſmodi dolum fabricaſſe. Foueam humi excauauit, ignemque ſubſtrauit fouea ſupernè contecta, deinde ſocero perſuaſit, vt illac ſecum pertranſiret, qui rei ignarus in eam præcipitatus eſt, atque hoc pacto exuſtus. Tzetzæ verba, ſi quis ea fortaſſe requirat, viſum fuit adſcribere.

Οὗτος (nempe Ἰξίων) ποιήσας ὄρυγμα, καὶ πῦρ ὑποστορέσας,
Καὶ συγκαλύψας ἄνωθεν τὴν ὀρυγὴν δολίως,

N Τὸν

Τὸν πενθερὸν κατέπρησεν, ἔδνα ζητοῦντα τούτῳ.

Hoc eſt. Hic cùm feciſſet foueam, atque ignem ſubſtrauiſſet, atq; contexiſſet supernè foueam doloſè, Socerum exuſsit, qui dotem ab ipſo repoſcebat. Propertius quoq; hùc reſpexit lib. 1. eo verſu.

Et miſer ignotos veſtigia ferre per ignes.

Ab hoc figmento declamationis cuiuſdam *ὑπόθεσιν* ſumpſiſſe videri poteſt Iulius Baſſus, de quo Seneca Controu. lib. 10. ita loquitur.
„ Memini illum (Baſſum) declamantē declamaſſe controuerſiam de le
„ none, qui decem iuuenibus denunciauit, vt in lupanar accederent,
„ & foueam igne repletam terra ſuperiecta obruit, in quam adoleſcen-
„ tibus elapſis, & conſumptis, accuſatur Reip. læſæ. Ab hoc fraudis pleno commento non eſt abſimile, quod de Tarſenſibus ſcriptū reperi apud Suidam in *ταρσοὶ καλάμων*. narrat. n. ipſos foueis effoſsis, haſtiſq; in ijs defixis, cala,his arundinum, & materia greſſum non ſuſtinente, ſed cedente oneri, fauces foſſarum texiſſe, iniectoque puluere, & agris vtrinque excultis, frumentoque conſitis Romanos in fugam vertiſſe.

Cęſaris locus declaratus, atque inibi Franciſci Hotomani ſententia exagitata. Cap. X.

INVITVS cogor ad minuta quædam interdum deſcendere, quæ alioquin minimè fuiſſem adnotaturus, niſi vidiſſem magnos quoſdam viros in illis pueriliter admodum peccaſſe, quemadmodum nuper accidit Franciſco Hotomano, viro alioqui eruditiſsimo, is. n. in ſuis ad Cæſaris commentarios notis ingenuè fatetur, ſe ignorare quid
„ ſit, quod libro 3. de bello Ciuili dicitur. Qua ex frequentia T. La-
„ bienus prodijt, ſummiſſa oratione loqui de pace, atq; altercari cum Vatinio incipit: Neque. n. ſatis cohærere putat, flumine interiecto loqui ſummiſſa oratione, præſertim cùm inter eos orta eſſet altercatio: dubitandi autem cauſſam non habuiſſet, ſi alteram illius vocis notionem tenuiſſet, quæ ſi illic accipiatur, omnem dubitandi occaſionem auferet, nam ſi oratio ſummiſſa pro modeſta, atque humili, non tumida, aut inflata capiatur, nihil omninò ſcrupuli præterea relinquetur, & ſententiæ ſuæ ratio Cæſari perbellè conſtabit, nam ſic etiam
„ paulò ante de P. Vatinio dixerat. Multa ſuppliciter loquutus, vt ſua,
„ atque omnium ſalute debebat, ſilentioque ab vtriſque militibus au-
„ ditis, reſponſum eſt ab altera parte, & reliqua. Hoc autem valere interdū dictionē illam notiſsimū eſt, & vno atq; altero puriſsimi; elegantiſsimiq; ſcriptoris exemplo abundè intelligitur. M. Tullius in Orat.
„ pro Plancio inquit. Meum beneficium potius ad eum detuli, qui à

me

" me contenderat, quàm ad eum, qui mihi non omninò ſubmiſſè ſup-
" plicarat: Item Offi. I. vt quanto ſuperiores ſimus, tanto nos gera-
" mus ſubmiſsius. Liuius lib.38. oratio fuit ſubmiſſa, & infracta, exte-
" nuantis opes ſuas, vrbiumque ſuæ ditionis egeſtatem querentis.
Sic etiam Seneca de Benefic. ſubmiſsis, & familiaribus verbis. Tibullus quoque lib. 3.

Sed primum Nympham larga donate ſalute,
Atque hæc ſubmiſſo dicite verba ſono.

Neque non item Martialis lib. 8. de Gallo Lingonio.

Hos comes inualidus ſubmiſſa voce precatur.

Denique ſi quis plura exempla requirit, Latinæ linguæ theſauri, & dictionaria iſta, quæ labenti memoriæ ſuccurunt, ingentem ei copiam ſuppeditabunt.

Quæritur, quomodo legi debeat apud Plinium quodam in loco, flaueſcuntne, an potius flacceſcunt. Cap. XI.

PONAM verba Plinij quomodo ea ſcripta reperiuntur in vulgatis codicibus, non vt in eis quicquam immutem, ſed vt indicem tantùm ſuſpicionem meam, & quid mihi de ipſis in mentem venerit, pateſaciam. Loquitur Plinius de morbis hortorum, & remedia tra-
" dit circa formicas, erucas, & culices; inquit igitur. Omnia verò
" acceſſu mulieris menſtrualis flaueſcunt. Non diſpliceret mihi verbum flacceſcunt, ſi vetus aliquis codex huic lectioni ſuffragaretur: Sed ſi doctus quiſpiam ſuum calculum ad meum adijciat, vt abſit omnis veteris exemplaris auctoritas, ita legere non dubitarem, namque ipſemet Plinius cùm de eadem re alibi loquitur, verbum, quo idem re ipſa oſtenditur, licet in ſpecie quiddam diuerſum ſi-
" gnificari videatur, vſurpat dicens. Aceſcunt ſuperuentu muſta:
" ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum
" gramina, & fructus germina, quibus inſedere, decidunt. Eſt enim prorſus idem, ſi rem ipſam inſpiciamus, hortorum germina exuri, quod olera conflacceſcere, ſiue mori, vt loquitur Solinus: Verùm quoniam olera morientia, & conflacceſcentia viriditatem ſuam paulatim amittunt, non incommodè dici poſſe videtur, olera flaueſcere, vt à mutatione coloris intelligamus id, quod ei conſequens eſt.

Locus ex Cæſaris Commentariis obſcurus, atque perplexus leui mutatione emendatus, & declaratus. Cap. XII.

NISI Dionis obex ſeſe nobis offerret, egregiè mea opera emẽdatum haberemus Cæſaris locum, qui ob labem ſibi aſperſam au-

ctoris ſui mentem penitus apparere non ſinit: Ac, quamquam alter ille Grecus hiſtoricus impedimento nobis ſit, quominus ſolidam voluptatem ex loci deprauati reſtitutione percipere poſsimus, non putaui tamen committendum, vt hoc meum, qualecunque tandem futurum ſit, auxilium ei deeſſet: hinc .n. ſpes aliqua interim affulgere incipiet ad loci purgationem, ſiue etiam explicationem. Dubium eſt, an Galli Græcarum literarum cognitionem habuerint: Cæſar quidem ipſos non modò eas non ignoraſſe, ſed in communi ſcribendi conſuetudine paſsim vſurpaſſe innuere videtur: Scribit .n. Cōment. primo in caſtris Heluetiorum tabulas repertas fuiſſe literis Græcis cōfectas, & ad ſe delatas: Sed manifeſtius adhuc in 6. id ipſum aperit,
„ vbi de Druidum diſciplina loquitur, ait. n. Neq; fas eſſe exiſtimant ea
„ literis mādare, cùm in reliquis ferè rebus, publicis, priuatiſq; rationi-
„ bus Græcis literis vtantur. Lucianus quoq; in Hercule Gallico idem
„ confirmare videtur his verbis. *ταῦτ᾽ ἐγὼ μὲν ἐπὶ πολὺ ἀςήκειν*
„ *ὁρῶν, καὶ θαυμάζων, καὶ ἀπορῶν, καὶ ἀγανακτῶν. Κελτὸς δέ τις παρε-*
„ *ςὼς, οὐκ ἀπαίδευτος τὰ ἡμέτερα ὡς ἔδειξεν, ἀκριβῶς ἑλλάδα φωνὴν*
„ *ἀφιείς. φιλόσοφος οἶμαι τὰ ἐπιχώρια. ἐγώ σοὶ ἔφη ὦ ξένε λύσω τῆς*
γραφῆς τὸ αἴνιγμα. hoc eſt. Hæc ego cùm diutius aſsiſtens eſſem contemplatus, admirans, hæſitans, indignans: Gallus quiſpiam, qui propius adſtabat, noſtrarum literarum non indoctus (id quod declarauit, quùm Græcanicam linguam abſolutè ſonaret, philoſophus, opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur) ego tibi hoſpes, inquit, picturæ iſtius ænigma explicabo: Atque hæc pro vna parte ſtant: pro altera pugnat, quod idem Cæſar ſcriptum reliquit Commentario quinto. Tùm cuidam ex equitibus
„ Gallis magnis premijs perſuadet, vti ad Ciceronem epiſtolam defe-
„ rat: hanc Græcis conſcriptam literis mittit, ne, intercepta epiſtola,
„ noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. Non me latet Glareani, Hotomani, ac cæterorum ſuper hac re ſententia; ſed quòcunque te vertas, manet eadem difficultas: nec placet mihi, vt integram dictionem Græcis ex verborum contextu eximamus, quod fuit conſilium Hotomani: Denique, vt Galli ipſi Græcas literas penitus ignorarent, facilè tamen eis fuiſſet ex transfuga aliquo, ſiue captiuo Græcæ lingue non imperito, (cuiuſmodi plures fuiſſe in exercitu Cæſaris credibile eſt, propterea quòd Græca lingua paſsim Romæ ab omnibus ferè paulò nobilioribus diſcebatur) Cæſaris epiſtolæ ſententiam cognoſcere, vt ſic minimam cautionem adhibitam fuiſſe intelligamus à ſummo illo Imperatore in conſilio ſuo celando, quod per epiſtolam Ciceroni ſignificare vellet. Mihi in re tàm perplexa hæc vna ratio interim ſuccurrit, vt minima prorſus mutatione legamus Cæcis, vbi

nunc

„ nunc viſitur Græcis, nimirùm ibi. Hanc cæcis conſcriptam literis mittit. Eruut autem cæcæ literæ obſcuræ, & latentes, id eſt, quæ ſe palàm ſpectandas non præbent, ſed oculorum ſenſum effugiunt, neque conſpici poſſunt: de quibus intelligit Ouidius, cùm puellam docet, quemadmodum tutò per literas amatum iuuenem alloquatur, inquit enim.

Tuta quoque eſt, fallitque oculos è lacte recenti
Litera, carbonis puluere tange, leges.
Fallet & humiduli, quæ fit acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas.

Plinius quoque libro 26. eandem fallendi rationem docet; cuius verba, quoniam inſtitutum noſtrum iuuant, & Ouidij ſententiam priore diſticho comprehenſam magis adhuc explanant, operæprecium eſt
„ apponere. Tithymallum (inquit) noſtri herbam lactariam vocant,
„ alij lactucam caprinam: narrantq; lacte eius inſcripto corpore, cùm
„ inaruerit, ſi cinis inſpergatur, apparere literas, & ita quidam adul-
„ teras alloqui maluere, quàm codicillis. Siquis autem diſcendi ſtudio teneatur plures modos, quibus huiuſmodi furtiuæ, ac cæcæ literæ perſcribi poſsint, is adeat oportet Ioannis Baptiſtæ Portæ libros De Magia Naturali, nec non illos alteros, quos ſubtiliter, atque ingenioſè confecit De furtiuis literarum notis, in illis .n. plures, ac varij modi traduntur huius fraudis celandę. Porrò cæcæ literæ dicuntur à Cæſare eadem prorſus ratione, qua cęcus ignis à Virgilio nuncupatur.

Vulnus alit venis, & ceco carpitur igni.

Hoc eſt occulto, & qui foris non appareat. Atque hæc à me dicta ſunt timidè, & cunctanter, vt aliorum ingenia excitem, non vt quicquam certi affirmem.

Prouerbium quoddam ſecus, atque ab aliis explicatum. Cap. XIII.

QVONIAM ſæpè animaduerti multùm gratiæ parœmijs deperire, ſi vnde fluxerint, ignoretur, nunquam putaui me opera abuti, quotieſcunque in earum origine indaganda curioſius laborarem, cuius meę induſtriæ guſtum quaſi quendam præbere volo in adagio illo explicando ἄρνα προβάλλει. nam quod ad eius interpretationem affert ex Diogeniano parœmiographus, non vſquequaque probo, propterea quòd verùm non ſit antiquos bellum ſuſcepturi Fecialem mittere conſueuiſſe, qui arietem adductum in hoſtium fines immitteret, hoc ſignificantes pacto ciuitates, & agros illorum hoſtibus compa-

compaſcuos fore, nam Liuius, qui belli indicendi ritus ab Anco inſtitutos diligenter narrat, longè aliter de hac tota re ſcriptum reliquit, ait.n lib. 1. Inde ordine alij rogabantur, quandoque pars maior eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibat, bellum erat conſenſu fieri ſolitum, vt fæcialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus pręſentibus diceret. Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini aduerſus Pop. Rom. Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Pop. Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis iuſsit eſſe, Senatuſque Populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret: Ob eam rem ego, Pop. Rom. populis priſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis bellum indico, facioque: id vbi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat. Eadem propemodum ſcribit Cincius lib. 3. De re militari, velut refert Gellius. Ad hunc morem Virgilium reſpexiſſe, cùm cecinit

En ait, & iaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnæ: & campo ſeſe arduus infert.

Adnotat illic Seruius: Neq; apud Gręcos aliter in more poſitum fuiſſe memini me vnquam legere, niſi quòd pro haſta facem ignifer iaculabatur, vnde Euripides in Phœniſsis inquit.

Ἐπαὶ δ' ἀφέθη πυρσὸς, σῆμα φοινίυ μάχης. hoc eſt
Emiſſa poſtquam fax fuit pugnæ cruentæ ſymbolum.

Ne igitur illius prouerbij origo non eluceſcat, videndum eſt an de ariete bellico inſtrumento intelligi poſsit, quod cùm mœnibus alicuius oppidi admotum erat, nulla pacis ſpes relinquebatur, vnde natus eſt ille ſermo: Si aries mœnia tetigerit, qui crebrò apud hiſtoricos occurrit: Eius bellici tormenti formam, pręter cæteros, deſcribit Suida in *κριός*: vbi videre poteris: Quòd ſi ne hæc quoque expoſitio ſatisfacit, audi quid prærerea de eo ipſo prouerbio probabiliter dici poſſe cenſeam. Sciendum eſt ludicri quoddam genus in Græcia fuiſſe, quod Heronimia vocaretur, id erat huiuſmodi. Quiſpiam nudo, raſoque capite arieti occurſabat, qui ſi arietem eo modo pugnando viciſſet, certo præmio donabatur, ſin eidem ceſsiſſet, circunſtantium exibilatio, præmijque vacuitas pro pœna erat, quoniam verò valde periculoſum erat glabro capite arietem impetere, caluariam feruenti pice ſępe, ac verò ſæpius pugnaturus obarmabat, loricabatque, vt ſic minore periculo arietem feriret: Ab hoc ludicri genere exiſtimauerit quiſpiam illud natum eſſe, in quo hodie au&orati quidam ſolent glabello capite in ælurum alligatum quidem, ſed dentibus, vnguibuſque ſęuientem obluctari: Ad illud certamen prouerbium reſpicere non eſt dubium, quod qui paululùm modò diligentius conſi-

derare

derare voluerit, mecum non inuitus, ſat ſcio, fatebitur: Spectant hùc verba Gregorij theologi ex epiſtola quapiam ad Euſtachiũ ſophiſtã.
„ Καὶ τόδε ὑπὸ τῆς παροιμίας τῆς ἰδιωτικῆς ἐπαιδεύθην φαλακρὸς ὢν
„ κατὰ κριοῦ μήνυς ἄξειν ἀντιπρόσωπος, μηδὲ τὴν σφηκιὰν κατ᾽ ἐ... τοῦ.
„ γλῶσσαν πρὸς τὸ κακῶς λέγειν ἑτοιμοτέραν. hoc eſt. Ac non ſaltem à prouerbio plebeio didicerim, cùm ſim caluus, non obuerſa fronte obnuere arieti, neq; veſparum niduin in me prouocare, nimirum linguam ad maledicendum, quàm ad benè dicendum promptiorem.

Terentij locus animaduerſione dignus indicatus. *Cap. XIIII.*

OBSERVATIONE dignum eſt, cur de piſcibus loquens Terentius Andria obſonij mentionem fecerit, ibi.

Redeunti interea ex ipſa re mihi incidit ſuſpicio: hem
Paullulum obſoni, ipſus triſtis: de improuiſo nuptię,
Non cohærent.

Nam piſces illic ea voce ſignificari docent verba, quæ non multò poſt conſequuntur. *etiam puerum inde abiens conueni Chremis,*
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in cęnam ſenis.

Ne quam autem cupido lectori moram inijciam, proferam ſtatim Plutarchi verba, quæ ad hanc rem intelligendam conducere exiſtimaui,
„ ſunt autem hæc Sympoſ. lib 4. ὡς πολλῶν ὄντων ποιητῶν ἕνα τὸν
„ κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν, οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων,
„ ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς μόνον. ἢ μάλιστά γε ὄψον καλεῖσθαι, διὰ τὸ πολὺ
„ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν. καὶ γὰρ ὀψοφάγους, καὶ ὀλοψύχους λέγομεν,
„ οὐχὶ τοὺς βοείοις χαίροντας ὥσπερ Ἡρακλῆς, ὃς τοῖς κρέασι χλωρὰ
„ σῦκα ἔχων ἤσθιεν. οὐδὲν τὸν φιλόσοφον, οἷος ἦν Πλάτων, οὐ φιλόβοτρυν, οἷος Ἀρκεσίλαος, ἀλλὰ τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας
„ ἑκάστοτε, καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας, καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν Φι-
„ λοκράτην φησὶν ἐκ τοῦ προδοτικοῦ χρυσίου, πόρνας καὶ ἰχθῦς ἀγοράζειν,
„ ἐπ᾽ ὀψοφαγίᾳ, καὶ ἀσελγίᾳ τὸν ἄνδρα λοιδορῶν. ὁ δὲ Κτησιφῶν οὐ κα-
„ κῶς ὀψοφάγου τινὸς ἐν τῇ βουλῇ βοῶντος ῥαγήσεσθαι, μηδαμῶς ἔπεν
„ ὦ ἄνθρωπε ποιήσῃς ἡμᾶς ἰχθυοβρώτους. & quæ ſequuntur. Latinè dixeris. Sicut de multis poëtis vnum, qui reliquis præſtat, eximio nomine poëtæ afficimus. Ita cùm multa ſint obſonia, piſcis tñ obtinuit, vt vel ſolus, vel præcipuè piſcis obſoniũ apellaretur, quia virtute reliquos oẽs multò antecedat: nam obſoniu oros, & obſoniorũ cupidos vocamus, non q bubulis carnibus delectant̃, vt Hercules, qui poſt carnẽ virides ficus edit: non qui ficubus, vt Plato, non qui vuis, vt Arceſilaus: ſed qui ſubinde in foro piſcario verſantur, & tintinnabulũ celeriter exaudiunt. Et Philocratẽ Demoſthenes auro proditione parto

to ſcorta, & piſces emere dicens, gulæ ſtudium, ac libidinis homini exprobrauit: ac non ineptè Cteſiphon quodam obſoniuoro in Senatu vociferante, Crepabo medius; Nequaquam (inquit) nos piſcium eſcam facias. Ac fuiſſe quidem piſces inter ſumptuoſæ menſæ delicias, auctor quoque eſt Athenæus pluribus in locis, & nos in noſtris Commentarijs De Cœnis antiquorum, abundè oſtendimus, vt omninò ſuperuacaneũ fuerit hic eadem inculcare; Cùm igitur, quod initio propoſuimus, bona fide præſtiterimus, ac Terentij locum Grçci ſcriptoris verborum appoſitione mirificè illuſtrauerimus, officio noſtro ſatis functi eſſe iudicabimur, vt iam tutò liceat huic capiti finem imponere.

E Clemente Alexandrino macula quæpiam ſublata. Cap. XV.

VITIVM, quod in Clementis Alexandrini contextu reſidet, in vnguenti cuiusdam nomine appellando Pædagogi lib. 2. ibi.
„ τούτων τῶν μύρων ἄπειροι διαφοραί, βρένθιον, καὶ μετάλλιον, καὶ βα-
„ σίλειον: πλαγγόνιόν τε καὶ ψάγδας Αἰγυπτίας. hoc eſt. Horum vnguentorum ſunt infinitæ differentiæ: Brenthium, metallium, & regium, plangonium, & pſagdæ Ægyptiæ: diutius illic hæreret, longiusque propagaretur, niſi ei cito occurrerem, atque in tempore auxilium ferrem; Gentianus.n. Heruetus eius ſcriptoris elegans alioqui, atque eruditus interpræs ipſum magis adhuc auxit, ſuaque auctoritate non parùm confirmauit, dùm in breuibus, quæ ad illum auctorem confecit, ſcholijs vulgatam lectionem comprobauit, & tanquam nulli vitio affinem explicauit dicens, metallium vnguenti genus fuiſſe à quodam Metallio inuentore nuncupatum, quod tamen nullius eſt momenti, ac veritate caret, legendum eſt enim μεγάλιον exigua vnius literulæ mutatione, atque alterius detractione, ſiue μεγάλλιον duplici λ, vt quidam malunt, certè μετάλλιον corruptum eſt, atque ideò reijci debet: Sicut & petalium illud ex Curculione Plautina.

Tu ſtacte, tu cynamum, tu roſa, tu crocum, & caſia es, tu petalium. Rectũ.n. eſt megalion: huius emendationis auctorẽ habeo Athençũ libro δειπνοσοφις. 15. cuius verba altius repetam, & ex longinquiore capite arceſsã, propterea quòd animaduerterim ea huiuſmodi eſſe, vt Clementis propoſitũ locum quaſi interprçtari, ac mirificè illuſtrare queãt: Quod eò etiã libentius facio, quia vulgata Grçca Athençi exẽplaria inſigni lacuna deturpata ſunt, atq; vniuerſa de coronis, vnguentis, & ſcolijs diſputatione carent, vnde hçc verba deprõpta ſunt: non dum autem fragmentum hoc typographorũ formis excuſſum circũfertur

fert ſed in pluribus Italiæ bibliothecis reconditum aſſeruatur, niſi quòd Gulielm. Canterus ipſum repreſentauit Nouar. Lection. libro 3. cap. 31. eius igitur pars, quæ hîc ſpectat, ita habet. βρενθίου
» μύρου μνημονεύει Φερεκράτης ἐν Λήροις οὕτως. Ἔστην δὲ κἀκέλευον ἐγ-
» χέασθαι νῷν μύρον Βρένθιον, ἵνα τοῖς ἰοῦσιν ἐγχέῃ. βασιλείου δὲ μύρου
» μνημονεύει Κράτης ἐν Γείτοσι, λέγων οὕτως. γλυκύτατον δ᾽ ὦ Ζεῦ τὸ
» βασιλείου μύρου. καὶ τοῦ βρενθίου, οὕτως. βρενθίῳ, βασιλείῳ ψάγδῃς. Ἀρι-
» στοφάνης ἐν Δαιταλεῦσι. φέρ᾽ ἴδω τί σοι δῶ τῶν μύρων. ψάγδαν φι-
» λεῖς. Εὔπολις δ᾽ ἐν Μαρικᾷ. ψάγδαν ἐρυγγάνοντα. Εὔβουλος δ᾽ ἐν Στε-
» φανοπώλισιν. Αἰγυπτίῳ ψάγδαν ἰτρὶς λουμένῃ. Πολέμων δ᾽ ἐν τοῖς
» πρὸς Ἀδαῖον, παρὰ Ἠλείοις φησὶ μύρον τι πλαγγόνιον καλεῖσθαι, εὑρε-
» θὲν ὑπό τινος πλάγγονος. ὁμοίως ἱστορεῖ καὶ Σωσίβιος ἐν ὁμοιότησιν. ὡς
» καὶ τὸ μεγάλλιον. ὠνομάσθη δὲ καὶ τοῦτο ἀπὸ Μεγάλλου τοῦ Σικελιώτου. μνη-
» μονεύει δ᾽ αὐτοῦ Ἀριστοφάνης ἐν Τελμισσεῦσι, καὶ Φερεκράτης ἐν Πετάλῃ,
» Στράττις ἐν Μήδᾳ οὕτως, καὶ λέγω ὅτι μύρον φέρεις αὐτῇ τοιοῦτον,
» οἷον οὐ Μέγαλλος πώποτε ἥψησεν, οὐδὲ Δινίας Αἰγύπτιος οὔτ᾽ εἶδεν, οὔτ᾽
» ἐκτήσατο. τοῦ μεγαλλίου δὲ μύρου μνημονεύει καὶ Ἄμφις ἐν Ὀδυσσεῖ διὰ
» τούτων. Ἐρίοισι τοὺς τοίχους κύκλῳ μιλησίοις. Ἔπειτ᾽ ἀλείφειν τῷ με-
» γαλλίῳ μύρῳ. Καὶ τὴν βασιλικὴν θυμιᾶτε μίνδακα. Ἀκήκοας οὖν δέσ-
» ποτα δὴ πώποτε Τὸ θυμίαμα τοῦτο; Ἀναξανδρίδης Τηρεῖ. Ἀλλ᾽ οἷα
» νύμφη βασιλὶς ὠνομασμένη Μύροις μεγαλλίοισι σῶμ᾽ ἀλείφεται.

hoc eſt: De vnguento brenthio hoc pacto meminit in Nugis Pherecrates, conſtiti, ac iuſsi nobis vnguentum brenthium infundere, vt infunderet adeuntibus. De regio vnguento mentionem fecit Crates in Vicinis ita inquiens, multò dulcius, ò Iuppiter, regio vnguento, & de brenthio cùm dicat: brenthio, regio, pſagda. Ariſtophanes in Conuiuantibus. Affer, vt videã, quid tibi do; num ex vnguentis pſagdam amas? Eupolis in Facili, & pſagdam eructantẽ. Eubulus in coronas vendentibus; Ægyptia pſagdane ter lota vt fuit. Scribit Polæmon in ijs, q̃ miſit ad Adeum; vnguentum quoddã apud Eleos Plangoniũ vocari, quod à Plangone quodam inuentũ fuerit. Similiter & Soſibius narrauit in ſimilitudinibus; ſicut Megalium, quod à Megalo homine Siculo nominatum fuiſſe nonnulli ſcriptis prodiderũt: meminit autem de illo Ariſtophanes in Telmiſſenſibus, Pherecrates in Petalo, Strattis in Meda hoc pacto: & dico, quòd fers vnguentũ ipſa tale, quale nunquam coxit Megalus, ac Dinias quidem Ægyptius neque vidit, neque habuit. meminit his verbis de Megalio vnguento Amphis in Vlyſſe; Texiſſe muros vellere, & Mileſio; Vnxiſſeque vnguento ſtatim Megalio. Perfundite & fumis bonis mox regiam. Audiſti here ipſe nunquid hoc quando prius Tu ſuffimentum? Alexandrides in Tereo. Sed ſponſa ſicut nominata regia Perungit vnguentis cor-

pus megalijs: Atque hactenus quidem auctor Græcus de vnguento megalio: cuius tamen vocabuli etymon aliunde duxiſſe videtur Pli-
„ nius,cùm de megalio loquens ait. Poſtea multò ſucceſsit propter
„ gloriam appellatum megalium ex oleo balanino, balſamo, calamo,
„ iunco, xylobalſamo, caſia, reſina: Eiuſdem confectionem docet quoque Dioſcòrides; cuius verba, quoniam ad id, de quo agimus, nullum præſtant adiumentum, non libuit adſcribere.

Incerti cuiuſdam poëtæ carmen emendatum, & ſuper eo Scaligeri expoſitio reiecta. *Cap. XVI.*

INTER Virgilij appendices endecaſyllabum quoddam extat incerto auctore, in quo, præter cætera, hæc duo carmina ita leguntur.

Et quicquid Lybico ſecatur auro,
Non vna poſitum tenere cella.

In quorum primo puſillum quoddam peccatum deprehendi, quod tamen poëtæ mentem haud mediocriter perturbat; id autem manifeſtum fiet, ſi rectam eius loci ſcripturam propoſuero, eſt igitur legendum.

Et quicquid Lybico ſecatur arno;

Quomodo deinde Scaligerum ad oram editionis ſuæ adnotaſſe animaduerti: Sed quòd ipſe de citro dictum accipit, vereor ne errore labatur, perperamque auctoris mentem interprætetur, propterea quòd non ſatis cohæret citrum in cella conditum habere, neque vllus vnquam auctor ita locutus eſt, ac poëta ille, quiſquis fuit, de rebus eſui accommodatis loquebatur.

Regales (inquit) *dapibus grauare menſas.*

Vt nemo iam non videat ad Africæ fertilitatem verba illa referri debere, ita autem propemodum locutus eſt Horatius, cum eandem rem oſtendere vellet.

Illum, ſi proprio condit horreo
Quicquid de Lybicis verritur areis,
Nunquam dimoueas. Neque non item Martial.
Poſſideat Lybicas meſſes, Hermumque, Tagumque.

Et Seneca Thyeſte.

Non quicquid Lybicis terit
Feruens area meſſibus.

Atque hoc adeò perſpicuum eſt, vt lumen ſoli mutuari velle videar, ſi id pluribus illuſtrare pergam.

Quæ

Quę ſit mea ſententia de Ciceronis quodam loco. *Cap. XVII.*

TOTIDEM ferè ſententiæ, quot capita enumerantur ſuper intellectu verborum, quæ poſita ſunt epiſtola Ciceronis ad M.
„ Cælium libro ad familiares ſec. ibi. Mea verò officia ei non defuiſſe,
„ tute es teſtis, quoniam comicus teſtis (vt opinor) occidit Phannia,
„ & mehercule pluris eum feci, quòd te amari ab eo ſenſi. Nam quotus quiſque tandem reperitur, qui ea vel interpratatione, vel emendatione aliqua non attigerit? Ac, ne quis omnem prorſus coniectandi locum ereptum eſſe putet, libuit mihi experiri, nunquid in hoc artificio aut natura, aut ſtudio quicquã valeam; nam & ipſe quoq; aliquid ſepoſitum habeo, quod in medium afferre poſſim: Dico igitur vocem comicus vna literula mancam eſſe, debereq; minimo vulgatæ lectionis detrimẽto conuerti in coamicus, idq; M. Tullij ſententiã expoſcere, ſi verba, quæ ſtatim præceſſerunt, accuratè perpendantur, facillimè cognoſcetur: neque verò eſt, quod quemquam moueat huius vocis nouitas, valdè.n.infirma hæc ratio eſt, & vix digna ſuo auctore, nam multa vocabula afferre poſſem, quæ ſemel tantum apud Ciceronem reperiantur, nec propterea minus Latina, atque elegantia cenſeri debent, cuiuſmodi eſſe coæuum non dubito, pro quo coquum ſuperſtitioſi quidam temerè ſubſtituerunt; analogia certè id maximè ſuadet, & multa huic finitima in M. Tullij ſcriptis facilè fuerit obſeruare, dixit.n. eadem ratione condiſcipulum, cohæredem, conſponſorem, commilitonem, conſeruum: Quòd ſi quiſpiam adeò religioſus hac in re fuerit, vt magis propriũ in lingua Latina exemplũ requirat, ei ego par, ac propè geminum illud proponam, quod citat Nonius ex Cæcilio in voce iamdiù, nam, quod aliud in præſentia afferam, non occurrit.

*Liber eſſem (*inquit*) iamdiù, ſi habuiſſem ingenioſos coamatores mibi.*

Gulielmus Canterus reprehenſus ſuper emendatione cuiuſdam Horatii loci. *Cap. XVIII.*

PARVM cautè, ac circumpeſpectè geſsit ſe Gulielmus Canterus in reſtitutione cuiuſdam Horatij loci ex Odis.

æqua tellus

Pauperi recluditur, Regumque pueris.

Nam cùm in omnibus editionibus huiuſmodi ſcriptura vulgata ſit, ipſe nouitatis amore, aut, vt videri vult, manuſcripti codicis auctoritate permotus legendum putat natis pro pueris, additq; hanc vocem, ſi non de alia, verſus quidem cauſſa pręferendam eſſe: Miſer, qui

carioſis iſtis, neſcio quibus, membranis adeò ſit addictus, vt totus ex earum auctoritate pendeat, atq; ab eis ne latum quidem vnguem recedere audeat: manuſcriptus liber ita præſefert, ergo ita omninò legendum? nam dimenſionis cauſſa, quam prætendit, prorſus inepta eſt, ac puerilis, neq; .n. ignorare debuit homo pluſquàm mediocriter in bonarum literarum cognitione verſatus tribrachum temporis ſpatio iambo reſpondere, vt alterum pro altero in carmine vſurpari non ſit abſurdum, pręterquàm quòd ſecunda vocalis in ea dictione abſorberi conſueuit, ac foras abijci, velut tertia in illo apud eundem Lyricum. *memor*

Actæ non alio rege puertiæ.

pro pueritiæ: hinc puros pro pueros dixiſſe veteres conſtat. Lucr.

Puri ſępè locum propter ſe.

Vnde fortaſſe vox putus deriuata eſt, quæ à vetere gloſſario μικρὸς exponitur, & nos hodie in Italia pueros ita vocamus: ac in ſimili quidem re plura exempla reperire licebit, ſi quis id curet: Terentius certè non vno in loco ditias vſurpauit pro eo, quod eſt diuitias, velut cùm inquit Andria.

Quę ſe inboneſtè optauit parare hic ditias
Potius. Et Heautontim.

Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, ditias,

Ac rurſus in eadem.

Vicinum hunc, noſtin? at quaſi is non ditis.

Horatius itidem vno atque altero loco valdius vſurpauit pro validius interprete Acrone: Sed & noſtri quoque poëtę hanc licentiam ſibi ſumpſerunt verſus dimenſionis cauſſa, vnde eſt apud ſuauiſsimum lyricem Franciſcum Petrarcam. *Scriui quel, che vedeſti, in lettre d'oro.*

Vetus ſcriptura in Plinii codice retenta, noua Franciſci Luiſini exploſa. Cap. XIX.

DESINAT poſthac ſibi placere Franciſcus Luiſinus de reſtitutione (vt ipſe putat) loci cuiuſdam Plinij, quem ab Hermolao, Renato, Gelenio doctiſsimis viris prætermiſſum à ſe primo animaduerſum eſſe gloriatur, nam ego ipſi oſtendam Plinij verba, vt in excuſsis libris circumferuntur, optimè ſe habere, nec vllius emendationis prorſus indigere: locus Plinij eſt huiuſmodi. Ab his caryotę
„ maximè celebrantur, & cibo quidem, ſed & ſucco vberrimæ: ex qui
„ bus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, vnde pomo nomen: Hìc Luiſinus εὐστοχίαν ſuam experiri volens legendum admonet, cui poma nomen, neſcio quid ex Dioſcoride promens οὐδὲν πρὸς διόνυσον:

namq;

namq; à Plinij mente toto cælo aberrauit, ipſamque ne per nebulam
quidem paululum modò videre potuit, quam ego tamen expreſſè
illi demonſtrabo. Quoniam dixerat Plinius vinum ex caryotis con-
fectum capiti dolores inferre, volens hoc aliquo pacto conſtituere
ab etymo argumentationem ſumit, dicens, hinc potiſsimum. i. quòd ca-
put dolore afficiant, factum eſſe, vt poma illa caryotes appellentur,
hæc.n. vis eſt huius vocis *κάρυον*, vnde *καρυβοᾶν* vertigine labora-
re, & *καρυβαρὸν* capite grauatum ſignificat: Quæ ſententia tametſi
adeò in promptu eſt, vt vel cæco apparere poſsit, magis tamen ad-
huc explicatur ſimili, ac propemodum pari eiuſdem ſcriptoris loco,
„ qui extat lib. 15. in hæc verba. Caryon à capitis grauedine, propter
„ odoris grauitatem conuenit dictum. Plutarchus quoque idem con
„ firmat Sympoſ. 3. *δηλοῖ καὶ τῶν ὀνομάτων ἔνια, τὴν περὶ ταῦτα πο-*
„ *λυπραγμοσύνην τῶν παλαιῶν. τήν τε γὰρ καρύαν οὕτως ὠνόμασαν, ὅτι*
„ *πνεῦμα βαρὺ καὶ καρωτικὸν ἀφιεῖσα, λυπεῖ τοὺς ὑπ' αὐτῆς παρακεκλι-*
μένους. hoc eſt. Sed & nomina quædam manifeſtant veterum hac in
re ſummam diligentiam: nam & nucem caryam dixerunt, quòd ſpiri-
tum grauem, ac ſoporem incutientem profundum exhalans, lædat,
qui ſub ea recũbunt; Quid quòd Xenophon multò ante idem ſcriptũ
reliquit de expeditione Cyri lib. 2? *ἦν* (loquitur autem de vino ex pal- “
marum ſucco confecto, atque adeò de palmulis ipſis) *παρὰ ποτὸν* “
„ *ἡδὺ μὲν, κεφαλαλγὲς δέ. ἐνταῦθα καὶ τὸν ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος πρῶ-* “
„ *τον ἔφαγον οἱ στρατιῶται, καὶ οἱ πολλοὶ ἐθαύμαζον τό, τε εἶδος καὶ τὴν* “
„ *ἰδιότητα τῆς ἡδονῆς. ἦν δὲ σφόδρα καὶ τοῦτο κεφαλαλγές*. hoc eſt. Erãt “
ad potum ſuaues quidem illæ, ſed capitis tamen dolorem excitabant: “
Hoc loco primùm milites etiam medulla palmæ veſci cœperunt, mul- “
tis & genus ipſum, & propriam quandam in hoc cibo iucunditatẽ ad
mirantibus: Sed tamen idem hoc etiam capiti vehementer infeſtum
erat. Quam ſententiã totidem verbis in lib. 14. *δειπνοσοφιστῶν* contu
lit Athenæus Xenophontis loco præcisè deſignato, vbi de palmulis,
& loto ſermonẽ habet. Dioſcorides quoq; idem tradit. Galenus verò
De Cõpoſitione Sympl. medicam: huius rei cauſſam affert, vt dicat,
hoc ideò euenire, quia vi quadam peculiari palmulæ præditæ ſint, &
& quòd magno labore coquantur, ac vaporibus ſuperiora tentent.
Non fuit igitur hac in re perſpicacior Luiſinus Hermolao, Rhenano,
Gelenio, cæteris, verùm ſe cucurbitas lippire manifeſtò declarauit.

Aeſchyli ſententia quæpiam examinata & an Morti ſacra facere mos fuerit apud veteres. Cap. XX.

NISI dicamus poëtam Æſchylum rei ſuæ conſulere voluiſſe,
cùm de mortis neceſsitate loquens ait citante Stobæo ſerm. 117

Μόνος

Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος ἐ δώρων ἐρᾷ.
Οὔτ' ἄν τι θύων, ἔτ' ἐπισπένδων ναοῖς.
Οὐ βωμὸς ἔστιν, ἐδὲ παιωνίζεται.
Μόνε δὲ πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.

Hoc eſt Mors enim ſola deûm non amat munera: Nec vllus ei ſacrificat, aut libat in templis. Nullam habet aram, non celebratur hymnis. Sed ab ea dęmonum ſola, aliena eſt ſua dela: non video quo pacto eius ſententia dęfendi poſsit, ipſeque à mendacij, aut inſcitiæ nota vendicari: nam conſtat veteres Morti ſacra feciſſe, eique liba, ſicut cæteris Deis, offerre conſueuiſſe. Euſtathius in Commentarijs ad Dionyſium de ſitu orbis refert Ælianum in ijs, quę de prouidentia diſputat, ſcriptum reliquiſſe, in Gadiris altare anno, & menſi dicari, videlicet vnum breuiori tempori, alterum longiori; templumque ſenectutis eſſe, quo reuerentur ætatem, q̃ multa ſcit, & didicit, & aliud mortis, ad honorẽ communis omniũ otij, vel etiã eorũ, qui præter naturæ legẽ obierunt: Et etiã altare penuriæ, & artis, ars.n. penuriã, & paupertatẽ profligat: quòd ſi quem Græca magis delectât, & ſuis verbis auctorem loquentem audire iuuat, ei ego Græcorum quoq; verborum copiam faciam. Αἰλιανὸς ἐν τοῖς περὶ προνοίας φησὶν, ὅτι ἐν Γαδείροις βωμὸς ἐνιαυτῷ ἵδρυται, καὶ μηνὶ ἄλλος, εἰς τιμὴν χρόνε βραχυτέρε τε καὶ μακροτέρε. ἔστι δὲ καὶ γήρως, φησὶν, ἱερὸν τοῖς ἐκεῖ, τιμῶσι τὴν ἡλικίαν τὴν μαθῦσαν πολλά. καὶ θανάτε ἄλλο, εἰς γέρας τῇ κοινῇ ἀναπαύλῃ, εἴτουν τῷ τελευταίῳ ὅρμῳ: καὶ βωμὸς δὲ, φησὶ, παρὰ τοῖς ἐκεῖ, πενίας, καὶ τέχνης, τῆς μὲν, ἐξιλεουμένοις, τῆς δὲ παραλαμβάνουσιν εἰς ἄκος ἐκείνης: Orpheus in hymno Mortis.

Αἰτῦμαι (inquit) θυσίαις καὶ εὐχωλαῖς λιτανεύων,
Ὥς ἄν ἔοι γέρας ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισι τὸ γῆρας.

Quòd eſt. Peto ſacriſicijs, & orationibus rogans: Vt ſit præmium bonum in mortalibus ſenectus. Et ex noſtris Virgilius Æneid. 11.

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigeroſque ſues, raptaſque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes.

Niſi ſi macta re morti ſimpliciter ſit, interficere, & iugulare, ſicuti ego exiſtimo. Idem quoque error de Promethei ara notari poteſt apud Lucianum in Dialogo illi hominis fictori cognomine qui ipſum conquerentem facit, quòd nulla ſibi ara extructa fuerit, cùm tamen Pauſanias in Attic. & Sophoclis ſcholiaſtes in Oedipo Coloneo contrarium ſcriptum reliquerint: expeditiſsima itaque ratio eſt, vt dicamus ſcænæ ſuæ inſeruire Æſchylum voluiſſe, cùm de morte ea prodidit, quæ longè à veritate diſsidere veterum ſcriptorum auctoritate demonſtraui.

Catulli

Catulli vulgata lectio aduerſus Ioſephum Scaligerum aſſerta. Cap. XXI.

CATVLLI ſalicippium, quod eſt epigrammate quopiam, ibi *Di magni, ſalicippium diſertum.*
Videtur mihi facilè tolerari poſſe eo ſenſu, quo illud ſumi oportere iamdiù docuerunt Muretus, Statius, Turnebus, cæteri; nec eſt, quòd Ioſephus Scaliger in eorum ſententia confutanda tantoperè laboret; nam illius vocabuli compoſitio ad exemplum Græcorum poëtarum efficta videri poteſt; ac, vt propius, quàm fieri poſsit, ad Catulli vocem accedamus, ſcire oportet Lycophronem in obſcuriſsimo ſuo poëmate, cui Caſſandra nomen indidit, Diomedem *κολοσσοβάμονα* nuncupaſſe, quaſi dixeris columniſcenſorem, erat enim Diomedes exiguo corpore præditus, quemadmodum ex Homero cognoſcimus: Lycophronis carmen, in quo eo pacto heros ille nuncupatur, eſt hoc

Κολοσοσβάμων δ' ἐν πτυχαῖσιν Αὐσόνων
Σταθεὶς, ἐρείσει κῶλα χερμάδων ἔπι.

Quod valet. Columniſcenſor autem in Italorum territorio ſtans, membra fulciet in ſaxis. Pari igitur ratione Caluum oratorem Salicippium vocauit Catullus, cùm oſtendere vellet ipſum columnam quampiam conſcendiſſe in Vatinij accuſatione peroranda: Conſueuiſſe aũt verba públicè facturos locum quempiam eminentiorẽ conſcendere, vt à circùmſtantibus commodius audirentur, & conſpicerẽtur, per ſe notiſsimũ eſt, & docet Syneſius epiſtola tertia ad Theophilũ dicens. *τοὺς φανερωτάτους αὐτῶν, εἴ τις ἀνέκραγε μεῖζον, εἴ τις*
„ *εὑράμενος κρηπῖδα, καὶ ἐπαναβὰς αὐτῇ, καὶ προήγορος ἠξίωσεν εἶ-*
„ *ναι, καὶ λόγον ἀπέτεινεν, ὡς ὠνίους ὡς συνωμότας, ὑπηρετῶν χερσὶ*
„ *παραδιδοὺς, ἐκκυλισθῆναι τῆς ἐκκλησίας ὠθουμένους προσέταξα.*
hoc eſt. Clariſsimos ex illis, ſi quis maiorem ſuſtulit clamorem, ſi quis inuenit ſcabellum, idque conſcendit, ſermoniſque princeps voluit eſſe, ſermonemque produxit, vt venales, vt coniuratos, miniſtrorum manibus traditos, ex eccleſia iuſsi ſubuerſos euolui: Aſcalabotion Turnebi non minus eſt abſurdum, quàm ridiculum.

Vera prouerbii cuiuſdam ratio, quæ paræmiographum fefellit, demonſtrata. Cap. XXII.

SI in vllo vnquam prouerbio explicando fruſtrà conatum ſuum contulit Eraſmus, in hoc certè, quod ſtatim proferam, omni prorſus opera abuſus eſt: Adagium habet *ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος εὕδει.* hoc eſt; Sub omni lapide ſcorpius dormit; id Eraſmus explicans nec

ſenſum, nec originem eius aſſequitur, & quod ad ſenſum quidem attinet, Eraſmi peccatum ſatis, ſuperque patefecit Henricus Stephenaus, vt nihil præterea opus ſit ſuper hoc diutius immorari; quòd ad originem pertinet, ipſe nunc ex Æliano eidem prouerbio lucem afferam, vt hæc noſtra obſeruatio cum Henrici Stephani explicatione coniuncta omnes tenebras, quæ elegantiſsimum prouerbium occupauerant, penitus diſijciat, atque diſpellat. Ælianus de animal. lib. 15. huiuſmodi quandam hiſtoriam narrat. ἐκ Σούσων τῶν Περ-
„ σικῶν ἐς Μηδίαν ἀπιόντων ἐν τῷ δευτέρῳ σταθμῷ, πάμπολύ τι λέ-
„ γεται σκορπίων πλῆθος γενέσθαι. ὥστε τὸν Περσῶν βασιλέα, ὁπότε
„ ἴοι, πρὸ τριῶν ἡμερῶν προστάττειν πᾶσι θηρεύειν αὐτούς, καὶ τῷ πλεί-
„ στους θηράσαντι, δῶρα διδόναι. εἰ γὰρ τοῦτο μὴ γένοιτο, ὁ χῶρος ἄβατός
„ ἐστι, ὑπὸ παντὶ λίθῳ καὶ βώλῳ πάσῃ σκορπίος ἐστί. dixeris tu Latinè, In itinere ſecundi diei eorum, qui à Perſicis Suſis in Mediam proficiſcuntur, quòd permagna ſcorpiorum multitudo naſci dicitur: idcirco Perſarum rex cùm eò ſuſcepit iter, triduò ante omnibus imperat, vt eos venentur, & ei, qui plurimos confecerit donat munera: Niſi hoc fit, locus tranſiri non poteſt: nam ſubter omnem lapidem, & ceſpitem abditus ſcorpius manet: Ab hoc Perſarum regis facto prouerbij originem fluxiſſe credibile eſt.

Purum pectus aliter ab Horatio, aliter à Lucilio vſurpatum. Cap. XXIII.

PVRVM pectus aliter omninò dictū eſt ab Horatio, quàm prius à Lucilio fuerit vſurpatum, vtrumq; tamen rectum eſt, & ſermonis proprietati conſentiens, quæ res licet fortaſſe nimis tenuis, ac vix digna memoratu videri poſsit, volui tamen aliorum exemplo, qui eandem ſcribendi rationem ſequuti ſunt, & ad multo leuiora ſe ſæ demiſerunt, qualecumque id tandem fuerit, adnotare: nihil verò adeò exiguum eſt, quod non aliquam interdum afferat vtilitatem. Horatius igitur purum pectus appellauit, quomodo aliàs puras manus dixerat, id eſt, innocentes, integras, nulloque ſcelere contaminatas: Ait enim in Satyris.

Non patre præclaro, ſed vita, & pectore puro.

Rurſus epiſtola quapiam *nunc adhibe puro*

Pectore verba puer. Quomodo etiam multò ante vſurpauerat Ennius Phœnice. *aduerſus aduerſarios*

Ea libertas eſt, qui pectus purum, ac firmum geſtitat.

Lucilius verò Satyr. lib. 8. citante Nonio purum pectus vocauit, quod nullo papillarum tumore exurgeret, inquit enim.

Quòd

Quòd gracila eſt, pernix, quod pectore puro.
Quòd puero ſimilis.
Id eſt exiguis papillis prædita, cuiuſmodi in puellis commendari ſolent. Martialis lib. 8. epigrammate in Clyſtum.
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella ſeruat.

Dionyſii Lambini ſententia de capite fluminum confutata. Cap. XXIIII.

FALSO ſibi perſuaſit, ac nobis porrò perſuadere conatus eſt Dionyſius Lambinus, vocem caput, cùm de fluminibus enunciatur, non originem ſignificare, ſed finem potius, vbi videlicet flumina ſe in mare egerunt, quique aliter ſentiunt, eos errare conſtanter affirmat: ac mihi quidem in præſentia non libet Adriani Turnebi explicationem ad illud Maronis tueri.
Hic mihi magna domus celſis caput vrbibus exit.
Nam quin ipſum Lambinus tacitè deſignet, nemo dubitarit, qui Turnebi Aduerſaria legerit: tantùm oſtendam Lambinum falſa tradere, ipſumque vehementer errare, qui alios vitij inſimulare non dubitat: & quoniam totius rei cardo in exemplorũ appoſitione verſatur, oſtendendum eſt apertis tabulis Latinos ſcriptores caput de fluminum origine quandoque vſurpare conſueuiſſe: ac Seneca quidem auunculus non malus Latinitatis auctor hanc vocem perſpicuè ea ſignificatione
„ accepit, cum dixit epiſtola quapiam: Magnorum fluminum capita
„ veneramur, ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. Et Na-
„ tur. quæſt. lib. 3. Quidam exiſtimant terram quoque concuti, & di-
„ rupto ſolo noua fluminum capita detegere, quæ amplius vt è pleno profundant. Rurſus lib. 4. de ſcaturigine Danubij loquens, quod paulò ante fontem nominauit, ſtatim caput appellat. Vtrumque ap-
„ paruit falſum, nam & caput eius in Germania eſſe comperimus; Soli-
„ nus c. 43. de fontibus Mçandri fluminis loquens, Ex arce (inquit) Cę-
„ lenarum Mæander amnis caput tollit, qui recurrentibus ripis flexuo-
„ ſus inter Cariam, & Ioniam præcipitat in ſinum, qui Miletum diuidit, & Prienem. Auſonius epiſtola 9.
Danubius penitis caput occultatus in oris
Totus ſub veſtra iam ditione fluo.
Pedo Albinouanus elegia in Mæcenatis obitum.
Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Sed & Propertius, quem teſtẽ omni exceptione maiorẽ, apud Lambinũ pręſertim, fore non dubito, hac notione ſumpſiſſe videt lib. 2. ibi.

Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores.

Eſt.n.argumentum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου ſumptum, haud abſimile Ouidiano illi ex Heroidum epiſtolis.

Quum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurrat aqua.

Item Ouidius Thriſt. lib. 1.

In caput alta ſuum labentur ab æquore retrò
Flumina. Neq; aliter dixiſſe videtur Maro Georg. 4.
Et caput, vnde altus primùm ſe erumpit Enipeus. Tibull. lib. 1.
Nile pater, qua nam poſſum te dicere cauſſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput.

Nam hìc procul dubio de fonte, atque origine Nili, caput enunciari nemo non videt, præſertim Horatio ita canente.

Te, fontium qui celat origines
Nilusque, & Iſter.

Necnon Lucano libro 10.

Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis paruum te, Nile, videre,
Amouitque ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm noſſe tuos.

Denique Lucretius, Lambini delitiæ, ſic ait lib. 6. de ipſo eodem Nilo verba faciens.

Fit quoque vti pluuiæ forſan magis ad caput eius
Tempore eo fiant.

Nam eam illic de Nili incremento rationem perſequitur Latinus poëta, cuius meminit Herodotus. Sed tædet me in re adeò perſpicua, exemplorum appoſitione tempus terere: Deniq;, vt rem ſolidiſsimo fundamento ſtatuam, & Lambini inconſtantiam patefaciam, operæprecium fuerit ipſius verba proferre, quæ ad Lucretij carmen ſupra
„ à me poſitum in ſuis Commentarijs ita legũtur. Etiam de capite (in-
„ quit) & origine Nili valdè dubitarunt veteres: Ita vides, ſtudioſe, & amice lector, vt ſorex ipſe ſuo indicio pereat, ſicut eſt in prouerbio. Nunc tot auctoritatibus arceſsitis, atque congeſtis etiamnum pronunciare dubitabimus, nihil omninò vidiſſe Lambinum, cùm hanc ϑεωρίαν nobis tradidit?

Qui ſint Rhamnes apud Horatium. *Cap. XXV.*

RHAMNES apud Horatium quinam dicantur epiſtola ad Piſones, ibi.

Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.

Eius poëtę interprętes ex ſuo ſenſu iã olim docuerunt, qui meus etiã eſt, cùm extra Latiũ vox illa non educitur, ſed ſi Gręco cęlo inferatur, tunc aliter de ea cenſeo, quàm vulgò ſit perſuaſum: didici.n.ex Suida, huiuſmodi vocabulum valere apud Græcos doctum, atque eruditum hominem, à Rhamno Atticę municipio, in quo Antiphon arte dicendi floruit, quem multi volentes imitari, prouerbium vitæ reliquerunt, vt pulchri, & honeſti Rhamnes dicerentur, Suidæ verba, quæ
„ hiſce Latinis reſpondent, ſunt hæc. Ῥάμνος. ἠθὶ τῶν σοφῶν καὶ ἐλλογίμων. ῥάμνος γὰρ δῆμος Ἀττικῆς, ἐν ᾧ καὶ Ἀντιφῶν ἤκμασε κατὰ ῥητορικήν. ὃν πολλοὶ μιμήσασθαι θέλοντες παροιμίαν ἔλιπον τῷ βίῳ, ὥστε τοὺς καλοὺς ῥάμνους καλεῖν. Conuenit autem poëtæ loco ex hoc etymo ducta ſignificatio, vt neminem rei nouitas ſuſpenſum habeat, quominus hanc interpretationem libenter amplectatur.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER QVINTVS.

Quo ſenſu accipere oporteat vocem alliatum apud Plautum Moſtellaria. Cap. I.

GRVNIO ſeruus in Plauti Moſtellaria audierat à Tranione. *Oboluiſti allium.*
atque alias itidem contumelias in ruri habitantes homines iaci ſolitas, nimirùm has.

Germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canis, capra, commiſtæ.

Eandem contumeliam de ſe cum felle, & ſtomacho quodam iactat ipſe illic paulò poſt.

Sine me alliatum fungi, fortunas meas.

Vbi alliatum coniungi debet cum pronomine deleta diſtinctionis nota, quam poſt verbum fungi appoſuerat Lambinus, vt ſit ſenſus: ſine me alliatum, id eſt allio paſtum, & quem allium olere paulò antè dixiſti, ſine, inquam, me tetrum odorem halitu ſpirantem fungi fortunas meas: dicitur.n.alliatum, ſicut vnguentatum, & cretatum: Turnebus, & Lambinus accipiunt pro Moreto, cui allium admiſtum ſit, vel pro pane allio contacto, ac pro omnibus denique cibis, quibus allium intritum eſt, quod tamen non procedit. Rectè autem fecit Trannio, qui ſimplicis allij mentionem ingeſsit, cùm vellet ruſticum illum ſpernere, ipſique maledicere: nam pari modo vituperat ruſticos Horatius Oda. 3. Epod.

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius;
O dura meſſorum ilia,
Quid hoc veneni ſæuit in præcordiis?

Quibus etiam animæ grauitatem obijcit illic in fine.

At, ſi quid vnquam tale concupiueris,
Iocoſe Mæcenas, precor,
Manum puella ſuauio opponat tuo:
Extrema & in ſponda cubet.

Id autem non fuiſſet conſequutus Trannio ſi Moreto Grunionē veſci dixiſſet, hic .n. cibus non meretur tantoperè contemni, quantoperè Grunionem Tranio deſpicere volebat illo ſermone: ſiquidem moreti confectio Virgiliana ſatis docet illud cibi genus huiuſmodi fuiſſe, vt à delicatioribus menſis ad languentem guſtum excitandum excludi non deberet, neque .n. ſolo allio conſtabat, ſed apio quoque, ruta, coriandro, bulbo, caſeo, oleo, aceto, & ſale conſperſo, namq; hęc omnia à Virgilio in breui illo poëmatio, cui ab intrito hoc nomē indidit, enumerantur: Faueret tamen eruditorum illorū hominum ſententiæ ſcriptura quæpiam, quam mihi olim videre contigit ad oram Plautini codicis, vnde ipſam deinde in meum tranſtuli, illic .n. adnotatum fuit farturas meas, vt legatur integrum carmen.

Sine me alliatum fungi farturas meas.

Id eſt alliatum, appoſitiuè farturas meas: Sed ne ſic quoque Plauti ſententia conſtabit integra Latinitate, niſi ſit farturam meam vnius numero.

Ariſtotelis ſententia quæpiam à Franciſci Luiſini calumnia vindicata. Cap. II.

LIBET pauliſper cum Franciſco Luiſino philoſophari, nam is, vt videretur ab hoc ſtudio minimè alienus, immò verò vt eius noua pręcepta ponere ſe poſſe demonſtraret, Ariſtotelem aggreſſus eſt, dicens torqueri ſe illa Ariſtotelis ſententia, quæ poſita eſt Meteorol. 2. his verbis ἡ δὲ φορὰ λοξὴ αὐτῶν ἐστί, περὶ γὰρ τὴν γῆν πνέουσιν, ὀρθῆς γινομένης τῆς ἀναθυμιάσεως, ὅτι πᾶς ὁ κύκλῳ ἀὴρ συνέπεται τῇ φορᾷ. quę verba ſic ipſe Latinè reddidit. Obliquus ventorum impetus eſt, nam circa terram flant, quamuis rectus terræ ſpiritus, ex quo venti gignuntur, aſcendit, nam aër circulo volutus cæli curſum ſequitur: Cur aūt torqueatur hanc cauſam addit, Quia (inquit) ſi venti curſum cæli cum aëre ſequuntur, perridiculum quiddam conſequitur, ventos ſcilicet ab Oriente ſolùm in Occidentem, & ab Occidente in Orientem flare, & nullum eſſe ventum, qui à Septentrione, & Meridie ſpiret: deinde mira quædam, & inaudita narrat de numero cæleſtium ſphærarum. Hic ego non iniuria ipſum torqueri affirmo, nam illa Ariſtotelis verba omnes ferè interpræetes tùm Græcos, tùm Latinos vehementer exercuerunt, ne quis putet Luiſinum difficultatem hanc primum animaduertiſſe, quam tamen valde commodè, &, vt puto, veriſsimè remouet Olympiodorus dicens, non docere ibi Ariſtotelem ventos cæli conuerſione impelli; ſed quòd exhalatio ſurſum ad aërem illum circumlatum aſcendens, eumque præ craſ-

ſitie ſua ſecare non valens, ab illo celerrimè circumlato deorſum re-
pellitur, hacque,& illac violentia magna diſijcitur,vnde obliqua ven
torum motio exiſtit: Debuit igitur oſtendere Luiſinus,cur Olympio
dori ſolutionem ad difficultatem illam non probaret, non autem in-
„ iecto,quod aiunt, aculeo fugam arripere: Deinde ſubdit. Ariſto-
„ teles ventos, quòd oriuntur ex calido terræ ſpiritu,calidos eſſe affir-
„ mat, ſed frigeſcere, dum aërem frigidum pertranſeunt, quæ ratio vt
„ penitus illuceret, ſimilitudinem petijt à flatu, quem ſpirantes ore
„ mittimus. *ὥσπερ τὸ διὰ τοῦ στόματος φυσώμενον, καὶ γὰρ τοῦτο ἐγγύθεν μὲν*
„ *ἐστὶ θερμὸν, πόῤῥωθεν δὲ ψυχρὸν διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν τοῖς ἀνέμοις.*
„ hoc eſt. Vt flatus, quem ore ſpiramus, hic.n.propè calidus eſt, pro-
„ cul frigidus eadem ratione, qua venti: Equidem (inquit Luiſinus)
„ vt credam hac ratione flatum oris modò calidum, modò eſſe frigi-
„ dum, nunquam animum inducam, nam res ipſa aliud ſuadet, ma-
„ num ori benè ſemotam oppone, calidum excipies oris ſpiritum, qui
„ per aërem ad manum peruenerit: Hactenus ille. Equidem arbitror
hæc Ariſtotelis verba è meo codice euanuiſſe,nam cùm multùm,diù-
que perquiſierim, numquam ea reperire potui: illud certè apud eun
dem philoſophum perſæpe legi, iccircò ex ore tùm calidum, tùm
frigidum nos reddere, quoniam frigidum efflamus, calidum verò ex
halamus, at qui efflant, non vniuerſum aëra mouent, ſed ore angu-
ſtiore extringunt; paucum expirant, quod multum externi aëris ex-
citat: itaque calor ore profectus paſſus in eo ſuam ob exiguitatem
deliteſcit: at, qui exhalant, vniuerſum, ob eamque rem calidio-
rem, expirant. eſt enim efflatio ſpiritus ſtrictim protuſus, exhala-
tio verò ſpiritus vniuerſim profuſus: Norunt autem eruditi, at-
que in Ariſtotelis lectione diligenter verſati,hoc ab eo tradi in Pro-
blematis,ſed Luiſinus Ariſtotelem, quem non probat, haud magno-
pere verſare ſtudet: ac Plutarchum quoque pari audacia contemnit,
qui diſertè ſcribit Anaximenis errorem ab Ariſtotele fuiſſe confuta-
tum. Plutarchi verba eo ipſo commentario: eodemque ipſo in lo-
co, ex quo Luiſinus ad opinionem ſuam aduerſus Ariſtotelis ſenten-
tiam conſtituendam auxilium petijt, ſunt huiuſmodi. *τοῦτο μὲν οὖν*
„ *ἀγνόημα ποιεῖται τοῦ ἀνδρὸς* (Anaximenem intelligit) *ὁ Ἀριστοτέλης.*
„ *ἀνειμένου γὰρ τοῦ στόματος ἐκπνεῖσθαι τὸ θερμὸν ἐξ ἡμῶν αὐτῶν, ὅταν*
„ *δὲ συστρέψαντες τὰ χείλη φυσήσωμεν, οὐ τὸν ἐξ ἡμῶν ἀλλὰ τὸν ἀέρα*
„ *τὸν πρὸ τοῦ στόματος ὠθεῖσθαι, ψυχρὸν ὄντα καὶ προσεμπίπτειν.* id eſt.
Quem quidē eius errorem refellit Ariſtoteles: aperto.n. ore è nobis
ipſis calidum efflari docet, cùm verò flamus compreſsis labris, non
nos è nobis expirare aërem,ſed eum,qui ante os eſt impelli, & rebus
incidere. Ac non eſſe Ariſtotelis verba illa,quę Luiſinus protulit,ſa-
tis

tis indicat quinquageſimum primum problema ſegmenti vigeſimi ſexti, vbi quærens Philoſophus, cur Auſtri frigidi in Africa ſint, vt apud nos Aquilones, cauſſam eſſe dicit, quia, vt Græcis Aquilonum origo, ſic Africæ Auſtrorum propior eſt: nam ſi flatus per an guſtum extrudi ſoleant, propius certè frigidiores occurrent propter vehementiam ſui motus, quam diffundi, hebetarique neceſſe eſt, cùm ſe longius protrahit: qua de cauſſa Aquilones frigidi apud Græcos ſunt, colunt .n. illi propius, immò iuxta ipſos Septentriones: Hic, vt vides, ex philoſophi ſententia flatus, qui propius excipitur, frigidior eſt, qui longius, calidior; illic ſecus prodiderat; Reliquum eſt, vt indicem Luiſino, vnde cauſſam petere poſsit, cur venti frigidi ſint, cùm tamen ex calido terræ ſpiritu oriantur: inueniet igitur hanc quæſtionem explicatam ab eodem philoſopho Probl. 50. eiuſdem ſegmenti; cuius verba longiora ſunt, quàm vt hic referri debeant.

Controuerſia quædam inter duos Græcos ſcriptores notata. Cap. III.

SVSPICOR Ioannem Tzetzem in hiſtoria quadam percenſenda *παραλογίζεσθαι*, memoriæque peccatum committere nomine vno pro alio poſito: ſiquidem Plutarchus auctor grauiſsimus, & cui hac in re maior omninò fides adhiberi debeat, idem factum commemorans ſemel, iterumque in ore Pompei collocauit vocem illam continentiæ, ſobrietatisque plenam, quam Catoni tribuit Tzetzes: Intelligo autem cùm Pompeio ægrotanti medicus turdum dari mandauit, qui per anni tempus haberi vix poterat, cùmque intellectum eſſet multos apud Lucullum turdos ali, Pompeius dixiſſe fertur, ſine Luculli delitijs ego non viuam? Hanc rem, vt dixi, duobus in locis (quantũ quidem in præſentia recordari poſſum) cõmemorat Plutarchus: ſemel in comment. quo diſputat, Vtrum ſeni ſit gerenda Reſp. iterum in ipſius Pompei vita. Tzetzes, qui ſuas Chiliadas non ex libris petebat, ſed memoria fretus currenti calamo explebat, vt ipſe alicubi teſtatur, viri nomen commutauit, factumque illud Catoni aſcripſit; ſic.n.ait Chil. 10. de continentia illius hominis loquens. dixerat autem ſuperius, pane vulgari, & caſeo, & vino vappa eum victitare conſueuiſſe, ac delicias omnes ita abhorruiſſe,

Ὡς καὶ ποτὲ νοσήσαντα παρ' ἰατρῶν ἀκοῦσαι,
Ὡς εἰ μὴ κίχλας γεύσαιτο, οὐχὶ ῥαΐσοι νόσου.
Ὡς ἀνηρώτησεν εὐθύς, καὶ ποῦ ἐν θέρει κίχλας;
Εἶπόν τινες, Λουκόλλου ἐν κήποις σιτεῖσθαι κίχλας;
Ἦν γὰρ ἐκεῖνος τρυφηλὸς ὑπὲρ Ῥωμαίους πάντας:

Ὁ Κά-

Ὁ Κάτων οὐκ ἠθέλησε τὴν κίχλαν βεβρωκέναι,
Εἰπὼν τὸν περιθρύλλητον, ὅνπερ ἐρῶ νῦν, λόγον.
Εἰ μὴ τρυφῶν ἦν Λεύκολλος, ὁ Κάτων οὐκ ἂν ἔζη;

Id eſt. Vt & olim, cùm ægrotaret, audiret à medicis: non poſſe ex morbo conualeſcere, niſi turdos ederet; interroganti autem vnde nam turdi æſtate haberi poſſent, dixerunt quidam in Luculli hortis plures ali turdos, erat .n. Lucullus inter Romanos maximè delitijs deditus. Cato autem noluit turdum comedere dicens illud vulgò iactatum, quod nunc referam: Niſi deliciaret Lucullus, non viueret Cato?

Ouidiani cuiuſdam loci vera ſententia demonſtrata. Cap. IIII.

OVIDIVS epiſtola Leandri ad Heronem ita habet.

Si qua fides vero eſt: veniens hùc, eſſe natator,
Cùm redeo: videor naufragus eſſe mihi.

Vbi quid ſibi velit poëta poſtremis illis verbis,

Videor naufragus eſſe mihi;

Grammatici omnes, qui Heroidas interpretati ſunt, quoſque adhuc mihi videre contigit, ne minimùm quidem aſſequi potuerunt, adeò verborum ipſorum nudę, ſimplicique explicationi addicti ſunt: Ego quidem lepidiſsimam hanc, & Ouidij ingenio digniſsimam, ac deniquę, niſi me fallit augurium meum, veriſsimam ſententiam inde colligo. Leander, vt ſuum Heronis aſsiduè videndę, & contemplandæ deſiderium demonſtret, dicit ſe, cùm ab ea digreditur, oculos, dum licet, in ipſam conuerſos tenere, atque ita diutius eius aſpectu frui.

Digredimur (inquit) *flentes: repetoque ego virginis æquor,*
Reſpiciens dominam, dum licet, vſque meam.

Id autem nulla alia ratione conſequi poterat, quàm ſi nataret ſupinus, tūc enim oculos dirigens in ipſam Heronem Abydon commodè repetebat, quòd ſi pronus nataſſet, non feciſſet, vt rectè norunt, qui vel ipſi vtranque natandi rationem tenent, vel eo pacto natantes aliquando conſpexerunt: Inquit igitur Leander, cùm Sextum petit, ſibi videri natatorem, id eſt ſolere pronus natare, quomodo plurimi, ac tantùm non omnes ſemper ferè natare conſueuerunt, cùm verò Abydon reuertitur ſibi videri naufragum, id eſt naufragorum more ſinitare, naturale ſiquidem eſt, vt virorum cadauera ſupina, atque erecta in cælum facie in aquis ferantur, fœminarum prona, vultuque in fundum inclinato, auctore Plinio; ſiue quòd natura fœminarū partes illas, quę honeſtè nominari, atque inſpici nequeunt, celari velit, ſiue potius, quia papillarū, ac vētris latioris onus eas ſubſidere cogit: atque hanc

in-

interprætationem adeò certam,firmamque puto, vt Iouis lapidem iu rare paratus ſim, nihil aliud omninò tunc in mēte habuiſſe Ouidium, cùm eo pacto Leandrum loquentem fecit: vulgatior tamen expoſitio, & quæ magis in promptu eſt (vt huius etiā rei lectori copiam faciam) de Martialis epigrammate quodam in Amphitheatrum Cæſaris conſcriptum lucem aliquam ſumere poteſt,in eo etenim cùm legatur

Cùm peteret dulces audax Leandrus amores,
Et feſſus tumidis iam premeretur aquis.
Sic miſer inſtantes affatus dicitur vndas,
Parcite dùm propero, mergite dum redeo,

Conſtat aliquo pacto lumen præferri Ouidianæ ſententiæ, quam verſus initio à me propoſiti, ſi nihil penitius reconditum in ipſis requiratur, continere videntur.

Duplex Acurſii error patefactus. Cap. V.

LIBRO Pandectarum 33. titulo 2. capite, quod vltimum antecedit, Iabolenus I. C. ita ſcriptum relquit. „ Cùm olea immatura plus habeat redditus, q̄ ſi matura legaſ non poteſt videri ſi immatu „ ra legata eſt, in fructu nō eſſe: In quorū verborū interprętatione duo errata non mehercule leuia, aut contēnenda cōmiſiſſe Acurſiū depre- „ hendi: ſed operępreciū eſt ipſum loquentē prius audire. Plus reddi- „ tus.i.(inquit Acurſius) plus humoris, non tñ ita ſani,& boni: Ita ne, olea immatura plus habet humoris? atqui Cato de Re Ruſt. & eum ſequutus Plinius domino de matura olea oleū fieri maximè expedire aiunt, videlicet ob copiam,& ampliorem olei prouentū: nam alioqui, quin omphacinum, & ex immatura olea expreſſum precioſius ſit, nemini dubium eſſe poteſt, id quidem Plinius lib. 12. Conſtantinus Cęſar (ſic.n. vulgo de eius voluminis auctore perſuaſum eſt) lib. 9. atque alij rei ruſticæ ſcriptores tradiderunt: hoc primum igitur Acur „ ſij peccatum eſt. Subdit deinde: Non tamen ita ſani, & boni: & hic rurſus huius rei imperitum ſe oſtendit: nam Cato homo eruditiſſi- „ mus aliter omninò & ſentit, & loquitur illis verbis. Quā acerbiſsima „ olea oleum facies, tàm oleum optimum erit: cui Plinius,& Conſtantinus Cæſar ſubſcribunt: intelligo autem de alba olea, cuius meminit Cornelius Celſus lib 4. Galen.5. de compoſ. ſimplic. medicam. Oribaſius lib.7. necnon Plinius lib.23. Nolo autem ignorari (poſtquam in hunc ſermonem incidi) ex triplici olearū genere oleum exprimi ſolere, & quod ex albis fuerit oliuis elicitum, Speranum vocari, à Græcis ὀμφάκιον: quod autem ex fuluis,& nondum maturis fuerit expreſſum, Viride: quod verò ex nimium maturis, Commune: queadmodū

ſcribit Iſidorus Originum libro 17. Verùm quantumlibet grauia, aut contrà inepta, & ridicula huius generis prodat Acurſius, nec laudem, nec vituperationem magnopere meretur,

Nam quæ ſunt medicorum
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Nec mihi libet laureolam in muſtaceis quærere.

Amori dare ludum, quid valeat apud Horatium in Odis. Cap. VI.

ERRORE labuntur omnes ferè interpretes Acron, Porphyrio, Lambinus, Xilander, cæteri, in explicatione illius Horatiani carminis ex Odis.

Miſerarum eſt, neque amori dare ludum:

Etenim amori dare ludum perinde accipiunt, ac ſi dictum eſſet, amori indulgere, atque operam dare, quod tamen falſum eſt, & à poëtæ mente valdè alienum, id.n. potiſsimum illic agit Horatius, vt Neobulen hortetur ad curas pauliſper deponendas, quæ ex immodico amore colliguntur, quod qui facere non poteſt, miſerum eſſe dicit: enumerat autem incommoda, quæ ἐρωτομανίαν ſequuntur, & impedimenta narrat, quæ inde euenire conſueuerunt.

Tibi qualum (inquit) *Cythereę puer ales,*
Tibi telas, operoſæque Mineruæ
Studium aufert, Liparei nitor Hebri.

hæc.n. rerum neceſſariarum ſocordia ex immodico amore interdum proficiſcitur. Liuius lib. 36. de Antiocho rege amore capto virginis
" Calcidenſis Cleoptolemi filiæ loquitur in hanc ſententiam. Tandem
" impetrata re, tanquã in media pace nuptias celebrat: & reliquũ hye-
" mis, oblitus quantas ſimul duas res ſuſcepiſſet, bellum Romanum, &
" Græciã liberandã, omiſſa omnium rerũ cura, in conuiuijs, & vinũ ſe-
" quentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis, quàm ſatie-
" tate earum in ſomno traduxit. eadem omnes præfectos regios, qui
" vbique ad Bœotiam maximè præpoſiti hybernis erant, cepit luxu-
" ria: in eandem & milites effuſi ſunt, nec quiſquam eorum aut arma
" induit, aut ſtationes, aut vigilias ſeruauit, aut quicquam, quod mi-
" litaris operis, aut muneris eſſet, fecit. Theocritus Cyclope.

Ηρατο δ' ὄτι ῥόδοις, οὐ μάλοις οὐδὲ κικίνοις,
Αλλ' ὁλοαῖς μανίαις, ἁγεῖτο δὲ πάντα πάρεργα.
Πολλάκι ταὶ ὄιες ποτὶ ταὔλιον αὐταὶ ἀπῆνθον,
Χλωρᾶς ἐκ βοτάνας.

Hoc eſt. Amabat autem non aliquid roſis, non malis, neque cicinis: ſed pernitioſis furijs: putabat autem omnia ocioſa, ſæpe oues ad

ad ſtabulum ipſæ abierunt viridi ex herba. Sappho poëtria in carmine quodam, cuius fragmentum hoc extat apud Hepheſtionem.

Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱστόν,
Πόθῳ διαμεῖσα παιδὸς βραδίναν δὶ Ἀφροδίταν.

Hoc eſt. Dulcis mater: non poſſum texere telam, Amore victa pueri, per acrem Venerem. Virgil. Alexi.

Semiputata tibi frondoſa vitis in vlmo eſt.

Et Æneid. 4. de Didone.

Non captæ aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portuſue, aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cęlo.

Seneca Hippolyto ſub Phædræ perſona.

Non me quies nocturna, non altus ſopor
Soluere curis: alitur, & creſcit malum,
Et ardet intus, qualis Aethnęo vapor
Exundat antro. Palladię telæ vacant,
Et inter ipſas penſa labuntur manus.
Non colere donis templa votiuis libet,

Et quæ ibi ſequuntur. Claudianus de nuptijs Honorij, & Mariæ.

Non illi venator equus, non ſpicula curę,
Non iaculum torquere lubet, mens omnis oberrat
In vultus, quos fixit amor:

Denique, vt aliquis exemplorum modus extet, videnda eſt vniuerſa octaua Ode lib. 1. ad Lydiam, vbi huiuſmodi perditè amantium deſidiam, in Sybaris adoleſcentis perſona notat Horatius. Eſt igitur initiò propoſiti verſiculi ſenſus huiuſmodi: miſerarũ eſt ab amatorijs curis nunquam animum auocare poſſe, neque alijs rebus occupatam amorem interdum fallere, & ab eo quaſi feriari: Dare autem ludum, hoc, quod dico, nonnumquã ſignificare, illud Plauti ex Caſinæ prologo ſatis indicat.

Ne quis formidet flagitatorem ſuum:
Ludi ſunt, ludus datum eſt argentarijs.

Quòd ſi aliorum explicationem ſequamur, non modò, quod vult, non dicet Horatius, ſed contrarium potius, nimirum hoc. Miſerarum eſt non indulgere amori, neque mala, & reliqua: perinde ac Neobule ex earum numero vna eſſet, quæ amori minimè vacaret, atqui de ea ſtatim ſubdit.

Tibi qualum Cytherex puer ales, & cætera.

Ergo ipſa iam amori indulgebat, vt ea admonitione, aut exhortatione non admodum opus haberet: Non eſſet igitur Ode *παραινετική*,

ſeu προτρεπτικὴ, vt eam eſſe dicit Lambinus, & verè dicit, ſed puram, putamque narrationem contineret.

Plinij locus aliter, quàm à Mureto caſtigatus. Cap. VII.

NON puto temerè è ſua ſede vocem aliquam deturbandam, præſertim in ijs auctoribus, qui aſſiduè doctorum manibus teruntur, ſunt.n. accurato diuerſorum ſtudio à mendis iamdiù purgati, vt in vniuerſum tutò pronunciare liceat, nullius correctoris opera magnopere eos indigere, quòd ſi interdum aliquid habent, in quo lectoris curſus offendat, cautè, prudenterque id remoueri debet: In horum numerum nemo dubitat, quin Plinius ſummo iure ſit reponendus, ſunt.n.huius ſcriptoris monumenta omnis exquiſitioris doctrinæ quidam quaſi theſauri. Igitur in eius lib. 14. vbi de natura vini diſputatur, ita ſcriptum eſt. „ Prorſus vt iure dici poſsit, neque viribus corporis vtilius aliud, neq; aliud voluptatibus perniciosius, „ ſi modus abſit. Quo in loco vocem voluptatibus redundare, ac ſuperfluere putauit Muretus, quare delendam exiſtimat: ego quomodocunque corrigendam potius duxerim, quàm integram abijciendam, vix enim adduci poſſum, vt vacantem omninò, atque ocioſam eſſe credam: quocirca pro voluptatibus voluptatum legere ſoleo: quam loquendi formam non inuſitatã omninò eſſe apud Græcos præſertim ſcriptores ipſemet Muretus alicubi teſtatum reliquit, vbi Plauti quoque teſtimonium citat hoc.

Satin parua eſt res voluptatum in vita, atq; ætate agenda
Præ quod moleſtum eſt?

Item Ariſtophanis verſus ex Nubibus.

Ὦ ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, ὅσον
Ἀπέρατων, οὔποθ' ἡμέρα γενήσεται. quos ille ſic vertit.

Rex Iupiter, quàm immenſa res eſt noctium.
Nunquamne pulſa nocte naſcetur dies?

Videtur autem locutio eiuſdem propemodum generis eſſe cùm illis alteris, quæ crebrò occurrunt in bonis auctoribus: quaſſata muri, ardua viæ, amara curarum, acuta belli, & ſi quæ ſunt alia: Atque hęc de hoc loco mea coniectura eſt: quamquam volo diligenter conſiderent ſtudioſi, nùm vulgata ſcriptura commodo aliquo ſenſu retineri queat, quod mihi rem totam accuratius perpendenti interdum videri ſolet, ac Plinius ſanè eodem ferè pacto loquitur lib. 22. in ipſo „ Proęmio. Compleſſe poterant miraculum ſui natura, atque tellus, „ reputantium vel prioris tantùm voluminis dotes, totque genera her„ barum, vtilitatibus hominum, aut voluptatibus genita.

Auſonij locus aduerſus Ianum Parrhaſium explicatus. Cap. VIII.

AVSONIVS Magnus de Dodonæis lebetibus loquens epiſtola ad Paulinum ſic inquit.

Nec Dodonęi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus ictę
Reſpondent dociles moderato verbere pelues.

Quem locum declarans Ianus Parrhaſius in ſuis ad Claudianũ Commentarijs ſuper eo verſu De raptu Proſerpinę lib. 1.

Ceſſerit inuentis Dodoneia quercus auitis:

Per radios cotidianum ſolis contactum ſignificari putat, vt non aliter lebetes illi ſolis radijs percuſsi tinnirēt, ac Memnonis ſtatua apud Ægyptias Thebas à ſole illuſtrata vocem emittere conſueuerit: eius rei quoniam nullum prorſus auctorem citat, meritò apud me fidem non inuenit, qui potius crediderim illic flagellum virgam illam ſignificare, quam pueri ſimulachrum in altera columna ſuſpenſum manu teneret, quaque vehementius vento flante peluim æream, quæ in altera eſſet columna, crebrius feriret, vt tradit Zenodotus: quòd ſi aliorum opinionem ſequi malumus, licebit eodem modo radium pro virga accipere; id enim quandoque vox illa denotat, velut apud Virgilium in Palęmone.

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:

Rurſus Æneid. 6. *cœlique meatus*

Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.

,, Plin. lib. 10. Capiti eius (pſittaci) duritia eadem, quæ roſtro. Hoc
,, cũ loqui diſcit ferreo verberatur radio, non ſentit aliter ictus: Porrò de Dodonæis lebetibus hiſtoria dupliciter circumfertur, prout eam vtroque modo recenſet Suida in δωδωναῖον χαλκεῖον.

Seruii Grammatici ſententia ab Eraſmi calumnia defenſa. Cap. IX.

QVOD ſcriptum reliquit Seruius Grammaticus ad illud ex 10. Æneid. *ditiſſimus agri*

Qui fuit Auſonidum, & tacitis regnauit Amyclis,

Lacones Pythagoricæ fuiſſe factionis, debet ita accipi, vt Lacones, in eo, quod ſe abſtinerent à cæde animalium, & ab ἀδολεσχίας, Pythagoræ conſilium ſequuti fuerint; de altero Seruius illic hiſtoriam narrat, de altero nos admonet Lycurgi dictum, qui interoganti cuipiã

quam-

quamobrem Lacedæmonij breuiloquium vſurparent, reſpondit; ὅτι ἐγγύς ἐστι τοῦ σιγᾶν, quoniam ſilentio finitimum eſt. Xenophon quoque in Laconum Rep. de Lycurgo loquens ait. πρὸς δὲ τούτοις τὸ, τὸ αἰδεῖσθαι ἰσχυρῶς ἐμφῦσαι βουλόμενος αὐτοῖς, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπέταξεν ἐντὸς μὲν τοῦ ἱματίου τὼ χεῖρε ἔχειν, σιγῇ δὲ πορεύεσθαι, περιβλέπειν δὲ μηδαμῶς, ἀλλ' αὐτὰ τὰ πρὸ τῶν ποδῶν ὁρᾶν. ἔνθα δὴ καὶ δῆλον γεγένηται ὅτι τὸ ἄρρεν φῦλον, καὶ εἰς τὸ σωφρονεῖν ἰσχυρότερόν ἐστι τῆς τῶν θηλειῶν φύσεως. ὡς ἐκείνων γ' οὖν ἧττον μὲν ἂν ὄμματα μεταστρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων. καὶ ἐπειδὰν εἰς τὸ φιλίτιον γε ἀφίκωνται, ἀγαπητὸν αὐτῶν καὶ τὸ ἐρωτηθὲν ἀκοῦσαι. quæ ſic Latine reddita ſunt. Præterea cùm pudorem eis innaſci vehementer cuperet, mandabat, vt in vijs manum vtramque intra pallium continerent, taciti incederent, nuſquam circumſpicerent, ea tantùm intuerentur, quę ante pedes eſſent, vnde etiam patuit ſexum maſculum fœmineo modeſtius gerere ſeſe poſſe, illorum certè vocem minus audieris, quam lapidei ſi forent: minus oculos flexeris, quàm ſi eſſent ænei, denique verecundiores eſſe duxeris, quàm ſint eæ, quæ in thalamis ſunt, virgines: quòd ſi etiam ad conuiuiuium veniant, ſatis eſt, ſi ad interrogata reſponderint. Thucidides quoq; hiſtoriarum lib. 5. quippiam narrat à re, qua de nunc agimus, non alienum, inquit.n. quòd Lacedæmonij exercitus numerus, cùm ij pugnaturi eſſent cum Argiuis Agidis ductu, ſciri non potuit, propter domeſticum ſilentij inſtitutū. Lacones itaque Pythagoræ diſciplinam adamantes, βραχυλογίαν ſequuti fuiſſe videri poſſunt, vnde à Marone illic tacitę Amyclæ vocatę ſunt, vt hinc iam tutò affirmare liceat, parùm prudenter ſe Eraſmum gerere in explicatione prouerbij, Amyclas perdidit ſilentium: dum inſcitię notam grammatico illi ſtudet inurere. Ceterùm de quinquennali Pythagorę ſilentio res peruulgatior eſt; quàm vt pluribus oſtendi debeat.

Ioachimi Perionij, & Gentiani Herueti conuerſio quæpiam notata. Cap. X.

IVRE optimo in Lambini reprehenſionem incidit Perionius, quòd locum quendam Ariſtotelis perperàm, atque abſurdè nimis interpratatus fuerit ex libro περὶ τῶν ἠθικῶν. 3. ibi οὐθὲν δ' ἄν τις καὶ τὸν υἱὸν πολέμιον εἶναι. ὥσπερ ἡ Μερόπη. καὶ ἐσφαιρῶσθαι τὸ λελογχωμένον δόρυ. nam ſic Perionius poſtrema hæc verba Latinè reddidit. & haſtam orbicularis eſſe figuræ, q̃ ſit in lanceæ formam directa: Lambinus igitur commodius, &, vt puto, veriſsimè ſic eadem Latina fecit. Fieri autem poteſt, vt aliquis etiam filium hoſtem eſſe exiſti

met,

met, vt Meropę, & haſtam ſpherę in modum eſſe obtuſam, quæ mucronem habeat rectum. Nam veterum quidem lanceę huiuſmodi fuiſſe videntur, vt ab vna parte, atque ea quidem anteriore, cuſpidem haberent, ab altera autem, & poſteriore formam pilæ referrent, videlicet ne ſocij, & commilitones, qui ponè diſpoſiti eſſent, aliquod inde caperent detrimentum, hoc autem verum eſſe, docet Arrianus
,, his verbis. ἐξηκόντιζον εἰς τοὺς προμαχομένους τοῦ τείχους. οἱ μὲν, παλ-
,, τά. οἱ δὲ, τοξεύματα. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ ἔχων παλτὸν ὡς ἑξάπηχυ, ἔμ-
,, προσθεν μὲν λόγχην ἔχον. ὄπισθεν δὲ αὐτοῦ τοῦ ξύλου, σφαιροειδές. hoc eſt. Emittebant in eos qui ad mœnia pugnabant, alij quidem haſtilia, alij iacula. In dextra autem habebat haſtam ſex ferè cubitorum, cuius prima pars cuſpidem habebat, extremitas verò ligni rotunda erat. Sed & Xenophon περὶ ἀναβάσεως. 5. idem oſtendit de Mo-
,, ſynœcis loquens. ἐν τῇ δεξίᾳ (inquit) παλτὰ ἔχοντες ὡς ἑξάπηχυ, ἔμ-
,, προσθεν μὲν λόγχην ἔχοντες, ὄπισθεν δὲ αὐτοῦ τοῦ ξύλου σφαιροειδές. hoc eſt. Dextra ſex cubitorum tragulam tenebant, cuius anterior pars cuſpidem habebat, poſterior formam pilæ: Conſentaneum autem fuit, vt cùm veteres ludos celebrarēt, aut ſcyomachiam exercerent, illam haſtæ partem in aduerſarium dirigerent, quæ minimè eſſet acuminata, quod ipſe idem Xenophon in commentario De re equeſtri diſertè oſtendit his verbis; loquitur autem de exercitijs
,, equeſtribus. ὅπου δὲ ταῦτα μὴ ὑπάρχῃ, ἀγαθὴ ἄσκησις καὶ ἣν δύο ἱπ-
,, πόται συντιθεμένω, ὁ μὲν φεύγῃ ἰὼν διὰ τοῦ ἵππου παντοῖα χωρία, καὶ τὸ
,, δόρυ εἰς τοὔπισθεν μεταβαλλόμενος ὑποχωρῇ. ὁ δὲ διώκῃ, ἐσφαιρω-
,, μένα τε ἔχων ἀκόντια καὶ δόρυ ὡσαύτως πεπραγματευμένον. καὶ
,, ὅπου μὲν ἂν εἰς ἀκόντιον ἀφικνῆται, ἀκοντίζῃ τὸν φεύγοντα τοῖς
,, σφαιρωτοῖς. ὅπου δὲ ἂν εἰς δόρατος πληγήν, παίῃ τὸν ἁλισκόμενον. hoc eſt. Sed vbi hæc deſiderantur, vtile exercitium & hoc, ſi duo equites ex conuento inter ſe per diuerſa loca fugiant, ac perſequantur, ita vt fugiens auerſam haſtam teneat, perſequens verò rotundatis iaculis, & ſimilis modi haſta inſtet: & de ſpatio, quod iaculo ſatis, iaculum in illum conijciat, deque eo, quod haſtæ ſatis ſit, haſta feriat: Quod verſis haſtis pugnare Latini dixiſſe videntur; Caper qui
,, dem Grammaticus ita exponit. Inuerſis armis pugnaſſe gladiatores
,, non eſt dicendum, ſed verſis, id eſt tranſmutatis: Sic non inuerſis
,, pannis agitaſſe aurigas, ſed verſis. Quamquam aliter ſumpſiſſe videtur Plautus Caſina ibi.

Neceſſum eſt verſis gladiis depugnarier.

Sed hæc iam præter rem. Sic Iulius Pollux ὀνομαστικ. lib. 1. ἐκ τῶν με-
,, λετῶν ἀφ' ἵππου τὰ στρατιωτικὰ ἀνθιππεύων ἑτέροις, ἀκοντίοις
,, ἐσφαιρωμένοις κέχρησο, καὶ δόρατι ὁμοίως πεπραγματευμένῳ σφαιρω-

τῷ

„ τῷ, ὥς τε εἶναι τὴν πληγὴν ἀσινῆ. hoc eſt. Sed ſi equeſtrem pugnam contra alios equites mediteris, telis vtere volubilibus, & lancea ſimiliter rotunda, vt innocua plaga ſit. Horum igitur collatione locorũ multum lucis inferri conſtat Ariſtotelis ſententiæ, quæ alioquin obſcura eſſe poterat, & pluſquam Cimmerijs tenebris inuoluta, præſertim ſi Perionij verſionem ſequeremur. Ac, ne quicquam prætermittam, quod his mitioribus diſciplinis, earumque cultoribus vtilitatẽ aliquam afferre poſsit, eadem opera caſtiganda eſt Gentiani Herueti conuerſio horum verborum, quæ poſita ſunt apud Clementem Alexandrinum Stromat. lib. 2. vbi de eo, quod ſponte & non ſponte
„ fit, agit. ἢ τὸ ἔν τινι πράττεται, καθάπερ ὁ ταῖς ἐσφαιρωμέναις λόγ-
„ χαις γυμναζόμενος καὶ ἀποκτείνα τινὰ, τοῦ δόρατος ἀποβαλόντος τὴν σφαῖραν. hæc ſic Latinè vertit interpres. Aut id (ignorauit) in quo agitur, vt qui orbiculatis exercetur lanceis, aliquem interfecit, cùm orbem emiſiſſet lancea: Quid ſibi voluerit Gentianus poſtremis illis verbis, ne ipſe quidem, ſi reuiuiſcat, commodè explicabit; eadem porrò quomodo vertenda ſint, ex ijs, quæ à nobis hactenus dicta ſunt, abundè cognoſcitur.

Arnobii vera lectio reſtituta. *Cap.* XI.

PONTIFICIALE verbum, quod Arnobius commodo loco, atq; in tempore vſurpauerat libro aduerſus Gentes quinto, quodque ineruditi iſti librarioli per imperitiam inde amouerunt, operæpre cium fuerit reſtituere, & in ſuam ſedem reuocare, præſertim cùm vox, quæ eius vice ſuppoſita fuit, haud ſatis officio ſuo illic fungatur: Chriſtiani ſcriptoris verba veterum de Dijs fabulas, ac deliramenta irridentis, quà pertinet ad rem noſtram, adſcripſi. Quæ (ferarum
„ multa munera ab Acdeſti dono accepta) puer Atys primò ſui eſſe di
„ cebat laboris, atq; operis glorians: per vinum deinde confitetur, &
„ ab Acdeſti ſe diligi, & ab eo donis ſylueſtribus honorari: Vnde vi-
„ num, quod ſilentium prodidit, in eius nefas eſt ſanctuarium inferre pollutis: Quid ſibi vult alieno loco intruſa vox pollutis? quis eius illic vſus? quę vis? quæ denique tolerabilis ſententia inde elici poteſt? Certè rem teneo; mendum illic inſedit, ac turpis macula germanam ſcripturam dehoneſtauit, ea porrò penitus eluetur, locusque ſuo nitori reſtituetur, ſi legamus pollučtis minimo veteris ſcripturæ detrimento: eſt.n. pollučtum cæna opipara, cuiuſmodi in ſacris adhiberi conſueuit, à verbo polluceo, quod eſt Herculi ſacrificium facere: hoc.n. dicit Arnobius: Propterea quod Atys per temulentiam ſe ab Acdeſti amari faſſus eſt, ſolemnę eſt in eius ſacrificijs, atque

ad iicia

adijcialibus cænis, quę in ſanctuario, & penitiore templi parte celebrantur, vinum non inferre, nimirum in ipſius odium, quòd arcanũ prodiderit de Acdeſti. Ac ſanè fuit hæc non leuis cauſſa, quamobrẽ à certis quibuſdam rebus inferendis, dum ſacra alicui Deo fierent; atq; animalibus ipſis ſacrificandis abſtinerẽt veteres, quod & in ſacris Fatuæ. i. bonæ deæ, factum eſt, in quibus, quòd ea mirteis virgis cæſa fuerit, cùm ſeriam vino plenam marito inſciente ebibiſſe cõperta eſſet, vini amphora conſtituebatur obtecta: nec myrteas fas fuit inferre verbenas: ſicut ſuis ſcribit in cauſalibus Butas, & refert hic noſter aduerſus Gentes lib. 5. Sic etiam in Corybantijs apium menſis apponi vetitum eſt ob cauſſam, quam idem Arnobius eodem libro commemorat: Commodùm ſuis typis repreſentare ceperant operæ librariæ hoc noſtrum adnotamentum, cùm ſuperueniens Benedictus Titius pater meus, admonuit me, de loci huius reſtitutione ita quoque iudicaſſe eruditiſsimũ virum Fuluium Vrſinum, ipſumque ad oram librorum, qui Romæ nuper exierunt, hanc rem teſtatum fuiſſe: cùm mihi autem non eſſet integrum hoc caput delere; volui certè, quod proximum videbatur, id lectori indicare, nequis plagij me inſimularet.

Loci cuiuſdam C. Cæſaris verus ſenſus contra Franciſci Hotomani caſtigationem demonſtratus. Cap. XII.

CÆSAR De bello Gallico lib. 4. exponens conſilium Procerum Britanniæ, qui, cùm equites, & naues, & frumentum Romanis deeſſe intelligerent, & paucitatem militum ex caſtrorum exiguitate cognoſcerent, de bello inſtaurando inter ſe colloqui ceperant, ita inquit. „ Optimum factu eſſe duxerunt, rebellione facta, frumento, „ commeatuq; noſtros prohibere, & rem in hyemem producere: Quòd „ his ſuperatis, aut reditu interclusis, neminem poſtea belli inferen- „ di cauſſa in Britanniam tranſiturum confidebant: Hunc locum Franciſcus Hotomanus in ſuis ad illum auctorem notis adeò non intellexit, vt neceſſe habuerit ad notum illud ignorantiæ perfugium decurrere, quò nunc plerique omnes ſe recipere conſueuerunt; itaq; pro reditu legendum eſſe admonuit aditu magno, pudendoque errore, nam cauſſa huius mutationis, quam ipſe prætexit, non eſt tanti: ac Cæſar quidem, quod vult, planiſsimis verbis, nullaque parte implicitis exponit; dicit. n. Principes Britannię, cùm ſibi occaſionem de improuiſo rei benè gerendæ, ac Cæſaris exercitus inuadendi oblatam eſſe intelligerent, eam ſibi è manibus elabi non permiſiſſe: addit autem commodum, quod ex eo facto ſperabant, confidebant. n. fore

(inquit) vt his primo impetu ſuperatis, id eſt, ijs militibus, qui in inſulam iam expoſiti erant, occiſis, aut ſaltem reditu in Galliam interclusis, nemo poſtea belli inferendi cauſſa in Britanniam tranſiret: Loquitur igitur Cæſar de eo exercitu, qui iam expoſitus erat, non de eo, qui nauibus vehebatur.

Terentii locus Græci ſcriptoris collatione illuſtratus. *Cap.* XIII.

VITIVM, quod in meretricibus notauit Terentius, cùm de ipſis loquens Eunucho ait.

Quę, cum amatore cùm cęnant ligurinnt.
Harum videre illuuiem, ſordes, inopiam,
Quàm inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque auidæ cibi,
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent.

Notatur etiam à Chremete epiſtola quadam, quam ipſum Parmenoni ſcribere fingit Ælianus inter multas alias varij argumenti epiſtolas agreſtes, vnde paucula hæc verba decerpſi, vt eorum appoſitione, velut aliquo gloſſemate, Terentij locus magis adhuc planus fieret, eiuſque ſententia hoc pacto nonnihil, atque adeò multùm conſtitueretur, poſteaquam Græcorum ſcriptorum teſtimonium tantam apud omnes ferè auctoritatem ſibi vendicauit, vt nulla prorſus ratione conuelli, ac tentari poſſe videatur, quod eorum calculo comprobatum reperitur: Cùm igitur Chremes illic aliquot ipſarum vitia commemoraſſet, demum ſubdit. „ εἶτα μυςιλῶνται πάλιν. καὶ λάθρα μὲν „ ἀλοῶσι πάντα καὶ καταπίνουσιν ὑπὲρ τοὺς ἐργαςῆρας τοὺς ἐν ἀγρῷ: πα- „ ρόντων δὲ ἡμῶν ὡραΐζονται. quod eſt. Dein rurſũ ex cauato pane ſorbent: ac clàm quidem comminuunt omnia, & degluciunt auidius, quàm operæ rus colentes: præſentibus autem nobis delicatulæ ſunt, & comuntur: Sordidiſsimè autem victitare illos, qui pridianas iſtius modi epulas abliguriunt, docuit etiam Iuuen. Syr. 14. ibi.

Seruorum ventres modio caſtigat iniquo
Ipſe quoque exuriens. neque.n.omnia ſuſtinet vſquam
Mucida cærulei panis confundere fruſta,
Heſternum ſolitus medio ſeruare minutal
Septembri. necnon differre in tempora cęnæ
Alterius conchem æſtiui cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio, putrique Siluro,
Filaque ſectiui numerata includere porri

Eupho-

Euphorionis ſententia in diſquiſitionem vocata ſuper capitis diminutione. Cap. XLIII.

MORVM Romanorum ignoratione factum eſſe arbitror, vt ſcripſerit Euphorion Chalcidicus (quemadmodum refert Athenęus δειπνοσοφισ. lib.4.) apud Romanos minas quinq; ijs exponi conſueuiſſe, qui pati voluiſſent caput ſibi ſecuri amputari, vt eorum hæredes hoc pręmium conſequerentur: Hęc Athenęi ſunt verba, ſi quis Græcis fortè magis delectatur. Εὐφορίων ὁ Χαλκιδεὺς ἐν ἱστορικοῖς
„ ὑπομνήμασιν οὕτω γράφει, παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε
„ μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε
„ τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸ ἆθλον, καὶ πολλάκις ἀπογραφομένους πλείους
„ δικαιολογεῖσθαι καθὸ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος αὐτῶν ἀποτυμπανισθῆναι. quę ſic Latinè reddita ſunt. Euphorion Chalcidius in hiſtoricis cōmentarijs ita ſcriptū reliquit. Apud Romanos minę quinq; ijs exponuntur, qui pati voluerint, vt caput ſibi ſecuri amputetur, vt corū hæredes hoc præmiū conſequantur, ſæpiuſq; multi, qui nomen dederunt, diſceptant, vti quiſq; dignißimus eſt, qui ad ſuppliciū trahatur. Dixi autem ignoratione illius gentis morū factum mihi videri, vt hęc de Romanis tradiderit Græcus auctor, quoniam, præterquā quòd nihil tale apud quemquam ſcriptum me legere memini, haud omninò fit veriſimile, Romanos, gentem quidem illam, ſi quæ alia, ſuauißimis, humanißimiſque moribus præditam, & ab omni feritate, ac barbarie prorſus alienā tantum ſcelus patrare, atq; huiuſmodi impietatem in corpore libero admittere in animum induxiſſe, præſertim cùm nulla inde commoditas in Rempublicam redundaret: Suſpicor igitur Euphorionem, vt pote Gręcum, deceptum fuiſſe Latino ſermone, quo maiores viginti annis ad precium participandū ſe venundari conſentientes, capite diminui dicebantur; Siquidem oportet ſcire, in more poſitum fuiſſe apud Romanos, vt ei, qui vigeſimum ætatis ſuę annum atigiſſet, liceret ſe alteri vendere, vt inde precij partem auferret, & qui ita venibant, dicebantur maximam capitis diminutionem pati, quæ maxima capitis diminutio nihil aliud erat, quàm prioris ſtatus commutatio, videlicet cum quis ſimul & ciuitatem, & libertatē amittebat, quemadmodum vtrumque diſertè docet Iuſtinianus Imperator Inſt. de Iure perſon. & de capit. diminut. Euphorion autem per capitis diminutionem accepiſſe videtur ipſius capitis amputationem Latini ſermonis falſa, ac parùm ſibi nota ſignificatione ductus. vnde factum eſt vt illud de Romanis affirmauerit, quod ab eius gentis humanitate longißimè omnium ſemper abfuit: Hæc ita ipſe cogitabam ad huiuſmodi calumniam, contumeliamque à Romanorum

ingenijs depellendam, quibus ſi qui probabiliora inuenerint, eis ego me plurimum debere ingenuè confitebor.

Horatij locus obſcurus, ac difficilis explicatus. *Cap. XV.*

IN re dubia coniecturis vti fortaſſe licet, certè licere æquiſsimum eſt, & hanc veniam libenter damus, petimusque viciſsim: porrò ſi quiſquam dubius, & controuerſus locus reperitur apud vllum ſcriptorem, eum ego eſſe animaduerti, qui legitur in Horatij Oda quapiam ibi.

Interim dùm tu celeres ſagittas
Promis, hęc dentes acuit timendos:
Arbiter pugnę poſuiſſe nudo
Sub pede palmam fertur.

De quorum verſuũ intellectu quid ſenſerint vetres interpretes, itemque recentiores Figulus, Iunius, Lambinus, Brutus, neque non item Luiſinus in ſuis πάρεργων libris; atque alij non pauci, apud ipſos videre licet: nam ego breuitatis cauſſa eorum ſententias non percenſebo: ſed quid mei ſit conſilij, breuiter teſtatum faciam: ſpero.n. multum ſplendoris, vt in re obſcura, me eſſe allaturum ad verum, germanumque ſenſum illorum verborum perſpiciendum, quòd ſi voto exitus non reſponderit (neque.n. certi quicquam mihi auſim polliceri) peto ab eruditis, vt conatum ſaltim æqui, bonique conſulant. Difficultates proponit Horatius Pyrrho amico ſuo, quas ipſum ſubire, ac perpeti neceſſe ſit, ſi Nearchi formoſi pueri delicijs frui velit, inquit.n. certamen ei fóre cum puella Nearchum depereunte, quæ, velut Leęna pro catulis, ita pro puero illo ſit pugnatura, vt vtrinque ingens certamen exoriatur, ac interim, dum alter ſagittas expedit, altera dentes acuit; ſeque ad pugnam vterque componit, fertur Nearchus prælium fuga arrepta diremiſſe, atque hoc pacto victoriam aliquo modo illi adiudicaſſe, qui prior ipſum aſſequeretur, & in curſu alium anteuerteret, hoc.n. eſt (ni fallor) quod dicitur, ponere palmam ſub nudo pede, id eſt, in pedum celeritate victoriam collocare: Sic autem interdum loqui bonos actores notiſsimum eſt, vt cùm dicunt hiſtorici, victoriam in ferro, in manibus ferre, & in celeritate, atque audacia alicuius rei ſummam ſtatuere. Salluſtius in Catilinæ „ Oratione ad Milites. Quapropter vos moneo, vti forti, atque para„ to animo ſitis, & cùm prælium inibitis, memineritis vos diuitias, de„ cus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris veſtris portare. & Darius iterum cum Alexandro dimicaturus ita militem „ hortatur apud Q. Curt. In dextris veſtris iã libertatẽ, opem, ſpem futuri

turi temporis geritis". Huius generis eſt Virgilianum illud.

an tibi Mauors
Ventoſa in lingua, pedibusque fugacibus iſtis
Semper erit? necnon Plautinum illud ex Pænulo.
Iſtbic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus.

Neque diuerſum eſt, quod ſcribit Heraclitus epiſtola ad Hermodorum de Epheſijs, inquit.n.ipſos τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώτταις ἔχιν .i. vniuerſam armaturam ſuam in lingua habere: Puto autem huic Flacci ſententiæ aliquo pacto finitimum eſſe illud Gnathenæ dictum, quod
" refert Athenæus lib. 13. his verbis. νεανίσκων τινῶν παρὰ πότον
" ὑπὲρ αὐτῆς τυπτόντων ἑαυτοὺς, ἔφη πρὸς τὸν ἡττώμενον, θάῤῥει παι-
" δίον. οὐ γὰρ στεφανίτης ὁ ἀγὼν ἐστὶν ἀλλ᾽ ἀργυρίτης .i. Cùm iuuenes quidam ſe illius (Gnathenæ) cauſſa inter potum percuterent, inquit ad victum, confide puer, non.n. coronarium eſt certamen, ſed argenteũ. At cur nudũ pedem appellauit Horatius? quia qui ſe curſui aptabant calceos deponere conſueuerant, vt expeditiores eſſent: veluti apud Plautum obſeruatum eſt: indicat etiam Muſonius libro
" de Veſtimento citante Stobæo. ἀνυποδησία πολλὴν ἀλυπίαν τινὰ καὶ
" εὐκολίαν παρέχει τοῖς ποσὶν, ὅταν ἠσκημένοι ὦσιν. ὅθεν καὶ τοὺς ἡμερο-
" δρόμους ὁρᾶν ἐστὶν, οὐ χρωμένου ὑποδήμασιν ἐν ταῖς ὁδοῖς. καὶ τῶν ἀθλούν-
" των τοὺς δρομεῖς, οὐκ ἂν δυναμένους σώζειν τὸ τάχος εἰ δέοι τρέχειν αὐ-
τοὺς ἐν ὑποδήμασιν. hoc eſt. Immunitas calceorum, multùm facilitatis, & agilitatis præbet pedibus, ſi exercitati fuerint. Vnde tabellarios videre eſt non vti calceamentis in vijs, atque ex athletis curſores non poſſe ſeruare celeritatem, ſi opus ſit ipſos currere in calceis. Et Xenophon De Repub. Laconum. ἀντὶ τοῦ ἁπαλύνειν τοὺς
" πόδας ὑποδήμασιν ἔταξεν ἀνυποδησίᾳ κρατύνειν. νομίζων εἰ τοῦτο
" ἀσκήσαιεν, πολὺ μὲν ῥᾷον ἂν, ὄρθια γε βαίνειν, ἀσφαλέστερον δὲ πρανῆ
" καταβαίνειν, καὶ πηδῆσαι δὲ καὶ ἀναθορεῖν καὶ δραμεῖν θᾶττον ἀνυπόδητον,
" εἰ ἠσκηκὼς εἴη τοὺς πόδας, ἢ ὑποδεδεμένον. hoc eſt. Pro calciamentis pedũ nuditatem inſtituit Lycurgus, exiſtimans huiuſmodi exercitatione longè facilius & locum accliuem aſcendere quempiam poſſe, & tutius decliuem deſcendere, & ſaltare, & reſilire, & celerius diſcalciatum currere, ſi pedes exercuerit, quàm calciatum. Non me tamen fugit calceamenti genus quoddam in vſu veteres habuiſſe, quo athletæ in curſu vterentur, ἐνδρομίδες à Græcis dictum, cuius meminit Pollux extremo libro tertio: De calceamentis vnctis, quibus mulieres iter facturæ vterentur; mentio extat penes Clementem Alexandrinum in Pædagogo. Reſpexit autem Horatius ad naturam, proprietatemque rei, nam interim dum Leæna cum venatore pugnat, Catuli fuga ſibi conſulunt, & notas latebras petunt, vt ſi quis velit eos auferre

ferre

ferre, neceſſe habeat citatiſsimo curſu contendere, eoſdemque aſſe-
qui, antequam in ſuis ſe cubilibus abdant, victoria igitur in pedum
celeritate ſita videtur: Quòd autem poëta ſubindicat Pyrrhum non
æquas partes in ea pugna relaturum, oſtendere vult impotenté puel-
læ erga Nearchum amorem, nam qui magis amant, acrius pugnant,
velut admonet Ælianus in libris de Varia hiſtoria.

Duo Aemilij Probi loci aduerſus Lambinum explicati, & quem annorum numerum ad ſummum deſignet hic ſermo, Admodum adoleſcens. Cap. XVI.

DESINAT poſthac Lambinus de mendo ſuſpicari apud Æmi-
lium Probum in Eumene: nam eum ego docebo peradoleſcen-
tem, vel admodum adoleſcentem, quod tantundem valet, dici etiam
de eo, qui, quamquam ex ephebis exceſsit, tribus tamen, & viginti
annis minor eſt. Sed Probi locum, de cuius ſinceritate Lambino ſu
ſpicio exorta eſt, operæprætium fuerit manifeſtius indicare. eſt au
„ tem propè finem ibi. Sic Eumenes annorum quinque & quadragin
„ ta, cùm ab anno vigeſimo (vt ſupra oſtendimus) ſeptem annos Phi.
„ lippo apparuiſſet, talem habuit exitum vitæ. Quod autem ſupra ſe
oſtendiſſe dicit Probus, intelligit locum illum non longè ab initio.
„ Hic peradoleſcentulus ad amicitiam acceſsit Philippi Amyntæ fi-
„ lij, breuique tempore in intimam peruenit familiaritatem. Hic
Lambinus non conuenire inuicem hos duos locos arbitratur, quo-
niam (inquit) qui natus eſt annos viginti; non eſt peradoleſcentu-
lus: At ego falſa docere Lambinum oſtendo grauiſsimo T. Liuij te
„ ſtimonio, apud quem ita ſcriptum reperio. Omnium conſenſu ad
„ P. Scipionem admodum adoleſcentem, & ad App. Claudium ſum-
„ ma imperij delata fuit: Hìc P. Scipio admodum adoleſcens nuncupa
tur, & tamen conſtat quatuor & viginti annos tunc eum natum fuiſ-
ſe: inquit.n. Appianus in Hiſpanica de Scipione loquens νέος ὢν κο-
μιδῆ. τεσσάρων ϗ εἴκοσιν ἐτῶν ὤν. i. annos Iuuenis admodũ quatuor
& viginti natus erat. Sed & M. Tullius de Craſſo loquens idẽ confir-
„ mat in Bruto. Accuſauit (inquit) L. Carbonẽ eloquentiſsimũ ho-
„ minem admodũ adoleſcens. Et de Orat. primo Carbonem à Craſſo
adoleſcentulo perculſum fuiſſe ſcribit: In tertio autem Craſſum ip-
„ ſum ita de ſe loquentem inducit: Quippe qui omnium maturrimè
„ ad publicas cauſſas acceſſerim, annoſque natus vnum & viginti no-
„ biliſsimum hominem, & eloquentiſsimum in iudicium vocarim:
Neque quicquam huic rei impedimento eſt, quod Liuius, & Tacitus
aliter ſenſerint de L. Craſsi ætate, cùm Carbonem accuſauit: ſatis

enim

enim eſt eum, qui vigeſimum primum annum ageret, peradoleſcentem à M. Tullio nominari: Gellius quoque cùm dixiſſet Cornelium Nepotem in primo librorum, quos de M. Tullij vita compoſuit, ſcripſiſſe eum tres, & viginti annos natum primam cauſſam iudicij publici egiſſe, Sex. Roſcium parricidij reum defendiſſe, Nepotis er-
„ rorem excuſans inquit. Longior autem Nepotis, quàm Feneſtellæ
„ error eſt: Niſi quis vult in animum inducere, ſtudio amoris, & ami
„ citiæ adductum, amplificandæ admirationis gratia, quadriennium
„ Nepotem ſuppreſsiſſe: vt M. Cicero Orationem florentẽ dixiſſe pro
„ Roſcio admodum adoleſcens videretur. Quid quòd Val. Max. Scipionem Æmilianum, qui quatuor & triginta impleſſet annos, admodum adoleſcentem vocat? Plautus quoque, Peniculum paraſitũ plus annis triginta natum, adoleſcentem vocat in Mænechmis.

Adoleſcens quæſo, quid tibi mecum eſt rei? Rurſus eadem Scena.
Reſponde adoleſcens quæſo, quod tibi nomen eſt?
ac paulò poſt *non tibi*
Sanum eſt adoleſcens ſinciput, vt intelligo.

Sunt autem hæc Mænechmi verba ad Peniculum, qui Peniculus ita de ſe locutus fuerat Scena proxima.

Plus annis triginta natus ſum quando interea loci
Nunquam quicquam facinus feci peius: & cætera.

Sed dicet Lambinus, Æmilij Probi contextum non agnoſcere admodum adoleſcentem, ſed peradoleſcentulum: Meræ nugæ: de quibus non vacat longiorem ſermonem inceptare: quaſi verò non idem polleat vtraque loquendi ratio. Iam quòd in eiuſdem Imperatoris vita
„ neſcit ſe explicare ex illa ſalebra: Dimidium ferè ſpatium confecerat,
„ cùm ex fumo caſtrorum eius, ſuſpicio allata eſt ad Eumenem hoſtem appropinquare: Propterea quòd paulò ante dixerit Probus:
„ Ad hanc rem conſpiciendam, imperauit (Antigonus) vt quàmmi-
„ nimè fieret ignis in caſtris; Oritur ex notione vocis quàmminimè, cuius vim præciſè negandi eſſe putauit Lambinus, cùm tamen Cicero, & reliqui boni auctores aliter illam vſurpare conſueuerint, nimirum vt ſignificet, minus, quàm fieri poſsit, velut apud Horat. vt eſt in quibuſdam codicibus; *carpe diem*
Quam minimè credula poſtero.

„ Seneca de Benefic. lib. 1. Si arbitrium dandi penes nos eſt, præcipuè
„ manſura quæramus, vt quàmminimè mortale munus ſit. Ac ſanè vix fieri potuiſſet, vt nulli ignes in caſtris accenderentur, cùm frigoribus immenſis milites infeſtarentur, ſicuti Plutarchus, & Diodorus idem factum commemorantes prodiderunt. Potuit itaque Antigonus vetare quidem, quominus ignes excitarentur, ſed tamen

neceſ-

neceſsitas milites deinde adegit, vt ab Imperatoris iuſsione inuiti recederent, quod ſæpè aliàs factum eſſe docent hiſtoriæ.

Aeliani locus, qui alicui vitio affinis videri poterat, emendatus. Cap. XVII.

„ ΠΙνδαρος ὁ ποιητὴς ἀγωνιζόμενος ἐν Θήβαις, ἀμαθέσι περιπε-
„ σὼν ἀκροαταῖς ἡττήθη Κοριννης πεντάκις. ἐλέγχων δὲ τὴν
„ ἀμουσίαν αὐτῶν ὁ Πίνδαρος συνεκάλει τὴν Κόρινναν. hoc eſt. Pindarus poëta Thebis in contentione imperitis auditoribus vſus, ſuperatus eſt à Corinna quinquies. redarguens verò ruditatem ipſorum Pindarus vocauit Corinnã. Hęc ſunt verba Æliani de Var. hiſt. in quibus difficultas ineſt non parua, propterea quòd non ſatis apparet vis dicti Pindari Thebanorum imperitiam ſuggillantis, nam quid tandem eſt, quod dicitur ὁ Πίνδαρος συνεκάλει τὴν Κόρινναν? Ego puto pro Κόρινναν legendum eſſe κορώνην, vel ſaltem hanc vocem poſt illam in verborum contextu collocari debere; hoc ſenſu. Tantùm abeſt, inquit Pindarus de ſeipſo ad Thebanos loquens, vt Corinna in carminum conficiendorum artificio me ſuperet, canendique artem melius me teneat, vt, ſi mecum conferatur, perinde ſit, ac ſi quis cornicem cum cycno contendat: Notum eſt autem prouerbium Cornix cum cycno, ſeu luſcinia. Calphurnius Ecl. 6.

Aſtyle credibile eſt, vt vincat Acantida cornix.
Vocalem ſuperet ſi dirus Aëdona bubo.

Sic Lucretius aliquoties.

Paruus vt eſt cycni melior canor, ille gruum quàm
Clamor, in æthereis diſperſus nubibus Auſtri.

Hinc cornicari pro blaterare, & importunè loquí à cornicum garrulitate, vnde eſt illud ſuauiſsimi poëtæ Anacreontis.

Λαλιστέραν μ᾽ ἔθηκας hoc eſt. *Tu me loquaciorem*
Ἄνθρωπε καὶ κορώνης. *Cornice reddidiſti.*

Pindarus verò cycnus, & quidem ſuauiter canens, atque altè humo ſe extollens dictus eſt, cum certè non aliter vocat Horatius in Odis.

Multa Dircęum leuat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus.

Huius generis fuit calumnia Paſsieno declamatori ab Oſco rhetore intentata; nam pro Paſsieno Phyſsienum, vel Paſchenum (diuinandum eſt enim) audiuit: eius meminit Seneca in Controuerſijs, ſed adeò obſcuris verbis, vt non niſi coniectura, atque ea quidem leui, parùmque firma, conuitij aculeum aſſequi liceat: doctorum tamen

auctó-

auctoritate perſuaſum eſt, vel à φύσσα, quod follem ſignificat, & σῖνος id eſt mentula, vt ſit mentulatus follis, nomen illud eſſe deductum, vel etiam, ſi Paſchænum appellatum fuiſſe malumus, παρὰ τὸ πάσχειν αἰνά, videlicet quòd infanda pateretur: Sic Labienus ob immodicam linguæ libertatem Rabienum vulgò nominatum memorãt. Zeno quoque Chryſippum philoſophum numquam, niſi Cheſippum vocabat, quemadmodum eundem Chrypſippum appellare ſolitus eſt Carneades, veluti M. Cicero ſcriptum reliquit.

Vetus lectio in Moreto Virgiliano, quam Ioſephus Scaliger tentauerat, aſſerta. Cap. XVIII.

SIMVLVS ille Virgilianus pro exemplo proponi poteſt humanæ induſtriæ, cuius ope, atque auxilio exiguus illius hortus tàm multa ferebat, vt copiæ cornu videri poſſet, olus, betam, rumicem, maluam, inulam, præter hæc illic non deerat

Et cicer, & capiti nomen debentia cæpe.

Eſt autem hic verſus Maronis ex eo poëmatio, cui ab intrito quodã, Moreti nomen inditum eſt: ſuper eo verſu Ioſephus Scaliger ita com-
„ mentatur. Scio rectè dici cæpe capitatum: ſed tamen quodnam cæ-
„ pe eſt, quod non capitatum dici poſsit? fruſtra ergò inter ſpécies cæ-
„ pę capitatum poſueris, quùm omne cæpe ſit capitatum. Sed benè
„ habet ſcripta lectio. *& nomen capiti debentia porra.*
„ Nam πράσιον κεφαλωτὸν porri ſpeciem eſſe quis ignorat? Hęc ille.
Vides quomodo ſemper aliquid noui moliatur homo iſte, neque vſquam occaſionem εὐστοχίας ſuæ experiendæ non captet: Ego non video quid cauſſæ ſit, cur vetere ſcriptura reiecta nouam ſequamur, quam tamen non damno, ſi modò verum ſit manuſcriptos codices ipſam præſeferre, queadmodum affirmat Scaliger, cui vt hac in parte gratificer, libenter patior veteris iſtius exemplaris auctoritatem mihi obtrudi: Sëd, vt nihil mutandum cenſeam, Plinij verba faciùnt, quibus appoſitis & mea ſententia abundè conſtituetur, & Scaligeri ratio falſa omninò eſſe demonſtrabitur: Plinius itaque lib. 19. de cæpis loquens, præter cætera, inquit. Apud nos (dixerat autem ſupra cæpæ genera apud Græcos Sardia, Samothracia, Alſidena, Setania, Schiſta, Aſcalonia ab oppido Iudeæ nominata, itaque ſubdit)
„ Apud nos duo prima genera. vnũ condimentariæ, quã illi gethyon,
„ noſtri pallacanã vocant. Seritur menſibus Martio, Aprili, Maio. Alte
„ rũ capitatę, q̃ ab ęquinoctio Autũni, vel à Fauonio. Hinc iã conſtare
poteſt Scaligero, quamquã omne cępe capitatũ ſit, rectè tñ inter ſpecies cæpę capitatũ poni, quæ res eius omnem rationẽ prorſus euertit.

Vellei Paterculi contextus aliter, quàm fecerit Aldus Manutius caſtigatus. *Cap. XIX.*

„ NVSQVAM erat Pompeius corpore, adhuc vbique Iubæ nomine, quippe ingens partium eius fauor bellum excitarat Africum: Hæc verba ita, vt propoſui, extant in omnibus editis exemplaribus Vellei Paterculi, quæ quoniam manifeſtò corrupta ſunt, ac deprauata, ea de opinione reſtituere conatus eſt Aldus Manutius in ſuis ad illum auctorem notis, itaque coniecturam facit pro Iubæ, vel viuens, vel vigens reponi debere, quam eius emendationem tantiſper recepi, ac ſecutus ſum, donec aptiorem, & deprauatę ſcripturæ propiorem viſus mihi ſum excogitaſſe, ad quam inueſtigandam magis adhuc me incitauit, & cohortatus eſt ipſe idem Manutius, dum ingenuè fatẽ aliquid aptius ſua coniectura ĩpueniri poſſe: videant igiẽ ſtudioſi, qui de huiuſmodi literarum genere pronunciare poſſunt, num pro Iubæ præſtet legere ibat minore veteris ſcripturæ detrimento, ac valdè perſpicua ſententia, nimirùm hac. Iam Pompeius iugulatus erat, cùm tamen eius nomen, ac fama per vniuerſam Africam adhuc ferretur, itaque ipſo iam extincto, ingens nihilominus bellum in Africa excitabatur, quod ciebat rex Iuba, & quę illic ſequuntur. Dicimus autem Latinè ire nomen alicuius. Virgilius Æneid. I.

ſi veſtras fortè per aures
Troiæ nomen iit.

Aemilij Probi ratio quæpiam notata. *Cap. XX.*

CVM oſtendere vellet Æmilius Probus ab eius, qui ſummorum Imperatorum vitas deſcribit, officio non eſſe alienum, exiguas interdum actiones, minimaſque recenſere, hanc affert cauſſam in proœmio vitarum: ſed præſtat integrum locum appingere, vt res commodius, atque exactius intelligatur. „ Non dubito fore pleroſque, Attice, qui hoc genus ſcripturæ leue, & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis iudicent, cùm relatum legent, quis muſicam docuerit Epaminondam: aut in eius virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commodè, ſcienterque tibijs cantaſſe. Sed hi erunt ferè, qui expertes literarum Græcarum, nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conueniat, putabunt. Qui ſi didicerint non eadem omnibus eſſe honeſta, atque turpia, ſed omnia maiorum inſtituto iudicari, non admirabuntur nos in Graiorum virtutibus exponẽdis, mores eorum ſecutos: et reliqua. Mihi diligenter hanc rationem excutienti, parùm, quod cupit, probare videtur Æmilius: Etenim haud ſtatim ſequi-

ſequitur, vt quod alicubi eius gentis more, atque inſtituto fieri conſueuit, ſummum virum, & grauem deceat; Pſallere, exempli gratia, & choreas ducere Athenis, & Romæ turpe non fuit, id.n. apud illos populos in more poſitum erat: ſi quis tamen inſignis vir, & in Rep. adminiſtranda occupatus eòuſque grauitatem exueret, vt ſuæ perſonæ oblitus ad hæc leuia animi laxamenta ſe demitteret; hunc ſanè patriæ conſuetudo culpa non liberaſſet: Sed vt ita ſit, ſcriptor tamen, qui alicuius vitam pertexere ſibi propoſuit, non videtur debere curioſè adeò minuta quæque colligere, vt, cùm plura inſignia extent facinora, quæ de illo præclaro viro magna cum laude narrari poſſint, curet ſingillatim commemorare, quis muſicam docuerit Epaminondam, huiuſque generis alia: Fieri itaque poteſt, vt aliquid moribus inualuerit, quod tamen propterea haud paſſim deceat, aut ſaltem hiſtoriarum ſcriptorem ſuo operi attexere non conueniat. Quid ergo? minus ne rectè fecit Probus, qui iſtiuſmodi de Epaminonda commemoret? Non dixerim, ſed parùm firmam rectè facti rationem ipſum attuliſſe facilè crediderim: Certa autem, ac ſolida petenda eſt à Plutarcho in vita Alexandri: illic .n. ſentiens idem ſibi objici poſſe Græcus auctor, quod vidit Æmilius, factum ſuum excuſat dicens
,, οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας,
,, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις, καὶ ῥῆμα, καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤ-
,, θους ἐποίησεν μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται
,, καὶ πολιορκίαι πόλεων. ὥσπερ οὖν οἱ ζωγράφοι τὰς ὁμοιότητας ἀπὸ
,, τοῦ προσώπου, καὶ τῶν περὶ τὴν ὄψιν εἰδῶν, οἷς ἐμφαίνεται τὸ ἦθος, ἀνα-
,, λαμβάνουσιν, ἐλάχιστα τῶν λοιπῶν μερῶν φροντίζοντες. οὕτως ἡμῖν
,, δοτέον εἰς τὰ τῆς ψυχῆς σημεῖα μᾶλλον ἐνδύεσθαι, καὶ διὰ τούτων
,, εἰδοποιεῖν τὸν ἑκάστου βίον, ἐάσαντας ἑτέροις τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶ-
νας. hoc eſt. Non vſquequaque clariſſimæ res geſtæ virtutes, vel vitia declarant, ſed exiguum perſæpè factum, ac dictum, iocuſque quiſpiam magis documentum præbet morum, quàm funeſtiſſima prælia, ingens acies, & oppida expugnata. quemadmodum igitur pictores ex vultu, & lineamentis faciei, vnde mores elucent, imaginem deſumunt neglectis cæteris partibus, ita concedendum nobis eſt, vt in animorum indicia potius penetremus, ac per hæc vitæ cuiuſque veluti delineamenta deſcribamus, alijs molem rerum, & certamina relinquentes. Probus tamen initio Epaminondæ idem, quod Plutarchus, vidiſſe exiſtimari poteſt ibi. Cùm autem exprimere ima-
,, ginem conſuetudinis, atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil vide-
,, mur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam.

De auctore necis Adonidis variæ ſententiæ allatæ. *Cap. XXI.*

VARIE proditus eſt à ſcriptoribus auctor necis Adonidis, nec in eo nominando ipſi ſibi conſentiunt, nam quidam in Martem, nonnulli in Dianam eius mortis culpam cõferunt, quod à Victorio, ac Mureto multò ante obſeruatũ ſcimus: Quoniam verò vnam quampiam Græci ſcriptoris ſuper ea re ſententiam ab ipſis præteritam fuiſſe animaduerti, libitum mihi eſt eam adnotare, & vnà cum alijs hîc ſpectandam proponere. Lycophron in Caſſandra videtur Muſas ei culpæ affines facere, cùm ait.

Καὶ τὸν θεᾶ κλαυσθέντα Γαύαντος τάφον
Σχοινίδι μυσόφθαρτον ἀρέντα, ξένῃ,
Κραντῆρι λευκῷ τόν ποτ᾽ ἔκτανε πτέλας.

Hoc eſt. Et Gauantis ſepulchrum à Muſis perditi, Schœnidi deflectum deæ Arentæ hoſpitæ, Quem dente quondam albo aper occidit: Nam per Gauantem Adonidem ipſum intelligit obſcuro ſanè, ac recondito vocabulo; cuiuſmodi in eo poëmate perpetuò Caſſandræ tribuit Lycophron, quò circa ſummo iure τὸ σκοτεινὸν illud ipſum poëma appellarunt veteres, vnde etiam factum arbitror, vt hæc ſententia parùm cognita hactenus fuerit, & Victorij, Muretique notitiam effugerit: Iam verò quod ab eiſdem eruditis viris quæritur, quẽ vicisſim magnopere charum Veneri, Diana interfecerit, ſicut facilè crediderim Adonim fuiſſe, ita volo conſiderent ſtudioſi, nunquid de Actæone Euripides intellexerit in Hyppolyto, Actæon ſiquidem, qui à proprijs canibus diſcerptus fingitur, à Venere ducit ortum per Hermionem, & Autonoem, vt hinc ipſum iam valdè charum Veneri fuiſſe liceat ſuſpicari; hunc Dianæ iracundia à canibus laniatum fuiſſe notius eſt, quàm vt pluribus monſtrari debeat; ac Ouidius ſanè Metam. 3. de ipſo narrationem hoc pacto abſoluit.

Nec niſi finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.

Suetonij locus, quem alicui vitio obnoxium eſſe putauit Achilles Statius, nihil mendi continere demonſtratus.
Cap. *XXII.*

SVETONIVS Tranquillus in libello De Illuſtribus Grammaticis, cùm de Q. Rhemnio Palæmone loquitur, præter cætera, inquit. Sed maximè flagrabat libidinibus in mulieres, vſque ad infamiam oris. Hunc locum Achilles Statius, quòd corruptum eſſe arbitraretur, ſibi emendare viſus eſt, ſi legeret ad infamiam orationis

nis, propterea quòd ſic etiam alicubi Cicero infamiā orationis acceperit: Non libet in præſentia quærere quomodo Cicero illic orationis infamiam vſurpauerit, neque.n. valdè opus eſt ad rem, quā paro: tantùm dico Suetonij verba, quæ initio à me propoſita ſunt, quæq; in omnibus impreſsis codicibus nullo prorſus diſcrimine eo, pacto notata circumferuntur, auctoris ſui mentem commodiſsimè repreſentare, vt nihil opus ſit officioſa illa Statij diligentia, ſignificat.n. Suetonius illis verbis turpe quoddam, ac flagitioſum libidinis genus, quod ore muliebri pudendo admoto olim perpetrari conſueuit, à quo infami exercitio cunnilingi nomen deriuatum eſt, quorum fœdiſsimorum hominum ſæpè meminit Martialis, veluti epigrammate In Philenim lib. 7.

Non fellat, putat hoc parum virile,
Sed planè medias vorat puellas.
Dii mentem tibi dent tuam Philæni,
Cunnum lingere, quę putas virile.

Deſiderii Eraſmi ſententia quæpiam aduerſus Franciſcum Luiſinum defenſa. Cap. XXIII.

LIBET nunc Deſiderium Eraſmum, hominem illum quidem Chriſtianæ religioni parùm addictum, & ſanctiori doctrina leuiter omninò imbutum; ſed de mitioribus diſciplinis optimè meritū à Franciſci Luiſini calumnia vindicare, certè, vt hoc efficiam, quàm magis enixè potero, operam dabo: Namque de ipſius eruditione ita ſemper iudicaui; rem plenam periculi eſſe, & quæ proinde magna cautione tractari debeat, ab eius viri ſententia, quà pertinet ad hæc mitiora ſtudia, recedere: quod nunc vno propoſito exemplo, volo patefacere. & meum iudicium hoc pacto nonnihil conſtituere. Eraſmus in prouerbio Ἰλίας κακῶν ſcriptum reliquit ex doctorum quorundam ſententia Homeri Iliadem Tragicis poëtis fabularum argumenta ſuppeditaſſe, Odyſſeam verò Comicis; Hoc Luiſinus contra Ariſtotelis iudicium pronunciatum eſſe clamat, cùm philoſophus ille περὶ τῆς ποιητικῆς diſertè prodat Margitem ſic ſe habere ad Comœdias, quemadmodum Ilias, atq; Odyſſea ad Tragœdias, eius.n. nerba ſunt hæc ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει, ὥσπερ Ἰλιὰς, καὶ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας. hoc eſt. Margites enim ſimilem rationem habet; quemadmodum etenim Ilias, & Odyſſeas ſe habent ad Tragœdias, ſic iſte ad Comœdias. Itaque Aeſchylus Tragœdias ſuas magnarum cœnarum Homeri fruſta eſſe dicebat: Sed, vt Eraſmo pro virili ſuccurram, conſiderare oportet

tet Ariſtotelem illic Odyſſeam, & Iliadem cum Margite contendere, ac tunc quidem nemini dubium eſt, neque Eraſmus ipſe negaret, quin ex duobus illis prioribus Homeri poëmatis Tragędiarum ex altero, nempe ex Margite, Comœdiarum argumenta, fuerint ſumpta. Eraſmus verò Iliadem cum Odyſſea committit nulla Margitis habita ratione, atque tunc verè dicemus ſic ſe habere Iliadem ad Tragędias, quemadmodum Odyſſea ad Comœdias, plura.n.bella, varijque periculorum caſus, qui Tragœdijs conuenire poſſunt, in Iliade continentur, cùm in Odyſſea omnis ocioſorum vita ſuis coloribus graphicè deſcribatur; ac neſcio an aliquo pacto pertineat ad hanc rem, q̃ ſcripta ſunt ab Ariſtotele περὶ ποιητικῆς vbi dicit Odyſſeam partim ex præſtantibus perſonis, partim ex humilibus conſtare. Atque hac (ni fallor) ratione tuendus eſt Eraſmus à Luiſini aſſultu: Mitto iam dicere, quòd non ex ſuo ſenſu huiuſmodi iudicium de illis poëmatis Eraſmus fecit, ſed ex doctorum quorundam conſilio (vt ipſemet illic diſertè teſtatur) illam ſententiam protulit: Ac Donatum quidem Terentij interpretem non aliter hac de re ſenſiſſe conſtat.

De M. Tullii quodam loco aduerſus Petri Victorii ſententiam diſputatum. *Cap. XXIIII.*

EGo verò (inquit Craſſus apud M. Tullium in extremo tertio „ de Orat.) ac doleo quidem illos viros in eam fraudem in Rep. eſ„ ſe delapſos: quamquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ra„ tio viuendi; ac poſteritati oſtenditur, vt eorum ciuium, quos noſtri „ patres non tulerunt, iam ſimiles haberi cupiamus. In his M. Tullij verbis acutus vir Petrus Victorius mendum vidit, quod ego, vtpote hebetioris aciei, perſpicere nondum potui. ille .n. ex abundanti à ſcriptore librario additam fuiſſe vocem incitatur exiſtimauit, itaque tanquam ſuperuacaneam, & Craſsi verborum ſenſui officientem induci iubet; cui ſi parùm audientem me præbuero, nolim videri arrogans, & refractarius, nam probabilem ſanè cauſſam habeo, cur ei non obtemperem, Primùm iudico non omninò malo ſenſu vocem illam retineri poſſe, deinde minori prorſus mutatione vitium corrigetur, ſi ex incitatur fiet excitatur, aut etiam inceptatur quomodo fe„ rè loquitur idem M. Tull. lib. 5. de Finibus. Omne animal, ſimul at„ que ortum eſt, ceptat ea, quæ naturæ apta ſentit, appetere, & propulſare contraria: Sed quod hìc ego non perſpexi, in principio illius complexionis deprehendi, Ego verò, ac doleo quidem, Nam copulatio verbo addita manifeſtò anteceſsiſſe indicat verbum aliquod, quod copulationi locum faciat, vt exiſtimem ſcripſiſſe Ciceronem,

Et

„ Et verò, inquit Craſſus, ac doleo quidem: Hoc.n.pacto repetitur quod ſtatim dixerat Catulus, & ſæpè ſum admiratus hominis cùm diligentiam, tùm etiam doctrinam, & ſcientiam, infert deinde Craſſus, & verò admiratus es, quaſi dicat ipſe quoque admiratus ſum, vel admiror, atque ita quidem, vt doleam illos viros in eam fraudem in Rep. eſſe delapſos; & quæ ſequuntur.

Puſilla quędam macula ex A. Gellio deleta. *Cap. XXV.*

GELLIVS lib. 2. apologum quendam de caſsita ab Æſopo fabulatore olim confictum narrans præter cætera, hjs verbis vti- „ tur: Ea caſsita in ſementes fortè conceſſerat tempeſtiuiores: Hic macula inſedit adeò leuis, vt legentium oculos penè effugiat, & quam quam de me nihil inſolentius iactare ſoleam, auſim tamen conſtanter affirmare vitium à me tùm viſum eſſe, tùm ad illud perſanandum medicamentum afferri poſſe, quod an verum ſit, harum rerum ſtudioſi iudicabunt: Vox conceſſerat non eſt propria illius loci, ſicut norunt ij, qui orationis caſtitati ſtuduerunt, magis illìc quadrabit verbum congeſſerat, quod leui mutatione ex illo altero conflari poteſt, ac ſanè adeò facilis fuit tranſitus ex vno in alterum elementum, vt abſurdum videri non debeat, ſcriptorem librarium alterum pro altero nobis repreſentaſſe: Lego igitur congeſſerat, quod verbum ad id ſignificandum, quod tunc Gellius exprimere in animo habebat, valdè appoſitum eſt, valet enim nidificare, ſicut exponit Seruius ad illud Virgilij ex Palæmone. *namque notaui*

Ipſe locum, aërię quò congeſſere palumbes,

Neque aliter Græci vſurpare quandoque conſueuerunt verbum συμφορεῖν, vnde συμφορυμένυς ὄρνιθας vocant, cùm nidos conſtruunt.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER SEXTVS.

Conatus reſtituendi Plinij locum, qui perperam conceptus videtur in impreſſis codicibus. *Cap. I.*

PLINIVS, cùm de cupreſſo agit libro Natur. hiſtor. 16. poſt multa ſuper natura illius arboris verba conſumpta ſubdit. Thraitur etiam in picturas opere hiſtoriali, venatus, claſſeſue, & imagines rerum tenui folio, breuique, & virenti ſuperueſtiens. Hanc ſcripturam cur non probem, facit Horatius, cuius hæc ſunt verba epiſtola ad Piſones.

& fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc, ſi fractis enatat expes
Nauibus, ære dato qui pingitur?

Ex quibus quidem verbis apertè colligitur nihil omninò commune habere cupreſſum cum re pelagia, aut cùm naufragio, vt meritò locum fecerit vulgato prouerbio pictor ille, qui mercede conductus ad naufragium coloribus effingendum, iuxta nauem fractam cupreſſum expreſsit, quod ſententiæ, quam Plinij verba nuper à me allata conſtituunt, aduerſis, quod aiunt, frontibus pugnat, itaque hac de cauſſa in eam opinionem tandem deſcendi, vt exiſtimarem Plinij locum mendo non vacare, ac, ſi quicquam coniectura valeo, prorſus emendari debere puſillo à veteri ſcriptura interſtitio, hoc pacto, venatus, caſſeſue, .i. laqueos venatorios, qui, vt feras lateant, ceſpitibus, ac frondibus operiri ſolent, eſt.n. hoc venatoribus in primis diligenter cauendum, ne ipſorum fraus in feris captandis detegatur, itaq; Gratius de Venatione præcipit pedicas non debere fieri è lino candido, nimirum quoniam is color

Oſtendit longè fraudem, atque exterritat hoſtem.

Ac, niſi audax nimis facinus exiſtimetur, totam illam complexionem hunc in modum caſtigarim, Venatus, caſſeſue, & indagines retium tenui folio, & reliqua: Sed piaculum admittere ſum veritus, ſi præter alicuius vetuſtioris exemplaris auctoritatem, cuius quidem ope nunc me prorſus deſtitutum ſentio, tàm multa verba in Plinianis codi-

codicibus tàm inſigniter demutarem, itaque quid ipſe probabiliter ſentirem oſtendiſſe ſat habens, liberum de vniuerſa hac re iudicium ſtudioſis relinquere volui.

Diſputatur de ſententia quadam Petri Victorij. Cap. II.

DILIGENTER à me quæſitum eſt, vnde nam acceperit Petrus Victorius id, quod ſcriptum reliquit de Alexandro, nimirùm ipſum φιλόμηρον vocatum fuiſſe ob mirificum amorem, quo poëtam Homerum rex ille proſequebatur: non potui tamen id, quod quærebam, apud quemquam veterem ſcriptorem hactenus reperire, niſi quòd Athenæum voluens in locum quendam incidi, vbi hoc ipſum cómemorari videtur, in eo tamen varietatis hoc eſt, quòd illic non de Alexandro hoc traditur, ſed de Caſſandro Antipatri filio, Græci ſcri
» ptoris verba ſunt hæc δειπνοσοφισ. 14. Οὐκ ἀπελείποντο δὲ ἡμῶν τῶν
» συμποσίων οὐδὲ ῥαψῳδοί· ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου ὁ Λαρήνσιος ὡς ἄλλος
» οὐδὲ εἷς ὡς λῆρον ἀποφαίνειν Κάσανδρον τὸν Μακεδονίας βασιλεύσαν-
» τα, περὶ οὗ φησὶ Καρύστιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν ὅτι οὕτως ἦν φιλό-
» μηρος ὡς διὰ στόματος ἔχειν τῶν ἐπῶν τὰ πολλὰ καὶ Ἰλιὰς ἦν αὐτῷ καὶ
» Ὀδύσσεια ἰδίως γεγραμμέναι. hoc eſt. Neque poëmatum ſanè recitatores noſtro conuiuio defuerunt: gaudebat .n. Homericis Larenſus ita, vt nullus alius; atque adeò vt Caſſander rex Macedoniæ videretur, de quo ſcribit in ſuis commentarijs hiſtoricis Caryſtius, quòd ita erat Philomerus, vt complura eius carmina ſemper haberet in ore, Iliademque, & Odyſſeam haberet peculiarem manu ſcriptam. Aut igitur diuerſum ſenſit hac de re auctor is, quē Petrus Victorius ſequutus fuit, aut alter ex altero corrigi debet, facilis .n. lapſio fuit ex Caſſandro in Alexandrum, atque ex aduerſo, ob affinitatem, & ſimilitudinem vtriuſque dictionis.

Mare magnum non idem eſſe Græcis, quod Latinis. Cap. III.

MARE magnum, quod appellatur, Græcis dicitur Oceanus, Latinis Mediterraneum, ſiquidem illi longius nauigauerunt, pluresque regiones peruagati ſunt, propterea que ſinus omnes, ac maria notiora habuerunt, quàm Latini, itaque rectius de ipſis iudicare, & rem quamque ſuo proprio, eiuſq; naturæ magis conuenienti vocabulo nuncupare potuerunt: Conſimilem rerum imperitiam deprehendere licet in prouerbio, quod à Latinis effertur Iracundior Adria, cùm tamen multa maria extent eo longè ſæuiora, ac truculentiora, quæ Latinis, vt pote talium rerum imperitis, parùm cognita

fuerunt: Id quod prius dixi de mari magno, Æliani teſtimonio confirmatur, cuius hæc ſunt verba ex lib. 16. De animal. *ἐν τῇ καλουμένῃ*
„ *μεγάλῃ θαλάττῃ, καὶ νῆσον ᾄδουσι μεγίστην, καὶ ὄνομα αὐτῆς ἀκούω Ταπροβάνην. πάνυ δὲ δολιχὴν πυνθάνομαι, καὶ ὑψηλὴν τὴν νῆσον εἶναι.* hoc eſt. In nuncupato mari magno inſulam eſſe maximam, nomine Taprobanam peruagatum eſt, eandemque longiſsimam, & excelſam: Notum eſt autem Taprobanam inſulam Indiæ obiectam eſſe in Oceano: Latinorum ſententiam refert Iſidorus Orig. lib. 13. his verbis.
„ Mare magnum eſt, quod ab occaſu ex Oceano fluit, & in Meridiem
„ vergit, deinde ad Septentrionem tendit, quod inde magnum appel-
„ latur, quia cętera maria in comparatione eius minora ſunt. iſtud eſt
„ & Mediterraneum, quia per mediam terram vſque ad Orientem per-
„ funditur, Europam, & Africam, Aſiamque diſterminans. Quod Plinius non obſcurè confirmat hoc ſermone. Intrant (thynni) è
„ magno mari Pontum verno tempore gregatim: nec alibi fœtificant:
Niſi fortè Plinius hic Mediterraneum mare magnum appellat habita ratione Ponti: Sed & Helleſponti anguſtias mare magnum vocat Lucretius lib. 3. de Xerſe loquens

Ille (inquit) quoque ipſe viam, qui quondam per mare magnum
Strauit. Dictum quoque peculiari epitheto mare magnum animaduerti, quod impetuoſius flantibus ventis intumeſcit, cuiuſmodi nautarum vulgus mar' groſſo nuncupare conſueuit: qua notione accipere oportet Ennianum illud ex Annali 17.

Concurrunt, veluti venti cùm ſpiritus Auſtri
Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine contrà
Indu mari magno fluctus extollere certant.

Neque non illud Lucretij ex lib. 2.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.

Atque itidem Maronis illud Æneid. lib. 3.

magnaque ſurgunt
Aequora, diſperſi iactantur gurgite vaſto.

Sed quod eſt Æn. 5. *dum per mare magnum*
Italiam ſequimur fugientem.

Licet Seruius procelloſum interpretetur, non verear ego accipere pro mari interno, ac Mediterraneo, quemadmodum illud quoque apud M. Tullium ex poëta neſcio quo.

Inque mari magno claſſis cita texitur.

Sed & magnum quandoque appellatur mare proprio quodam adiuncto, quod ei ſemper cohæret, itaque ipſum vocat Lucretius lib. 6.

Quominus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.

Franciſci

Franciſci Robortelli emendatio ad Tibulli carmen confirmata, atque ibidem Carolus Sigonius, qui eam damnauit, reprehenſus. Cap. IIII.

TIBVLLI verſus hi leguntur lib. 1.

Illa viro coràm nutus conferre loquaces,
Blandaque compoſitis addere verba notis:

In quorum altero iamdiù eſt, quòd monuit nos Franciſcus Robertellus, & id quidem valdè *εὐστόχως*, ac, vt puto, veriſsimè, pro Addere molliter vna literula immutata legi debere Abdere: is tñ Caroli Sigonij reprehenſionē vitare non potuit exiſtimātis poëtę ſenſum prorſus corrumpi, ſi vetus lectio ſua ſede dimoueatur, & pro ea noua illa Robortelliana ſubſtituatur: propterea quòd(inquit ille) Tibullus tunc non intelligat, ſicut Robortellus exiſtimaſſe videtur, ſermones puellæ cum amante iuuene, ſed fictos ſermones cum marito habitos, hęc autem Sigonij ratio conſignata extat libro ſuarum emendat. 2. vbi Robortelli adnotationum caput ſextum, & ſeptimum libri primi exagitat: Veruntamen, ſi quis diligentius, atque accuratius Latini ſermonis vim, ac proprietatem exquirat, illicò agnoſcet Tibulli carmen nullo modo Sigonij ſenſum admittere poſſe, nam in Romanè, purèque loquentium ore ſermo hic Coràm aliquo quippiam dicere, valet aliquo preſente, vel audientè, non (vt falsò putauit Sigonius) cum aliquo colloqui; docet hoc Liuius pauculis his verbis. Magis apud „ quos, quàm coram quibus loqueretur: Et Florentinus Iuriſconſul „ tus in Pandectis De verborum ſignificationē. Coràm Titio aliquid „ facere iuſſus, non videtur preſente eo feciſſe, niſi is intelligat. Itaq; „ ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat, non videtur coràm eo feciſſe.

Diſputatio de Aſcànio Aeneę filio, qui Albæ regnauit. Cap. V.

HAVD ſatis compertum ſe habere fatetur T. Liuius, quiſnam fuerit Aſcanius ille, cui patre Ænea mortuò Latinorum imperium Lauinia conſeruauit ad puberem vſque ipſius ætatem: Liuij verba, ſi quis ea fortè requirat, appoſui ex libro Annalium primò haud „ ita longè ab initio. Nondum maturus imperio Aſcanius Æneæ fi- „ lius erat, tamen id imperium ei ad puberem ætatem incolume man- „ ſit, tantiſper tutela muliebri(tanta indoles in Lauinia erat) res Lati- „ na, & regnum auitum, paternumque puero ſtetit. Haud nihil am- „ bigam (quis.n. rem tam veterem pro certo affirmet) hiccine fuerit „ Aſcanius, an maior, quàm hic Creuſa matre Ilio incolumi natus, „ comeſq; inde paternæ fugæ, quem Iulum eundem Iulia gens aucto-

„ rem nominis ſui nuncupat: Legenti mihi, & quaſi tumultuaria opera Clementis Alexandrini Stromata properanter euoluenti, occurrit locus quidam, qui, ſi accurratè perpendatur, omnẽ huius rei dubitationem auferet, & quis fuerit Aſcanius ille, manifeſtò demonſtrabit: namque is auctor Strom. lib. 1. annorum ſummam diligenter colligens, exactamque chronologiam conficiens, quòd ad rem propoſitam attinet, loquitur in hanc ſententiam. ἀπὸ Τροίας ἁλώσεως
„ ἐπὶ τὴν Αἰνέου κάθοδον καὶ κτίσιν Λαουινίου, ἔτη δέκα. ὑπό τε τὴν Ἀσ-
„ κανίου ἀρχὴν, ἔτη ὀκτώ: hoc eſt. A Troia capta ad Æneæ deſcenſum, & conditum Lauinium, interceſſerunt anni decem, & ad Aſcanij imperium anni octo. Nunc ego ſic ratiocinor. Aeneas ante captã Troiam ex Creuſa Aſcanium ſuſceperat, qui tunc ea ętate erat, vt confirmatis membris, ac vegetibus rectus per ſeſe incederet, nec obſtetricis vlnis circumferri neceſſe haberet, patris etenim in illa captiuitate Antandrum ſe recipientis veſtigia ſequi potuit, tametſi (vt inquit Maro) non paſsibus æquis; Itaque ſex, aut ſeptem annos tunc temporis ipſum natum fuiſſe ratio ſuadet, mitto iam quòd in Africa venationi operam dederit, & ex æquo plures feras ſua manu proſtrauerit; atque in Italia demum in bello, quod cum Turno geſtum eſt, valdè vtilem operam patri nauauerit; quæ munia confirmatiorem ætatem, iudiciumque ſolidius, quàm in pueris eſſe conſueuerit, expoſcunt, poteſt enim videri cuncta hæc Maro confinxiſſe in Auguſti Cæſaris laudem, & ad poëma ſuum magis illuſtrandum: Fingamus igitur Aſcanium ſex tantùm annos, cùm in Italiam venit, impleuiſſe, eiſque decem ex Clementis Alexandrini ſupputatione adijciamus, qui elapſi ſunt, antequàm Lauinium conderetur; rurſus octo annos in eandem ſummam conferamus, qui inter Lauinium conditũ, & Aſcanij imperium interceſſerunt, iam hinc vigintiquatuor annorum ſummam habebimus, vt ſatis manifeſtò appareat Aſcanium illum, qui poſt patris obitum ex manu Lauiniæ imperium ſuſcepit, non fuiſſe Creuſæ filium, ſed ipſius Lauiniæ, ille.n.alter, vt dixi, vigeſimumquartum annum tunc temporis egiſſet, ac proinde iamdiù pubertatem exceſsiſſet: Definio autem nunc pubertatem eo annorum ſpatio, quo eam definiri oportere docent Iuriſconſulti: quare ſatis hinc oſtenſum arbitror, quid ſequendum ſit in quæſtione à Liuio propoſita: Niſi Clemens per Aſcanij imperium tempus illud accipiat, quo Lauinia adulto iam filio, regni habenas eidem commiſit: vt ſic maneat adhùc difficultas à Liuio excitata.

Quæritur

Quæritur de veritate ſcripturę .l. Barbarii in Pandectis, titulo De. Offic. Prætoris. *Cap. VI.*

BARBARII Philippi audax facinus commemoratur à Vulpiano Iuriſconſulto lib. 38. ad Sabinū, referturq; à conſarcinatoribus legum Romanarū lib. 1. De offic. Prætoris: Attamen videndum eſt, vtrum ſcriptura, quæ omnes codices peruaſit, vera ſit, an potius librarij culpa in eum modum fuerit deprauata ex vicinitate nominum Barbij Philippici, ita.n. legitur apud Suidam, cuius verba, quoniam hiſtoriæ illi cognoſcendæ plurimùm conferunt, viſum eſt adſcribe-
„ re, inquit igitur. Βάρβιος Φιλιππικὸς ὑπὸ τῶν τριῶν τυράννων ἦρχε.
„ θέραψ δὲ ἦν τὸν τρόπον. καὶ κολακικός. καὶ μέντοι καὶ τῷ περὶ τὸν Ἀν-
„ τώνιον θιάσῳ, κατέλεκτο. καὶ ταύτην γε τὴν ἀρχὴν ἦρχε τὴν ἐκείνου
„ χάριν. τοῦτόν τε οὖν τὸν τότε σοβαρὸν καὶ πορφυροῦν τῇ τιμῇ καὶ ἐν ἀγο-
„ ρᾷ τῇ Ῥωμαίων ὑψηλὸν διάγοντα ἄθρον καὶ κυδρέμενον, καὶ σιῶ τῇ ἀρχῇ
„ θρυπτόμενον. καὶ προσελθὼν ἡσυχῇ κατόπιν θοιματίου λαβόμενος, χαῖ-
„ ρε εἶπε τὸ ὄνομα προσθὲς τὸ ἀρχαῖον τε καὶ δοῦλον. καὶ ἐκεῖνος ἐκπλήτ-
„ τεται ῥᾳδίως τὴν δεσπότην γνωρίσας. καὶ δεῖται σιωπᾶν. καὶ εἰς τὰ
„ οἰκεῖα ἄγει. καὶ καταβαλὼν πάμπλειστα. εἶτα μέν τοι ἑαυτὸν ἐλύσατο. καὶ
„ αἰδοῖ Ἀντωνίου τῇ κηλῖδι τῇδε σιγῇ κατεχύθη ἀργυρώνητος. ἐκεῖνα
„ δὴ καὶ ταύτην τῆς τύχης μὴ σιγῆσαι τὴν παιδιάν. hoc eſt. Barbius Philippicus ſub tribus tyrannis imperauit, homo comis, & blandis moribus, quamuis in cœtum Antonij allectus, quem principatum illius gratia gerebat. Hunc igitur tùm inſolentem, & purpuratum ob honorem, & in Romanorum foro ſublimem, ac ius dicentem, herus agnouit, à quo olim aufugerat. tùm verò pompa, & gloria, & magiſtratu inſignem. Ac tacitè aggreſſus, & veſte à tergo prehenſa. Salue (inquit) veteri, ac ſeruili adiecto nomine. At ille percellitur, veteri domino facilè agnito, rogans vt taceat. Domum ducit: maxima pecunia numerata ſe tandem redemit, &, pudore Antonij, ob maculā hanc ære emptum mancipium animi dolorem ſilentio diſſimulauit. Proinde nc hunc quidem fortunæ ludum tacendum putaui. Hactenus quidem Suidæ verba porriguntur, quæ tametſi aliquantulùm prolixa videri queant, non fuerunt à nobis prætermittenda, vt lex illa eorum appoſitione aliquid lucis caperet, nam quòd ad hiſtoriam attinet, noſtrates Iuriſconſulti non putant ad ſe pertinere Pandectas illuſtrare.

An

An oleum congelaſcat, & ſuper hoc M. Antonij Mureti ſententia exagitata. *Cap. VII.*

NON fuit tuæ ingenuitatis, atque doctrinę, Marce Antoni Murete, Gellij verba calumnioſè interpretari, mentem ipſam conniuenter prętetire, nam quo loco Gellius ſcriptum reliquit oleum congelaſcere, & in ore pueri verbum *κεκρυστάλλωτε* locauit, magis ſenſus, quàm verba ipſa, conſiderandus fuit, præſertim, cùm, ſi aliter fieret, eruditiſsimis viris, qui conuiuio illi interfuerunt, non leuis iniuria inferretur. Audi igitur quomodo exiſtimem Taurum philoſophum, quique cum eo diſputationem ſuper ea re inſtituerunt, ab inſcitiæ nota poſſe vindicari. Puer, qui ſuum imprudens factum excuſare voluit, non ſatis habuit rem, vt erat, ſimpliciter eloqui, ſed culpæ ſuæ minuendæ cauſſa verbo vſus eſt ad rem extenuandam accomodatiſsimo, nam cùm dicere debuiſſet, oleum frigore concreuiſſe, ac proinde verbo vti *πήγνυσθαι*, vel potius *παχίνισαι*, quod perſæpè Ariſtotelem vſurpare animaduerti; dixit *κεκρυστάλλωται*, quod tamen verbum conuiuantes illi interpretati ſunt modò congelaſcere, modò ſtare, modò coaleſcere, modò gelu cogi modò concreſcere modò coire: Itaque, quamquam puer eo pacto locutus fuerit, conuiuarum tamen illorum diſputatio veluti *θέσιν*, ſubiectum habuit, vtrum oleum concreſceret, atque ſpiſſeſceret, in hunc.n. ſenſum reiecta interim vocabuli proprietate verbum *κεκρυστάλλωται* acceperunt, quod qui quærunt neque inerudit, neque imprudentes iudicari debent, præterquàm quòd *τὴν ἀναλογίαν* ſequuti fuiſſe videri poſſunt, vt olei concretio ſimilitudine quapiã dicatur congelatio, q̃ aquę propria eſt; atq; Alexander quidẽ, ſiue is Trallianus fuit, ſiue Aphrodiſienſis, nõ aliter loquit̃ de congelatione aquę, quã de concretione olei, quin & illud addit, oleũ extrema frigiditate pręditum eſſe, quicquid ſenſerit Plutarchus, & alij. Verba Alexandri adſcripſi ex problemate illo quo quęrit, cur oleum quidem, atq; aqua frigore conſtringatur, vinũ verò, acetum, & garus minime. *ὅτι* (inquit) *τὸ μὲν ἔλαιον, ἄποιον ὄν, καὶ μᾶλλον εὔκρατον, ταχέως ψύχε-*
„ *ται, καὶ οὕτω σφοδρῶς, ὡς καὶ πήγνυσθαι τῇ ἄκρᾳ ψύξει. τὸ δὲ ὕδωρ*
„ *αὐτόθεν ψυχρὸν ὄν, ῥᾷον ἑαυτοῦ ψυχρότερον γιγνόμενον πήγνυται.*
„ & reliqua. i. Quia cùm oleum qualitatis ſit expers, confuſionique idoneum, citò friget, atque ita vehementer, vt extrema quoque frigiditate frigeat, aqua verò ſua ſponte frigida, facilè, cùm ſemetipſa frigidior fit, congelaſcit.

Illuſtratus ex epiſtola Horatii locus de teſta imbuta. Cap. VIII.

IMBVTAM teſtam appellaſſe videtur Horatius vas, quod cùm nouum ſit, liquamine præmunitur ad continendos liquores per minuta cadi foramina, & illos quaſi poros alioqui dilapſuros, niſi cruſta aliqua cauernulæ illę obſtruantur; qua diligentia veteres vaſa præparare conſueuiſſe docet Columella de epityro loquens. Huic autem
„ conditurę (inquit) vaſa noua fictilia ſine pice præparantur, quæ ne
„ poſsint oleum ſorbere, tanquam oliuariæ metretę imbuuntur liqua-
„ mine, tùm demũ & aſsiccantur. Quod etiam Plinius docuit lib. 15.
„ Dolia (inquit) olearia, cadoſque illa (amurca) imbui, ne bibant
oleum: Ad hanc eandem rem ſignificandam vſi fuiſſe videntur vete-
„ res verbo incruſtare; vnde Scribonius Largus Calices quoque (in-
„ quit) eis incruſtentur additis quinque, vel ſex ſalis, vel farris granis.
Et multò ante Lucillius. *nam vel regionibus illis*

Incruſtatu calix ruta, cauline bibetur.

Et, vt magis id credas, dabo tibi teſtem hunc noſtrum in Satyra.

Sincerum cupimus vas incruſtare.

Dico autem huiuſmodi vaſa Flaccum intellexiſſe videri, ſi verſus hic ex Epiſtola ad Lollium libri primi eo modo legatur, quomodo ipſum notatum inueni in vetere membrana, nimirum ſic.

Quæ ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diù. Non Quo, vt in omnes ferè excuſos libros peruaſit: quorum verborum ordo erit. teſta recens, quæ ſemel eſt imbuta .i. liquamine, aut oleo præparata, diù ſeruabit odorem: ea enim vis eſt, ac proprietas olei, vt odores in longum tempus conſeruet, ſicut Plinius, & Plutarchus, præter cæteros, tradiderunt. Veruntamen cõmunis illa, & peruulgata ſcriptura, quòd aptiſsimã contineat ſimilitudinem, retineri poteſt, atque inſuper grauiſsimo Philonis Iudæi teſtimonio confirmari, qui iuuenum animos vaſis nouis comparat, quemadmodum enim hæc odorem, quo primùm fuere imbuta, ſeruant, ſic iuuenũ animos, quas primùm formas imaginatione conceperunt, nnnquam aboleri ſinere affirmat, ne alijs quidem inſuper affluentibus. Quintilianus quoque, cùm hoc animi ſui ſenſum commodius explicare nequiret, ad eandem imaginem confugit, dicens.
„ Natura tenaciſsimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus:
„ vt ſapor, quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus ſim-
„ plex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.

Apulei, & Macrobii contextus, qui eodem morbi genere laborabat, perſanatus. Cap. IX.

„ SAMOS Icario in mari modica inſula eſt: ex aduerſum Miletos,
„ ad occidentem eius ſita, nec ab ea multo pelagi diſpicitur. Hæc
Apulei verba, quæ poſita ſunt libro 2. Florid. ab omnibus emenda-
ta, nullique vitio obnoxia eſſe exiſtimantur; & ſanè, cùm valdè puſil
la macula in ipſis hæreat, non eſt mirum, ſi omnium oculos hactenus
ea fefellit, niſi.n. quis contentè oculorum aciem in ipſam dirigat, fie
ri non poteſt, vt ea ſeſe conſpiciendam præbeat: ipſe igitur, qui ve-
teres ſcriptores non indiligenter tractare conſueui, erratum (ni fal-
lor) videor mihi detexiſſe, & nullo ferè negocio ipſum ſubſtuliſſe:
nam pro eo, quod eſt; Multo pelagi diſpicitur, arbitror legi oporte
re, vt conſtet ſenſus, multo pelago diſpeſcitur, nam alioquin quæ ſen
tentia ſubſit verbis, quæ nunc paſsim circumferuntur, nondum per-
ſpicio: contrà ſi, vt admonui, legamus, quàm commodè animi ſui
ſenſum exprimet Apuleius? Plinius certè in pari propemodum re,
„ haud aliter locutus eſt lib.5. Inde Africam (inquit) ab Æthiopia di-
ſpeſcens: Quamquam minore adhuc mutatione legi poteſt diſpica-
tur pro diſpicitur, quo verbo eadem ſignificatione vſus fuiſſe videtur
„ Ammianus Marcellinus lib. 21. vbi ſic ait. Romulus poſt eum, &
„ Saboſtius curruſ axi vincti, fuere diſpicati, vt proni in ſtudia ſenis.
Quòd ſi hæc noſtra caſtigatio eruditis viris non diſpliceat, præſtiterit
eadem ratione Macrobij contextum interpolare, qui eidem vitio affi-
„ nis videtur, ait enim. Accerſebantur autem murenæ ad piſcinas no-
„ ſtræ vrbis abuſque freto Siculo, quod Rhegium à Meſſana deſpicit.
Nam verbum deſpicit non eſt illius loci.

Dantis ſententia vnde ſumi potuerit demonſtratum. Cap. X.

ETSI Dantis ingenio plurimùm faueo, & de ipſo certatim cum Victorio bona omnia prædicare ſoleo, quod mea illa Apologia, quam aduerſus Georgium quendam Caſtrauillam eius poëtæ calumniatorem, confeci, abundè teſtatur, exiſtimo tamen haud ſtatim colligi poſſe, naturæ ſuæ diuinitate idem, quod antea Euripides viderat, ipſum vidiſſe, propterea quòd ſententiam quandam ab illo Tragico prius expreſſam, hic alter ſuo poëmati inſeruerit, namque eadem apud Plautum reperitur Curculione, vbi Planeſium ſtatus ſui, ac fortunæ ſeriem explicans inquit.

Ego pertimeſco, tùm ibi me neſcio quis arripit
Timidam, atque pauidam, nec viuam, nec mortuam:

Nec

Nec quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere:
Ac rurſus eandem poſuit Latinus Comicus Truculento, vbi Dinarchum ita loquentem facit.

Neq; viuus, neq; mortuus ſum, neq; quid nunc faciam ſcio,
Neq; vt hinc abeam, neq; vt hunc adeam, ſcio: timore torpeo.

Cui loco parem propemodum inuenias Mercat.

Vno verbo eloquere, vbi ego ſum, hic, an apud mortuos?
Eu. *Neque apud mortuos, neq; hic es.* Ch. *ſaluus ſum, immortalitas*
Mihi data eſt.

Facilè igitur ſuſpicari poſſumus acutam illam Dantis ſententiam, de qua alicubi diſputat Petrus Victorius, è Plauto mutuo ſumptam fuiſſe: adſcribam autem noſtri poëtæ verba, vt cum Latinis conferri poſsint.

Io non morì, e non rimaſi viuo:
Penſa horamai per te, ſe hai fior' d'ingegno,
Quale diuenni d'uno, e d'altro priuo:

Sententia eadem prorſus eſt cum Plautina illa. Cùm verò alibi inquit idem Etruſcus poëta.

Si come neue tra le viue traui:

Virgilium imitari potuit, cuius hoc eſt.

Nigranti picea, trabibuſque obſcurus acernis.

Ad quem verſum notat Seruius trabes poëtam dixiſſe de arboribus, cùm non dicantur niſi iam cæſæ, & iam compoſitæ.

M. Antonij Mureti, & Franciſci Hotomani ſententia ſuper quodam Cæſaris loco falſa eſſe demonſtratur. Cap. XI.

PROPERANTER nimis, ac parùm attentè legiſſe videntur M. Antonius Muretus, & Franciſcus Hotomanus locum illum apud „ Cæſarem de bello Gallico libro 3. Noſtri, primò integris viribus „ fortiter repugnare, neq; vllum fruſtrà telum ex loco ſuperiore mittere. Vnde factum eſt, vt non ſatis diſpicere potuerint horum verborum ſenſum, propterea que (vt fieri aſſolet in re dubia, & ex qua quis ſe explicare nequit) mendum aliquod in ipſis reſidere exiſtimauerint, etenim, (inquiunt ipſi) hoſtes ſuperiora loca occupaſſe, & armatis compleſſe dixit Cæſar, itaque poſtulare locus videtur Inferiore. Sed falluntur iſti proculdubio, totoque errant cælo: ſiquidem diligenter conſiderare oportet Galbam planiciem occupaſſe, vbi vicus Vegrarorum Octodonus poſitus erat, inque ea planicie caſtra vallo, & foſſa muniuiſſe, ex quibus deinde cum Sedunis, & Veragroris pugnabat, qui ex omnibus partibus ſigno dato decurrentes

Romanos milites adoriebantur : neceſſe igitur habuerunt Galli ex loco ſuperiore, quem initiò occupauerant, deſcendere, & per planiciem inter montium radices, & Romanorum caſtra porrectam, perque foſſam vallo circundatam caſtrorum aggerem ſubire, ex quo in ſubiectos, & vallum aſcendere conantes Gallos tela iacientes Romani verè dicti ſunt à Cæſare ex loco ſuperiore pugnaſſe, ac tela inferius miſiſſe : velut etiam circa finem eiuſdem libri, cùm de ſimili ca-
„ ſtrorum oppugnatione loqueretur, inquit. Cùm item ab hoſtibus
„ conſtanter, ac non timidè pugnaretur, telaque ex loco ſuperiore
„ miſſa non fruſtra acciderent : & cætera : quæ ſi nouiſſent Muretus, ac Hotomanus, diligenterque conſideraſſent, ſuæ famæ præclarius conſuluiſſent, & me ſcribendi moleſtia liberaſſent : Volo .n. exiſtimet lector, me non libenter aliorum errata colligere, neque inde laudem vllam expectare, ſed illud vnum ſtudere, vt boni ſcriptores minus, quàm fieri poſsit, mangonum iſtorum licentia natiuum colorem mutare cogantur.

Virgilij vetus lectio contra Gulielmum Canterum aſſerta. Cap. XII.

STOMACHVM mihi mouent ineptæ quædam, & ineruditæ adnotatiunculæ, quibus multi noſtra ætate libros ſuos inferciunt, quocirca minimè continere me poſſum, quin earum auctoribus interdum ſubiraſcar, ſedulòque eoſdem moneam, vt hanc bonorum ſcriptorum emendandorum (vt ipſi vocant) artem aliquando tandem diſcere velint, librorumque numerum, qui ſummo bonarum literarum incommodo, ac detrimento nimis, quàm vellem, iamdiù creuit, augere deſinant : ac, quamquàm idem de me fortaſſe dici poteſt, eò tñ ęquiorem cauſſam, quàm cæteri me habere exiſtimo, quòd non nouas (quod iſti faciunt) artificioſèque excogitatas lectiones, niſi rarò, & maxima cogente neceſsitate comminiſcor, ſed veteres in primis tueri conor, id quod tùm alibi, tùm hoc loco mihi faciendum propoſui, quocunque tandem animo id laturus ſit Gulielmus Canterus, cuius curioſitatem (ne quid grauius interim dicam) operæprecium eſt aliquantulùm coercere : Is igitur verſum quendam Virgilij ex 3. Georgic. leui mutatione mirum in modum deprauat, verſus eſt ex his duobus poſterior.

Hunc quoque vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis
Deficit; abde domo, nec turpi ignoſce ſenectę :

„ Vbi ille Et pro Nec reponendum cenſet, propterea quòd poſterior
„ hæc pars, niſi ita legatur, cum priore videtur pugnare : etenim quomodò

„ modo quis equum ſenem domi poſsit abſcondere, & ſimul eius ſene-
„ ctuti non ignoſcere? quinimò non alia ratione melius huic ignoſcat,
„ quàm ſi domi detineat: Extorquebitur (ni fallor) hic error Cantero, ſi conſtabit, quo ſenſu dixerit Maro Nec turpi ignoſce ſenectæ: ac Seruius quidem nec rudis, nec indiligens eius poëtæ inter-
„ pres ita locum exponit. Dupliciter hunc locum intelligimus, aut
„ nec ignoſce turpi ſenectæ, aut non turpi ſenectæ ignoſce .i. abde, &
„ ignoſce ſenectæ, quæ turpis non eſt, quia per naturam venit: Quæ poſtrema Seruij expoſitio hoc Horatij carmine confirmatur ex Epiſtola ad Piſones de præceptis Poëticis.

lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.

Dicitur.n.hoc loco ſilentium turpe, non quia turpe fuerit obticere, cùm id lex iuberet, ſed quia ex turpi cauſſa. Quid quòd Iodocus Badius homo nullo pacto cum Gulielmo Cantero conferendus non omninò malam ſentententiam ex illis verbis elicuit hoc modo? Nec
„ turpi ignoſce ſenectæ. id eſt, non ignoſce ſenectæ deformi .i. ne ſis
„ clementior in ſenectam turpem, ita vt dicas, fuit admiſſarius iunior,
„ validoſque procreauit, quocirca & ſenior admittetur, ea.n. ſtulta
„ eſt clementia, cùm nec equo, nec rebus tuis conſulueris: Cùm itaque, (vt apparet) non omninò malus ſenſus ex his Virgilij verbis ita ſumptis colligatur, aut veterem, communemque ſcripturam ſequi debuit Canterus, aut ſaltem cauſſam aliquam afferre, quamobrem Seruij, Badijque expoſitiones non probaret: quod cùm non fecerit, meritò notari poteſt, tanquam nouarum rerum ſtudioſus, & illius ſui voluminis augendi nimis cupidus: quo nomine ſæpè etiam poſthac à nobis malè audiet.

Notatur Xenophon, tanquam ſuarum præceptionum immemor in nomine Hippocentauri, quod is ſuo cani impoſuit.
Cap. XIII.

INTER alia præcepta, quibus venatorem ſuum inſtituit Xenophon in Commentario de Venatione, hoc quoq; his verbis expreſ-
„ ſum reperitur. τὰ δ' ὀνόματα αὐταῖς τίθεσθαι βραχέα, ἵνα εὐανάκλητα ᾖ. hoc eſt. Cæterum breuia ipſis (canibus) nomina imponantur, & vocatu facilia. Deinde eius, quod dixerat, plura exempla
„ proponens inquit. εἶναι δὲ χρὴ τιαδε, ψυχή, θυμός, πόρπαξ, στύ-
„ ραξ, λόγχη, λόχος, φρουρὰ, φύλαξ, τάξις, ξίφων, φόνεξ, φλέγων,
„ ἀλκή, τεύχων, ὑλεὺς, μήδας, πόρθων, σπέρχων, ὀργή, βρέμων,
„ ὕβρις, θάλλων, ῥώμη, ἀνθεύς, ἥβα, γηθεύς, χαρὰ, λεύσων, αὐγώ,

» πολύς, βία, ϛίχων, σπυδὴ, βρύας, οἰνὰς, ϛεῤῥὸς, κραυγὴ, χαίνων,
» τύρβας, σθένων, αἰθὴρ, ἀκτὶς, αἰχμὴ, νόης, γνώμη, ϛίβων, ὁρμή.
Sunt autem hæc diuerſorum canum nomina cuncta, (vt apparet) duabus ſyllabis comprehenſa, & quæ propterea facilè pronunciantur, nec multùm temporis venatori occupant, dum aut eos voce incitat, aut à curſu reuocat: Sic Atalantæ cani nomen extitit Aura, Gerionis Gargitios, quem Cerberis fratrem perhibent. Acteonis canum nomina hæc memorat Æſchylus, Corax, Harpya, Charon, Licidas: quibus multa inſuper addit Ouidius Metam. 3. Alexandri canis dictus eſt Peritas, in cuius mortui honorem vrbem ædificauit ei cognominem, auctore Plutarcho. Hippamonis canem Lethargum vocat Græcum epigramma hoc.

Ἀνδρὶ μὲν Ἱππαίμων ὄνομ' ἦν, ἵππῳ δὲ Πόδαργος,
Καὶ κυνὶ Λήθαργος, καὶ θεράποντι Βάβυς.

Apud Theocritum eſt in Daphnide, ac Menalca Lampurus, apud Maronem Lyciſca. Mœra fuit canis Orionis: Nonulli putant Acalanthim canis nomen eſſe apud Ariſtophanem: Quid eſt igitur, quod ſuarum preceptionum immemor Xenophon cani, quem poſſedit, niultarum ſyllabarũ nomen impoſuit? ſcribit .n. Iulius Pollux ὀνομαςικ. lib. 5. Xenophontis cani Hippocentauro nomen fuiſſe. οἱ δὲ (inquit)
» καὶ Ξενοφῶντι τῷ Γρύλλυ φασὶ γεγενῆσθαι ἔνδοξον κύνα, Ἱπποκένταυρον τὴν προσηγορίαν. hoc eſt. Alij autem & Xenophonti Grylli filio canẽ nobilem, Hippocentaurũ nomine fuiſſe tradunt: Verè hic iocans vſurpauerit quiſpiã vetus illud, Fruſtrà ſapit, qui ſibi ipſi non ſapit: An fortè dicendũ eſt canem illum non fuiſſe venaticum, ſed aut Meliteũ, qui in delicijs à Xenophonte haberetur, aut domus cuſtodẽ, cuiuſmodi veteres plures habuiſſe cõſtat? Equidem quid amplius dicam nihil habeo; ſi qui ſunt, qui nodum à me perpoſitum ſe diſſoluere poſſe ſperent, ipſis ego plurimùm debebo, eiſdemque modis omnibus me deuinctum eſſe ingenuè profitebor.

Prouerbij cuiuſdam vera origo, quam Eraſmus ignorauit, patefacta. Cap. XIIII.

RAPTVS è Creta, quod prouerbij inſtar effert alicubi Plutarchus, aliunde, quàm putauerit Eraſmus, originem ducere iamtùm mihi perſuaſi, cùm in Ganymedis fabulam incidi apud Suidam, atque idem porrò alijs facilè me perſuaſurum eſſe confido, ſi, quod Eraſmus ad eius explicationem attulit, cum Suidæ narratione con-
» feratur: Ille igitur Apparet (inquit) furtiuum amorem his ver-
» bis olim ſignificatum fuiſſe, quòd aliquoties illinc virgines à negociato-

» ciatoribus adueherentur: Facilè tibi, Eraſme, in huius adagij origine aſſentirer, niſi mihi Suida aliter ſuaderet, cuius auctoritate permotus non dubito referre adagium ad Cretenſium intemperantiam in amores puerorum, quò Virgilium reſpexiſſe putat Seruius, cùm cecinit Æneid. 10.

Tu quoque flauentem prima lanugine malas
Dùm ſequeris Clytium, infelix, noua gaudia, Cydon,
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui iuuenum tibi ſemper erat, miſerande iaceres,
Ni fratrum ſtipata cohors foret obuia.

Narrat autem Græcus auctor, quòd Minos olim mari potiebatur, & latè quòuis nauigabat multis hoſpitia denuncians. in Aſiam verò profectus, auditaque in Phrygia fama Trois Troiæ regis, & filiorum eius, vrbem Dardanum fuit ingreſſus, in qua Tros degebat, cui tres eſſent filij, Illus, Aſſaracus, Ganymedes, qui ob formam maximè celebrabantur. Trois igitur vtens hoſpitio Minos, & ipſe munera illi dabat, & data inuicem accipiebat: eiuſque filios vocari iubebat, vt eos videret, doniſque afficeret. qui cùm in venatu eos eſſe dixiſſet: hic ſe quoque vnà venari velle ait. ſed prius quendam è famulis eò mittit, vbi pueri venabantur ad Granicum fluuium, in eumque nauibus perductis paulò poſt ipſe pueros conuenit: Et Ganymedis amore primo aſpectu captus, Cretenſibus puerum abripere iuſſis, eo in nauem impoſito ſoluit. locus is à raptu Harpagia dictus eſt. Puer autem in Cretam perductus, caſu illo dolens, gladio ſe traiecit: quem Minos in templo condidit, vnde Iouis vti conſuetudine dicitur Ganymedes: Hoc ipſum ex Echmene confirmat etiã Atheneus
» δειπνοσοφις. lib. 13. his verbis. ὅλως δὲ τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας τ̃ ἤθ-
» ταῖς θηλείαις προκρίνουσι πολλοί. παρὰ γὰρ ταῖς ἄλλαις ταῖς εὐνομου-
» μέναις πόλεσιν ἤθι τῆς Ἑλλάδος σπουδασθῆναι τόδε τὸ ἔθος. Κρῆτες
» γοῦν ὡς ἔφην καὶ οἱ ἐν εὐβοίᾳ Χαλκιδεῖς περὶ τὰ παιδικὰ δαιμονίως ἐπ-
» τόηνται. Ἐχεμένης γοῦν ἐν τοῖς Κρητικοῖς, οὐ τὸν Δία φησὶν ἁρπά-
» σαι τ̃ Γανυμήδην, ἀλλὰ Μίνωα. οἱ δὲ προειρημένοι Χαλκιδεῖς παρ᾽ αὐ-
» τοῖς φασὶν ἁρπασθῆναι τὸν Γανυμήδην ὑπὸ τοῦ Διὸς καὶ τόπον δεικνύν-
» τες Ἁρπάγιον καλοῦσιν, ἐν ᾧ καὶ μυρσίναι διάφοροι. hoc eſt. Præponunt

omninò complures pueriles amores fœmineis, atque in reliquis Græciæ ciuitatibus, quæ bonis legibus ſunt inſtitutæ, mos hic magni eſt ſtudij. Cretes igitur, vt dixi, Chalcidenſeſque, qui ſunt in Eubœa, magnoperè puerilium amorum ſunt ſtudioſi: quamobrem non Iouem, at Minoem Ganymedem rapuiſſe ſcribit Echmenes in rebus Creticis. Prædicti verò Chalcidenſes apud ſe Ganymedem à Ioue raptum fuiſſe contendunt, locumque oſtendunt, quem vocant Har-

pagium,

pagium, in quo egregiæ admodum ſunt myrti. Aut igitur particulatim ad hunc Ganymedis raptum reſpicit prouerbium, aut etiam *γενικῶς* conſuetudinem illam notat, cuius meminit Heraclides in
„ Rep. Cretenſium hoc pacto. *ταῖς δὲ πρός τοὺς ἄῤῥενας ἐρωτικαῖς ὁμι-*
„ *λίαις ἐοίκασι πρῶτοι κεχρῆσθαι, καὶ οὐκ αἰσχρὸν παρ᾽ αὐτοῖς τοῦτο, ὅταν*
„ *δὲ κρατήσωσιν ἀπάγουσιν εἰς ὄρος, ἢ τοὺς ἑαυτῶν χώρους, κακεῖ ἑσι-*
„ *ῶνται ἡμέρας ἑξήκοντα, πλεῖους γάρ οὐκ ἔξεσι, καὶ δίδωσιν ὁ φιλοῦ-*
„ *τωρ ἐσθῆτα, καὶ ἄλλα δῶρα, καὶ βοῦν*. i. Adoleſcentum, & puerorum amores primi videntur vſurpaſſe., atque his deditum eſſe, nihil apud illos turpitudinis, atque ignominiæ habet: Quòd, ſi copia fiat, abducunt eos vel in montana, vel in ædes ſuas, atque ibi ſexaginta continuos dies fruuntur, plures .n. non licet: atq; amator dona dat, veſtem, aliaque munuſcula, & bouem.

Culpa magiſtra potare apud Horatium quid valeat. Cap. XV.

ANTEQVAM accedamus ad emendandum locum aliquem in bonis auctoribus, videndum eſt diligenter, an vlla ratione fieri poſsit, vt ex vulgata lectione ſenſus aliquis eruatur: deinde verò, cùm neceſsitas nos cogit, licere arbitror tutò, & abſque reprehenſione, ſi tamen bono modo, ac prudenter id fiat, locum caſtigare, tùm vetuſta exemplaria conſulendo, tùm *εὐστοχίαν* noſtram excutiendo, vt hoc pacto, quàmminimè fieri poſsit, à vulgatæ ſcripturę veſtigijs recedentes aliquem bonum ſenſum ex loco eo modo, eaque cautione reſtituto colligamus. Horatius in Satyra quapiam ait.

Poſt hoc ludus erat culpa potare magiſtra.

Hìc Lambinus ingenioſè quidē, non tñ neceſſariò ex Culpa fecit Cuppa, quod emendandi genus cur non probē iam oſtendi: cur aũt non neceſſariò locum mutari exiſtimem, facit Athenæus: cuius verba ſi huic capiti inſeruero, abundè oſtendiſſe mihi videbor ſententiam Horatij, quæ illo verſu, retenta nihilominus vulgata ſcriptura, continetur: Athenęus *δειπνοσοφ.* lib. 10. ſcribit œnigmata quępiã in cõuiuijs poſt ſecũdas menſas ad ſoluendũ ijs proponi cõſueuiſſe, qui conuiuio intereſſent, ea qui non diſſoluerent, poculo mulctabantur, id eſt, plus bibere cogebantur, quàm ſanitatis ratio poſtularet, vel eos poculum vno ſpiritu haurire neceſſe erat, aut ſalſuginē vino miſtam. hoc autem appellat Horatius bibere culpa magiſtra, quoniam culpa eorum, qui œnigmata explicare non poſſent, bibendi occaſionem
„ præbebat: Athenæi verba ſunt hæc. *τίνα δὲ κόλασιν ὑπέμενον Ἀθή-*
„ *νῃσιν οἱ μὴ λύσαντες τὸ προτεθέντα γρῖφον, ἆρ᾽ ἔπινον φιάλην κε-*
„ *κερασμένην ὡς ὁ Κλέαρχος προεῖπεν ἐν τῷ ὅρῳ. κἀν ᾧ πρώτῳ δὲ πα*

ροιμιῶν

» ϱοιμιῶν γϱάφει οὕτως τῶν γϱίφων ἡ ζήτησις οὐκ ἀλλοτρία φιλοσοφίας
» ἐστί. καὶ οἱ παλαιοὶ τὴν τῆς σοφίας ἀπόδειξιν ἐν τούτοις ἐποιοῦντο
» πϱοέβαλλον γὰϱ παρὰ τοὺς πότους οὐχ ὥσπεϱ οἱ νῦν ἐϱωτῶντες ἀλ-
» λήλους τίς τῶν ἀφϱοδισιαστικῶν συνδυασμῶν ἥ τίς ἢ ποῖος ἰχθὺς ἥδιστος,
» ἢ τίς ἀκμαιότατος. ἔτι δὲ τίς μετ᾽ Ἀϱκτοῦϱον ἢ μετὰ Πλειάδα, ἢ τίς
» μετὰ κύνα μάλιστα βϱωτός. καὶ ἆθλα μὲν τούτοις ἄθλα μὲν τοῖς νικῶσι φι-
» λήματα μίσους ἄξια τοῖς ἐλεύθεϱαν αἴσθησιν ἔχουσι ζημίαν δὲ τοῖς ἡττη-
» θεῖσι τάττουσιν ἄκϱατον πιεῖν ἥδιον ζῆς ὑγιείας πίνουσιν. quæ ſic Latinè ab interpræte reddita ſunt. Subibant autem pœnam quandam hi Athenis, qui propoſitum œnigma non poterant ſoluere, ſiquidem phialam miſtam bibere cogebantur, vt Clearchus aſſerit in Termino. Et libro prouerbiorum primo ita ſcribit: Non aliena eſt prorſus à philoſophia œnigmatum explanatio, ſiquidem antiqui ſapiẽtiam per huiuſmodi demonſtrationes enucleabant. nam & inter pocula quæſtiones proponebant, non tamen eadem ratione, qua iuniores nunc ſolent inter ſe: quæ res magis libidinem excitet, aut quis piſcis eſt ſuauiſsimus, aut quis maximè viget, vel quis poſt Arcturum, aut Pleiades, vel Canem eſui ſit aptus. quarum quæſtionum oſcula præmium victoribus proponunt, quæ quidem omnia eorum odium in ſe concitant, qui aliquo liberi animi ſenſu prepollent: mulctam verò ijs, qui vincuntur eam imponunt, vt ſuauius merum bibant, quàm ſanitatis ratio poſtulet. rurſus non multò inferius. ἐπεὶ δὲ ἱκανὴν
» παϱάβασιν πεποιήμεθα πεϱὶ τῶν γϱίφων, λεκτέον ἤδη καὶ τίνα κό-
» λασιν ὑπέμενον οἱ μὴ λύσαντες τὸν πϱοτεθέντα γϱῖφον. ἔπινον οὗτοι
» ἅλμην παϱαμισγομένην τῷ αὐτῶν ποτῷ καὶ ἔδει πϱοσενέγκασθαι τὸ
» ποτήϱιον ἀπνευστί. hic Athenæus quędam Antiphanis carmina recitat, vt id, quod dixerat, eius poëtæ auctoritate confirmet, quæ nos breuitatis gratia prætermittimus, apud ipſum etenim inſpici poterunt. verba porrò nuper allata ſic Latinè ſonant. Verùm vbi ſatis iam vagati ſumus, dicendum eſſe videtur, quam pęnam ij ſubibant, qui propoſitum ſibi ęnigma non ſoluiſſent. bibere igitur hi cogebantur ſalſuginem in potu, atque poculum ſine reſpiratione haurire oportebat. Hoc idem confirmat etiam Iulius Pollux ὀνομας. lib. 6. vt non ſit amplius dubitandum de ſinceritate ſcripturæ in Horatiano contextu, quod initiò fuit nobis propoſitum demonſtrare.

Diſputatum de vera ſcriptura carminis Tibulliani aduerſus Ioſephum Scaligerum. Cap. XVI.

TIBVLLI verba ſunt hæc eleg. 1. lib. 3.
Sed primùm nympham larga donate ſalute,

Atque

Atque hæc ſubmiſſo dicite verba ſono:

Quibus quid poteſt inueniri ſuauius, atque concinnius? & tamen in ipſis aliquid offendit Scaliger, quod ſuo palato non multùm ſaperet, admonet igitur legi debere ex vetere ſcriptura.

Sed primùm meritam longa donate ſalute.

„ Longum ſoluere, longum valere dicebant,

Et longùm formoſe vale, vale, inquit Iola.

Ego quid veteris libri teſtimonio opponam non habeo, niſi quòd vi deo ipſum adeò frequenter peccare, & mendis refertum eſſe, vt exiſtimem ipſum aut imperiti alicuius amanuenſis opera fuiſſe deſcriptum, aut à Scaligero, cùm audaciam ſuam aliquo prætextu tegere vult, tanquam teſtem domeſticum in medium produci: Quid hominis auctoritati obijciam abundè ſuppetit: nam quòd ait longùm ſaluere idem eſſe, quod longùm valere, ſit ita ſanè, nihil pugno, dico tamen hoc loquendi genus in rebus triſtibus vſurpari conſueuiſſe, quod, præter cætera, Virgilij teſtimonium ab ipſomet Scaligero ad ſententiam ſuam confirmandam illic citatum, ſatis indicat: ſic etiam dicebant Græci μακρὰν χαίρειν, quod prouerbium interprætatur Lu„ cianus in hanc ſententiam τὸ γοῦν μακρὰν χαίρειν, τὸ μηκέτι φροντιῶν δηλοῖ. id eſt, hoc dictum longùm valere, declarat, nobis non amplius curæ futurum: itaque M. Tullius epiſt. ad Atticum lib. 8.
„ At ille, inquit, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens contulit ſe Brunduſium: Hippolitus apud Euripidem

Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πολλ᾽ ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Id eſt. Veneri tuæ multùm valere renuntio: Eodem quoque intellectu dicebant veteres Æternùm valere, vnde iocus Martialis in Pontilianum lib. 5.

Sæpe ſalutatus, nunquam prior ipſe ſalutas,
Sic erit æternùm, Pontiliane, vale.

Et Virgilius. *ſalue æternùm mihi maxime, Pallas,*
Aeternùmque vale. Catullus item.
Atque in perpetuum, frater, aue, atque vale.

Poteris etiam de hac re conſulere Lucianum in Apologia, qua ſe tuetur, quòd in ſalutando lapſus fuerit. Ille igitur ſenſus nullo modò facit ad Tibulli mentem, ſicut videre omnibus in promptu eſt; quare Scaligero longùm valere iuſſo, veterem lectionem retinere non dubitabimus.

Ciceronis contextus emendatus. *Cap. XVII.*

EX veſtigijs peruetuſtæ cuiuſdam membranę, poſt multam denique animi in diuerſas partes intentionem conieci locum quendã apud

apud M. Tullium De Nat. Deor. 2. Ita legi oportere. Omnes igi-
„ tur partes mundi tangam, quæ maximo calore fultæ ſuſtinentur,
„ quod primùm in terrena natura proſpici poteſt.

Nam & lapidum flictu elici ignem ſæpè videmus,
Et foſſione recente humum fumare calentem,
Iugibus atque etiam ex puteis calidam trahi aquam,

„ Cùm antea paſsim nullo diſcrimine legeretur, Nam & lapidum con-
„ flictu, atque attritu elici ignem videmus, & recenti foſsione terram
„ fumare calentem, atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi: Videntur. n. eſſe carmina ex vetuſto aliquo poëta deprompta eius nomine interim ſuppreſſo, quod familiare eſt M. Tullio: De carminum autem modulo nihil habeo neceſſe eruditum lectorem admonere, nam qui in vetuſtiſsimorum poëtarum ſcriptis Ennij, Cæcilij, Andronici, Lucilij, cæterorum verſati ſunt, ſatis norunt vocales, cùm non eliduntur, breue tempus obtinere; itemque heroicum carmen in vltima ſede iambum aliquando recipere, cuius generis verſus Myuri, ſeu Teliambi nuncupantur, qualis eſt Liuij Andronici ille.

Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes,

Et ille alter Maronis (vt quibuſdam placere video)

Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

Etſi admonet nos Beda in libro de metris priorem ſyllabam in Aqua interdum produci, atque ita citat hunc verſum Lucretij ex. 6.

Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atque ſaporem.

Voce Flictus Virgilius quoque vſus fuit Æn. 9.

Sternitur omne ſolum telis: tùm ſcuta, cauæque
Dant ſonitum galeæ flictu; pugna aſperſa ſurgit.

Necnon Auſonius Epiſtola quapiam ad Paulinum.

Cymbala dant flictu ſonitum.

Hanc vocem aliquantulùm obſcuram qui declarare voluit; illic apud M. Tullium ad codicis marginem Attritu ſcripſit, quod ſcholion deinde pro more facilè in contextum irrepſit. Porrò quòd ad ſententiam illorum carminum attinet (vt de hoc etiam ἐν τῷ παρόδῳ lectorem breuiter admoneã) coniungenda ſunt, & quaſi in propinquo ſtatuenda illa altera Lucretij ex lib. 6.

Frigore cùm premitur porrò omnis terra, coitque,
Et quaſi concreſcit: fit ſcilicet, vt coeundo
Exprimat in puteos, ſi quem gerit ipſa calorem.

Ad quæ deinde videndus eſt Alexander in Probl. Ex lapidum verò quorumdam attritu ignem excitari docet eadem loco idem auctor cuius etiam verba viſum eſt adſcribere, vt intelligatur, cur de opinione vocem Sæpe repoſuerim, quæ in Ciceronis contextu defecerat.

inquit igitur, quærens, cur non omnium attritu lapidum ignis excu
„ datur. διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς χαύνους ϗ κούφους ϗ ἀραιοπόρους οὐχ' ὁμοίως
„ παρατριβόμενος ὁ ἀὴρ λεπτύνεται, μήτε σφοδρῶς πληττόμενος. ϗ
„ διὰ τὴν κουφότητα φεύγων τε ϗ ἔχων ἐν τοῖς πόροις, ὁμοτίμως πᾶς οὐ
„ πλήττεται ϗ ἐκπυροῦται. τὸ αὐτὸ ϗ ἐπὶ ξύλων παρατριβομένων. hoc eſt. Quia pleriq; cedentes nimiũ ſunt, nimiumq; leues, & laxis meatibus: neque .n. pariter percuſſus aër attenuat̃; quippe qui neq; vehementer ob leuitatẽ percutit̃, & fugit, recceditq; intra meatus. Non ergo pariter totus percutit̃, atq; igneſcit. idẽ & lignorũ euenit attritu.

Vetus lectio, quam Petrus Victorius ex M. Tullij codicibus eiecerat, in ſuam ſedem reſtituta. Cap. XVIII.

MAGNA eſt apud me Petri Victorij auctoritas, atque eum hominem tanti facio, vt nullum omninò magis, noui .n. quàm diligenter verſatus ſit in omni literarum genere: Verùm cùm mihi ratio aliter ſuadet, facere non poſſum, quin eam ſequar, libentique animo complectar, quod tantùm abeſt, vt viro illi in primis candido, ac probo moleſtum ſit, vt hoc etiam nomine ſperem eius me gratiã, atque amorem promeriturum, itaque, quod cum eius bona venia fiat, aliter cenſeo de loco quodam Ciceronis, atque ipſe exiſtimauerit, putoque illum non modò corruptum, deprauatumque non eſſe, ſed vehementer corrumpi, ac deprauari, ſi eo modo legatur, quo modo vir ille caſtigauit: ſed M. Tullij verba prius ſpectanda proponam, deinde, quid mei ſit iudicij, breuiter explicabo. Epiſtola ad Q. Fratrem, cuius initium: Ad. vi. Id. Octobris, ſic inquit Cicero.
„ Cùm Gabinius quacunque veniebat, triumphum ſe poſtulare dixiſ-
„ ſet: ſubitòque bonus imperator noctu in vrbem hoſtium planè inua
„ ſiſſet, in Senatum ſe non committebat. Hic Victorius neſcit ſe explicare ab illa voce hoſtium, quare coniecturam facit, eam in M. Tullij verborum contextũ falsò irrepſiſſe pro eo, quod eſſe debebat
„ noctu, ſic. Subitòque bonus imperator noctu in vrbem, noctu pla-
„ nè inuaſiſſet, & quæ ſequuntur: Ego nullum vitium in vulgata lectione manere arbitror, ſed illud induci conſtanter affirmo, ſi ita, vt Victorius cenſet, reponatur: nam cùm velit M. Tullius Gabinij factum vituperare, eiuſque impudentiam, & legum contemptum ſignificare, rectè dixit eum noctu in vrbem hoſtiũ planè inuaſiſſe, etenim cùm Imperatori per leges non liceret vrbem ingredi, ſed oporteret eum extra portas commorari, qui aliter facit, videtur vrbem illam, cuius leges contemnit, pro hoſtili aliquo pacto habere, & aduerſus eam arma ferre, quod fecit Gabinius: ſi verò legeremus noctu planè,

vt emen dat Victorius, non modò boni illius Imperatoris facinus non amplificaret Cicero, ſed miris modis extenuaret, ſiquidem Gabinij nocturnus in vrbem ingreſſus, vt ſit contra leges, præſefert tamen quandam modeſtiam, & in eo, quod peccatum eſt, oſtendit neceſsitate aliqua potius admiſſum eſſe, quã voluntate, legumq; contẽnendarũ ſtudio, nam qui clàm, & occultè contra leges facit, magis dignus venia videri ſolet, quàm qui interdiù, ac palàm nullo reſpectu in eas committit: igitur non modo conſilium ſuum Gabinij criminis augendi non aſſequeretur Cicero, ſi dictionem Noctu illic iteraret, ſed illud vehementer turbaret, atque peruerteret.

Quid ſit, Animas fouere apud Virgilium, nouo ſenſu explicatur. *Cap. XIX.*

ALITER accepiſſe videtur Iſidorus, quod eſt apud Maronem Animas fouere in Georgicis. *animas; & olentia Medi Ora fouent illo.* Quàm Grammatici noſtri, eiuſque poëtæ interprætes fecerint; quibus Animas fouere nihil aliud ſonat, quàm graueolentiam oris, & anhelitum ſedare: verùm is, quem nominaui, Iſidorus eo ſermone vtitur, cùm de malo medico loquitur, vt non leuem mihi ſuſpicionem inijciat, exiſtimaſſe ſe per Animas fouere intelligi debere ſpiritum veneni vi commotum, & iam iam è corpore migrare properantẽ retinere, ac vitam deniq; ipſam illius pomi odore, aut eſu producere: Verba, quibus hanc ſententiã contineri ſuſpicor, poſita ſunt apud illum ipſum ſcriptorem libro Orig. 17. vbi de proprijs nominibus arborum loquitur: ea, vt omnibus rem diligenter examinare volentibus quærendi compendium afferam, placitum eſt adſcribere. ſunt autem hæc. „ Malum eius (Medicæ arboris) „ inimicum venenis, & hoc eſt, quod idem poëta (Maro) intelli vo- „ luit, cùm tradit ex illa foueri animam. Conſtat autem Iſidorum tacitè denotare voluiſſe locũ illum Virgilij; quem ſupra demonſtraui.

Senecæ Philoſophi locus reſtitutus. *Cap. XX.*

CÆLII Secundi Curionis auctoritas in humanioribus diſciplinis magni apud omnes ponderis eſt, vt iure quidem merito eſſe debet: Eius induſtria L. Annæi Senecæ monumenta caſtigatiora, atque emendatiora in manus hominum prodierunt, haud ita tamen, vt non alicubi prioris maculæ notæ diligenter intuenti appareant, & quaſi vulnerum cicatrices agnoſcantur: Cuius rei ſpecimen aliquod interdum præbere volo in his meis adnotationibus, vt cautè, ac cir-

cumſpectè in Senecæ ſcriptionibus etiamnũ ſe verſari debere lector intelligat, nec Cęlij auctoritate tranſuerſum ſe rapi ſinat, valdè.n. de hoc dubitandum erat propter hominis celebre nomen apud eruditos: plures autem Senecæ loci à nobis emendabuntur in ijs Commentarijs, quos ad ſeptem de Beneficijs libros nuper confecimus: ſed hoc interim agamus, caſtigemuſque, aut lucem ſaltem aliquam inferamus (neque.n.emendatione magnopere indiget) cuidam loco, qui poſitus eſt libro Controu. 3. in hæc verba. Non eſt facile hominem
» occidere: premo interim gemitus meos, & introrſus hærentes lachrymas ago. Vidit Cælius intempeſtiuum, & alienum à re propoſita verbum; ſed tamen non potuit veram loci ſcripturam inueſtigare: ne tamen nihil dixiſſe videretur, admonuit legendum eſſe Erumpentes, vel Habentes, aut etiam, quod magis placet, Labentes: quod ego tamen nimis longè à vulgatę lectionis veſtigijs abeſſe iudico: itaque propius ad ea accedens germanam ſcripturam eſſe arbitror, ſi legamus Arentes, id quod Senecæ mens, & literarum ductus quodammodo expoſcere videtur, cui etiam accedit ſimilis in pari propemodum re loquendi formula ab Ouidio Faſt. 4. vſurpata ibi.

Hęc vbi rex didicit, lacbrymas intorſus obortas
Deuorat, & clauſum pectore vulnus habet:

Martialis libro 10.

Quàm multi faciunt, quod Eros, ſed lumine ſicco.
Pars maior lacbrymas, ridet, & intus habet.

Quibus coniecturis affirmare auſim, ita proculdubio Senecæ locum corrigi debere, modò ſi correctione vlla opus habet, nam (verum vt fatear) nondum ſatis conſtitutum habeo, oporteatne vulgata ſcriptura, tanqnam minus apta, ex illius auctoris contextu à nobis reijci.

Nonii Marcelli contextus aduerſus Lodouicum Carrionem examinatus. Cap. XXI.

NEMO profectò eſt tàm hebetis igenij, vt non intelligat noſtros iſtos veterum librorum interpolatores nihil magis curare, quàm vt adnotamẽtis neſcio quibus iuſtũ aliquod volumen conficientes nomen ſuum poſteritati commendent, quæ ratio ſicut aliqua laude digna cenſeri debet, tametſi paruo omninò labore vel à mediocris literaturæ hominibus comparari poteſt, ita periculi plena eſt, ſæpeque offendit, niſi cautè, diligenterque tractetur, ac periculi quidem, offenſioniſque cauſſa eſt tùm multa congerendi deſiderium, ingenijq; oſtentandi libido, vnde fit, vt in falſas nonnumquam opiniones prolabamur, tùm verò nimis magna fides, quàm carioſis quibuſdam membranis

branis huius notæ homines adhibere conſueuerunt, quarum etiam auctoritate audaciæ ſuæ patrocinium ſæpenumero quærere ſolent. Ego tamen ita exiſtimo: primùm non oportere facilè, præcipitanterque vulgatas lectiones, & communi eruditorum conſenſu iamdiù receptas de ſua ſede deijcere, deinde rationem potius, quàm imperitorum amanuenſium *φαντασίας* in conſilium eſſe adhibendam, quòd ſi & ratio, & manu deſcriptorum codicum auctoritas conſentiant, & quaſi inter ſe conſpirent, tùm verò liberè, ac tutò pronunciare licebit: atque hoc eò potiſsimum ſpectat, vt ſtudioſos adoleſcentes, quos hanc rationem nominis ſui propagandi nuper inijſſe video, amãter admoneam, vt cautius, & religioſius poſthac in hoc ſtudiorum genere verſentur: nam & famæ ſuæ præclarius conſulent, & veterum ſcriptorum monumenta emendatiora, cuius rei vehementer cupidi videri volunt, poſteris relinquent: Huius ego ſtudij multa exempla hactenus propoſui, & nunc maximè ſpecimen aliud præbere ſum paratus. Nonius in Toga ita ſcriptum habet. Dicta eſt
„ à tegendo, & eſt, ſicut in conſuetudine habetur, veſtimentum,
„ quo in foro amicimur: dicitur & tectum. Titinnius Gemina. Sy-
„ rus cum ſcorto conſtituit ire, claues ilico abſtrudi iubeo, ruſti-
„ cæ togæ ne ſit copia. id eſt tecti. Quod rectum eſt, & nullius indiget curationis: dicit.n. togam ſignificare veſtimentum, quo in foro amicimur, atque hanc huius vocis communem, vulgatamque eſſe notionem affirmat, quæ tamen interdum longius ducitur, atque eò quidem, vt ad tectum ipſum oſtendendum porrigatur, quod Titinij auctoritate planum fit, is.n. alicubi hoc ſenſu vocem illam vſurpauit: Videamus nunc quod venenum pro antidoto nobis propinanerit Lodouicus Carrio; is igitur hunc locum egregia coniectura ita
„ legendum putat. Dicitur & tectum. Titinnius Gemina: Syrus cum
„ ſcorto conſtituit ire, claues ilico abſtrudi iubeo, tecti ne ſit copia, id
„ eſt ruſticæ togæ: rationem illic ſubdit Carrio, quia (inquit) Nonius exemplo in eam rem quæſito, tectum eſſe togam docere vult, nunc contrà, quaſi ſui eum pæniteat inſtituti, togam interprætatur tecti nomine. Fallitur homo hic, totoque aberrat cælo, nam adhùc pergit Nonius alteram illius vocis notionem explicare, cuius rei argumento eſt, primùm quia dixit, Sicut in conſuetudine habetur, vt valdè conſentaneum fuerit alterius notionis exemplum deinde producere de toga, quæ tectum ſignificaret: Inſuper ſcriptura veteris libri, quem citat Carrio, Si rus, oſtendit Syrum, qui cum ſcorto proficiſci conſtituit, rus ire decreuiſſe, itaque quicunque voluit ipſius profectionem impedire, abſcondere debuit claues villæ, non togæ, nam qui rus concedunt, non modò togam non induunt, ſed ſi ea induti

ſunt, ipſam deponere conſueuerunt: Poſtremò etſi noua hæc emendatio tolerari poſſet, ob hoc certè ferenda non eſt, quia nulla impellente neceſsitate veterem ſcripturam expungit, quam emendandi rationem peſsimi exempli eſſe iamdiù ſæpe admonui, cuſtodiámus igitur antiquam lectionem, intelligamuſque Nonij verba, Dicitur & tectum, vt toga ὑποκιμένυ locum obtineat, tectũ verò κατηγορȣμένȣ.

Verborum quorundam Liuij verus ſenſus aperitur, qui Beatum Rhenanum latuit. Cap. XXII.

QVAS tragœdias excitauit Beatus Rhenanus ſuper his Liuij verbis è ſecundō ab vrbe condita? Sed curæ fuit Conſulibus, & ſenioribus patrum, vt imperium ſuo vehemens, manſueto permitteretur ingenio: Quę tandem priſtinę ſinceritati ſe reſtituiſſe arbitratur, ſi pro Permitteretur, Remitteretur legat, & vocem Imperium in Imperio commutet: Ipſe, qui eo ingenij acumine præditus non ſum, quo Rhenanus locos maximè integros, atque emendatos, mancos, corruptoſque eſſe penitiſsimè introſpicit, nihil prorſus hæreo in eorum verborum ſententia, perindeque accipio, ac dictum ſit, maximè curaſſe populum, & ſeniores patrum, vt imperium, quod App. Claudio demandatum vehemens fuiſſet propter hominis immitem, & efferam naturam, manſueto alicuius ingenio permitteretur: quomodo etiam locutus eſt Syneſius epiſtola quapiam Ioanni miſſa. ἀλλ᾽ ἀνδριςέον, ὦ γεννᾶιε, γεννεᾶιος γὰρ ἐης. hoc eſt. At viriliter agendum eſt, ò generoſe, nam generoſus eſſes: à quo dicendi genere non puto eſſe valdè alienum illud alterum Horatij.

Negligens, nequa populus laboret,
Parce priuatus nimium cauere. & rurſus alibi.
Illic matre carentibus
Priuignis mulier temperat innocens. atque iterum alia Oda.
Donarem pateras, grataque commodus
Cenſorine, meis æra ſodalibus. & in Satyra.
Si veneror ſtultus nihil horum, ò ſi angulus ille.

Sic etiam ſæpè alibi locutus eſt: quare Liuij verba nullam maiorem difficultatem continere mihi videri ſolent, quàm quòd à Rhenano haud ſatis intelliguntur.

Martialis epigramma obſcurum declaratur. Cap. XXIII.

COGIT *me Titus actitare cauſſas;*
Et dicit mihi ſæpè magna res eſt.

Res

Res magna eſt, Tite, quam facit colonus.

Hoc Martialis epigramma ex lib. 1. non omnes eodem modo legunt, &, quod conſequens eſt, diuerſimodè interpretantur, nam Domitius interrogatiuè, affirmatiuè Perottus pronunciat. Ipſe cur poſteriorem hanc ſcripturam potius ſequar, non leues cauſſas habeo: ſed inſtar omnium erit alluſio ad amatoris illud factum, quod narrat Pha
,, uorinus referente Stobæo, his verbis. *φασὶ δὲ καὶ ἑταιρικόν τινα*
,, *ἀναγκαζόμενον ὑπὸ τοῦ πατρὸς γεωργεῖν, ἀπάγξασθαι, γράψαντα*
,, *ἐν γραμματιδίῳ ὅτι ἀπέραντόν τι καὶ ἀκατάστροφον ἡ γεωργία ἐστί.*
,, *σπείρειν, ὅπως θερίσωμεν. εἶτα θερίζειν, ὅπως σπείρωμεν. ἄτοπόν*
,, *τι τὸ χρῆμα τῆς περιόδου.* hoc eſt. Aiunt amatorem quendam à patre terram colere coactum, laqueo finiuiſſe vitam, cùm in tabella ſcripſiſſet, agriculturam rem eſſe infinitam, & nunquam abſolui: ſerendum.n.vt metamus, & metendum, vt ſeramus, abſurdo rei circuitu: Non abſimili quoque ſententia dictum eſt à Socrate apud Platonem in Axiocho agriculturam totam vlcus eſſe *ἀλλ' οὐχ ὅλη, ὥς*
,, *φασιν, ἕλκος, ἀεὶ λύπης πρόφασιν εὑρισκόμενος*; i. verùm an non tota (quod aiunt) hulcus eſt, ſemper moleſtiarum occaſionem ex ſe gignens? Suſpicor igitur non incommodè Martialis epigramma hùc referri poſſe: verùm ſequatur quiſque, quod ſibi probabilius viſum fuerit: neque.n. adeò huic ſententiæ addictus ſum, vt eam mihi extorqueri libenter non ſim paſſurus.

Diſputatio ſubtilis de loco, in quo Romulus, & Remus expoſiti fuiſſe dicuntur. Cap. XXIIII.

OCCVRRIT mihi non leuis difficultas in hiſtoria, quæ de Remi, ac Romuli ortu, vrbiſque Romæ incunabulis à Plutarcho, & Liuio commemoratur, cui diſſoluendæ quoniam me imparem eſſe video, ſtudioſorum opem, atque auxilium implorare decreui, & ab eis quæſtionis exitum ſciſcitari. Scribunt Plutarchus, & Liuius Amulium Albanorum Principem, cùm cognouiſſet Syluiam Numitoris fratris filiam geminos peperiſſe, ab eiuſque ſobole, quòd ipſe Numitori puerorum auo imperium eripuiſſet, valdè ſibi metueret, iuſsiſſe geminos in profluentem abijci: quod munus miniſter quidem regius executus eſt ipſis in Tyberis alueo expoſitis, quà non longè ab Albæ mœnibus fluebat, ſic.n.ſcribit Liuius hac de re. Sacer-
,, dos in cuſtodiam datur, pueros in profluentem aquam mitti iubet.
,, Sorte quadam diuinitus ſuper ripas Tyberis effuſus lenibus ſtagnis,
,, nec adiri vſquam ad iuſti curſum poterat amnis, & poſſe quamuis lan-
,, guida mergi aqua infantes, ſpem ferentibus dabat, ita velut defun-

ſti

„ ꝺi regis imperio in proxima alluuie, vbi nunc ficus Ruminalis eſt,
„ (Romularē vocatam ferunt) pueros exponunt: vaſtæ tum in ijs locis ſolitudines erant: Ex his igitur Liuij verbis, quibus paria narrat Plutarchus, colligitur id, quod factū fuiſſe, veriſimile quoq; videtur, nimirum pueros in proximū Albę alueū abiectos fuiſſe, cùm hęc.n.illic gererentur, cur longinquius mortis cauſſa geminis illis arceſſenda fuit? Certum itaque eſt infantes in proximo alueo expoſitos fuiſſe: ſubdit
„ deinde Liuius. Ita Numitori Albana permiſſa re, Romulum, Re-
„ mumque cupido cepit, in ijs locis, vbi expoſiti, vbiq; educati erant, vrbis condendæ: & reliqua: Quo cum totidem ferè verbis conſentit Plutarchus, & res ipſa ita factum fuiſſe docet: Romulus igitur, & Remus expoſiti fuerunt in ea Tyberis parte, vbi nunc Roma viſitur, nominatim in loco, qui ficus Ruminalis nuncupatur: atqui Alba longa diſtat ab his locis paulò minus centum viginti octo ſtadijs, quæ conficiunt ſexdecim millia paſſum: quæ ſi vera ſunt (vt quidem eſſe nemò dubitat) nō video quo modo à duobus illis primi nominis ſcriptoribus proditum ſit, Romulum, & Remum in proximo alueo expoſitos fuiſſe: Exiſtimaui aliquando dici poſſe Syluiam inter Virgines Veſtales aſſeruatam fuiſſe in templo illius Deæ, quod longè ab vrbe in ſepoſito aliquo loco ſitum eſſet, cuiuſmodi noſtra ætate multa paſsim reperire licet: Verùm hanc totam rem mecum diligentius reputanti non placuit commentum, neque ſatis tūtum perfugium viſum eſt ad difficultatem vitandā, propterea quòd Veſtales Virgines in illis regionibus, vbi deinde Roma ędificata fuit, ante Numæ tempora, aut (vt alijs viſum eſt) ante Romuli ætatem, fuiſſe non conſtat, velut ex eiſdem auctoribus, præter cæteros, cognoſci poteſt: Deinde Virgines Veſtales vrbem incolebant, neque ab ea ipſis abeſſe licebat: Quocirca fortaſſe dicere poſſumus pueros ablegandi curā Fauſtulo Regij pecoris magiſtro, qui Palatinum montem incoleret, demandatam fuiſſe, ipſumque in ſubiecto Palatino colli flumine alueum, in quo gemini illi infantes continerentur, expoſuiſſe, quæ vna ratio difficultatis à me propoſitæ effugiendæ tutiſsima videtur interim, dum commodius quippiam à ſtudioſis in medium conferatur, quod vt faciant, etiam, atque etiam rogo.

Cur Africa tonſa dicta ſit à Propertio contra Ioſephi Scaligeri ſententiam demonſtratum. *Cap. XXV.*

TESTOR *maiorum cineres tibi Roma colendos,*
Sub quorum titulis Africa tonſa iaces.

Ioſephus Scaliger vir alioqui doctus, & de literis non omninò male-

ribus

meritus (dixiſſem optimè, ſi aliquantulum modeſtius à bonis auctoribus manus continere ſciuiſſet) hunc Propertij locum ex epiſtola Corneliæ ad Paulum, quæ poſtrema eſt elegia libri quarti, enarrans
,, in ſuis ad illum poëtam caſtigationibus inquit, Eſſet ſimile illi.

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν.

Conſilijs noſtris laus eſt attonſa Laconum.

Niſi hoc disertè legeretur eo in loco, nunquam adduci potuiſſem, vt id Scaligero, hoc eſt homini valdè erudito, & in hoc literarum genere magna cum laude verſato, excidiſſe crederem, adeò peſpicuè falſum eſt, & à poëtæ mente alienum. etenim quis ignorat, valere illic apud veterem paëtam Laconum laudem attonſam eſſe. i. Spartę vires à Romanis attritas, atque imminutas fuiſſe, Lacedæmoniorumque imperium propemodum labefactatum? hoc quidem etiam minutis iſtis magiſtellis notum eſt: quæ ſignificatio quàm aptè verbo Tondere conueniat, tunc demum intelligemus, cùm Herodotum audiemus adiunctum illud, quod Propertius Africæ tribuit, lucidiſsimè aperientē: Sic autem inquit Gręcus auctor in Thalia, dum rationem reddit, quamobrem Perſarũ capita fragilia ſint, & cuiuſlibet lapilli ictui peruia; Ægyptiorum vero ſolidiora, & quæ vix ictu lapidis elidi poſsint: ſed præſtabit vniuerſum locum appingere, vt res melius, ac
,, planius intelligatur: ait igitur. θῶυμα δὲ μέγα εἶδον πυθόμενος παρὰ
,, τῶν ἐπιχωρίων. τῶν γὰρ ὀστέων περικεχυμένων χωρὶς ἑκατέρων τῶν
,, ἐν τῇ μάχῃ ταύτῃ πεσόντων, χωρὶς μὲν γὰρ τῶν Περσέων ἔκειτο
,, τὰ ὀστέα, ὡς ἐχωρίσθη κατ᾽ ἀρχάς, ἑτέρωθι δὲ τῶν Αἰγυπτίων: αἱ
,, μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσὶ ἀσθενέες οὕτω. ὥστε εἰ θέλεις ψήφῳ
,, μούνῃ βαλέειν, διατετρανέεις: αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων οὕτω δή τι ἰσχυ-
,, ραί, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥήξειας: αἴτιον δὲ τούτου τόδε ἔλεγον:
,, καὶ ἐμέ γε εὐπετέως ἔπειθον, ὅτι Αἰγύπτιοι μὲν αὐτίκα ἀπὸ παιδίων
,, ἀρξάμενοι ξυρεῦνται τὰς κεφαλάς; καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ
,, ὀστέον. τὠυτὸ δὲ τοῦτο, καὶ τοῦ μὴ φαλακροῦσθαι αἴτιον ἐστί: Αἰγυπτίων
,, γὰρ ἄν τις ἐλαχίστους ἴδοιτο φαλακροὺς πάντων ἀνθρώπων: τούτοισι
,, μὲν δὴ τοῦτο ἐστὶ αἴτιον ἰσχυρὰς φορέειν τὰς κεφαλάς. τοῖσι δὲ Πέρσῃσι
,, ὅτι ἀσθενέας φορέουσι, αἴτιον τόδε: σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς πίλους τιάρας τε φορέοντες. Quæ ſic Latinè ſonant. Ibi ego rem mirandam vidi ab indigenis edoctus: Oſſa eorum, qui in acie ceciderunt, quùm iacerent fuſa, vt ab initio diſtincta fuerant, ſeorſum erant Perſarum, aliorſum Ægyptiorum: Sed Perſarum capita adeò fragilia ſunt, vt, ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſsis. Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas: Cuius rei cauſſam hanc illi reddebant (facilè mihi perſuadentes) quòd Ægyptij ſtatim à pueris capita radere incipiunt, & os capitis ad ſolem redditur compactum,

pactum, quæ eadem cauſſa eſt non calueſcendi: Nam ex omnibus hominibus pauciſsimos quis Ægyptios caluos videat. His igitur hoc cauſſæ eſt, cur robuſta capita geſtent, at Perſis, cur fragilia ſint capita, id in cauſſa eſt, quod à principio in vmbra nutriti aſſuefiunt operire capita geſtantes pilea, tiaraſque: Id etiam Syneſius in Caluitiei encomio hoc ipſo Herodoti loco prolato confirmat, vnde ſatis, ſuperque iam conſtare arbitror, cur Africam tonſam vocauerit Propertius eo carmine, nam quod Herodotus de ſolis Ægyptijs prodiderat, potuit ſuo quodam iure ad vniuerſam Africam poëta tranſferre, atque ita ex recondita hiſtoria petito adiuncto ſuas ſcriptiones exornare: Et alioquin (vt paulò ſupra innui) aliud valet tondere, & tonſa, aliud attondere, & attonſa; vt notum eſt. Denique his omnibus non contentus Scaliger, legit Tanta θαυμαστικῶς, quam ſcripturam caſſa nuce non emam.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER SEPTIMVS.

Ciceronis quædam ſententia à Iulii Sireni calumnia vindicata. *Cap. I.*

NON profiteor me magnum Philoſophum, ac (verum vt fatear) ne philoſophum quidem, auſim tamen conſtanter affirmare parùm vidiſſe Iulium Sirenum in M.Tullio reprehendendo, quo loco ſummus ille orator, ac philoſophus de fato diſputaturus quæſtionis θέσιν proponit his verbis. Quę
„ ro igitur, atque hoc latè patebit, ſi fati omninò nullum nomen, nulla
„ natura, nulla vis eſſet, & fortè, temerè, & caſu pleraque fierent, aut
„ omnia, num aliter, ac nunc eueniunt, euenirent? Iulius Sirenus lib.
de fato. 1. in ipſo ſtatim veſtibulo haud leuiter Ciceronem inceſsit, maioremque in tanto viro diligentiam, & eruditionem requirit, hac enim in re valdè imperitè ipſum ſe geſsiſſe putat. Quoniam (inquit)
„ ſtante quæſtionis tali ſuppoſito, quæſtionis locus relictus eſt nul-
„ lus: ſi.n.quippiam caſu, temerè, ac fortuitò factum ſit, vel nunc fiat,
„ aliter, quàm vel prius factum fuerit, vel nunc fiat, ſine dubitatione
„ fieri vel potuit, vel nunc poteſt, eſt.n.contingens, habetque ſe ad
„ vtrumque ex natura eorum, quæ caſu, & fortuitò fiunt: Hæc & multa alia in M. Tullium Sirenus, quæ auctoris ſui inſcitiam manifeſtò produnt, neque.n.vidit Sirenus quæſtionem illam à Cicerone proponi, quæ ſumma contentione inter Diodorum Dialecticum, & Chry
„ ſippum Stoicum agitabatur, cùm alter id ſolum fieri poſſe diceret,
„ (ſunt autem hęc ipſius Ciceronis verba in libro de Fato) quod aut ſit
„ verum, aut verum futurum ſit; & quicquid futurum ſit, id dicit fieri
„ neceſſe eſſe, & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Chry
„ ſippus verò, & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicit, vt frangi hanc
„ gemmam, etiamſi id nunquam futurum ſit: Ac Diodori quidem rationem, quoniã ea abſurda aliquo pacto videri poteſt, Sirenumque fefellit, operępreciũ eſt planius adhuc aperire, id quod Alexandri Aphrodiſienſis verbis facere decreui, nam is eam luculentè explicat in commentarijs in primum τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν, vbi hæc verba leguntur.

„ guntur. *δύναται λέγειν καὶ περὶ τῶν δυνατῶν τοῦτε ὃ Διοδώρῳ λέγε-*
„ *ται, ἤγουν ὃ ἐστὶν ἢ ἔσται, τὸ γὰρ ἢ ὂν ἢ ἐσόμενον πάντως δυνατὸν μό-*
„ *νον ἐκεῖνος ἐτίθετο, τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κα-*
„ *τ' αὐτὸν εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι, εἰ δὲ μὴ γενοί-*
„ *μην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικὸν δυνατὸν εἰ ἔσοιτο*. & reliqua: hoc eſt. Poteſt etiam de poſsibilibus dicere, tùm eo, quòd à Diodoro dicitur; quod videlicet vel eſt, vel erit: quod.n. vel eſt, vel futurũ prorſus eſt, poſsibile id tm̃ ſtatuebat. Me enim Corinti eſſe poſsibile iuxta ipsũ erat, ſi Corinthi eſſem futurus, vel prorſus eſſem: ſi aũt nõ eſſem futurus, ne poſsibile quidẽ erat. puerũ item eſſe grammaticum poſsibile apud ipſum erat, ſi erat futurus. Eandem quoq; ſententiã latenter attingit in libro de Fato, cũ inquit, abſurdũ eſſe dicere ęq; ex neceſsitate eſſe in aliquo, quorũ ſuſcipi contraria nõ poſſunt, ab ijs, in quibus ſunt, & ea, quæ nihilo magis ipſa, q̃ ipſis contraria, quouis poſſunt tempore ſuſcipere: Neq; non idem proſequitur Natur. quęſt. lib. 1. cap. 4. à quo non abhorrent, quę ſcripta ſunt ab Ariſtot. Metaphyſic. 9. Sed & ipſe Cicero cum Varrone doctiſsimo viro ſeriò iocans vtramque opinionẽ (Diodori inquam & Chryſippi) attingit, epiſtola nimirum qurta libri 9. earum, quas ad fami-
„ liares conſcripſit *περὶ δυνατῶν* (inquit) me ſcito *κατὰ Διόδωρον κρί-*
„ *νειν*, quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire, ſin autem
„ non es, *τῶν ἀδυνατῶν* eſt te venire, nunc vide vtra te *κρίσις* magis
„ delectet, *Κρυσιππεία* ne, an hæc, quam noſter Diodorus non concoquebat. Puto iam vel ex ipſo etiam M. Tullio abundè me oſtendiſſe huiuſmodi *θέσιν* ab eo in libro de Fato propoſitam fuiſſe, quæ adhuc ex Diodori decreto in diſquiſitionem vocari poſſet, itaque meritò Sirenus à me reprehenſus eſt.

Obſcurus Iuuenalis ſenſus patefactus. *Cap. II.*

PVLCHERRIMA Iuuenalis ſententia ignoratione antiquitatis non percipitur, nec quid poëta ſibi voluerit ſatis liquidò cognoſcitur eo in loco Satyræ quintæ.

Qui tegitur parma, & galea, metuensque flagelli
Diſcit ab hirſuta iaculum torquere capella.

Interpretes omnes hic ſe ridiculos præbent, atque illi præcipuè inſcitiam ſuam manifeſtius produnt, qui ſe alios doctrina ſuperare iactant; vide, quæſo, quid Calderinus, quid Britanicus, quid Valla, quid Mancinellus, quid Merula ſuper eo loco ſcriptum reliquerunt, moriar ſi riſum continere poteris: audi contra quid ego cenſeam de hac re. Alluſit Iuuenalis ad veterum conſuetudinem, qui infantes

hirci

hirci dorſo imponere conſueuerunt, vt inde equitandi artem, ſimulque iaculandi peritiam minimo periculo primùm ediſcerent; quod ferè docet Homer. Odiſſ. 13. *σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη,*

Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων,

Παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.

Hoc eſt. Propè eum autem venit Minerua, ſimilis viro corpore iuueni, paſtori ouium, permolli, quales filij regum ſunt. Nam quod hic dicitur *ἐπιβώτορι μήλων* in hanc ſententiã à nonnullis accipi ſolet: atq; Heſychius quidẽ præciſè ita declarat. *οἱ γὰρ τῶν βασιλέων υἱοὶ πρῶτον ἐπὶ τῶν κριῶν ἱππεύειν, ἐμάνθανον.* Quin hùc Iuuenalis carmen reſpiciat, nemo ſani capitis inficiabitur: & libet nihilominus lectorẽ interim admonere de vetere illo prouerbio *ἡ αἲξ καθ' ἑαυτῆς τὰ κέρατα*: ſi fortè quicquã ad rem faciat, quod ego ferè crediderim.

Q. Catuli epigramma declaratum. *Cap. III.*

VENVSTISSIMVM, & ab ipſis propemodum Gratijs confectum epigramma legitur apud M. Tullium lib. 1. De Natura Deor. auctore Q. Catulo.

Conſtiteram exorientem Auroram fortè ſalutans,
Cùm ſubitò à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat, cœleſtes, dicere veſtra,
Viſus mortalis pulchrior eſſe Deo.

Vbi quid ſignificet à læua non omnibus notum eſt: imò eos quoque id latere animaduerti, qui alijs veterum poëtarum ſenſa aperire ſe profitentur, itaque operæprecium me facturum arbitratus ſum, ſi veram huius epigrammatis ſententiam oſtenderem, & Q. Catuli mentem patefacerem: Eſt igitur à læua.i. ab Occidua cęli regione, *σκαιὰ* enim *τὰ δυτικὰ*, hoc eſt Occidua dici animaduertit Euſthathius: Hyginus quoque obſeruauit Orientem nominari dextram cęli partẽ, Occidentem verò ſiniſtram; quare Plinius auunculus errantia ſydera lęuum curſum mundi vertigini contrariũ, illo ſemper in dextram præcipiti tenere affirmat; ad q̃ cæleſtium plagarũ deſignationẽ reſpiciens Orpheus poëta vetuſtiſsimus, Solem dextrum Auroram producere, lęuum noctem dixit, hoc eſt, in Oriente diem perferre, in Occaſu noctem: idem etiam confirmat Ariſtoteles, quemadmodum Chalcidius Timæi Platonici interpres teſtatur, neque non item Plutarchus narrat de Placit. Philoſo. lib. 2. tametſi diuerſi diuerſa ſenſerint, quorũ argutas diſceptationes irridet Arnobius lib. aduerſus Gentes 4. Augur apud T. Liuiũ in Numa regiones ab Oriente ad Occaſum determinans, dextras ad Meridiem partes, læuas ad Septentrionem ſtatuit,

quam-

quamquam Ioannes Tzetzes aliter de augurum diſciplina loquatur his verbis.

Οἰωνοσκόποι δὲ, οἱ πρὶν τὰς πτήσεις τῶν ὀρνέων,
Τὰς δεξιὰς τε βλέποντες, ἤτοι τὰς ἐκ τῆς ἕω,
Καὶ τὰς ἀπὸ τῆς δύσεως, ἅσπερ λαιὰς ἐκάλουν. Ἔκρινον. &c.

Hoc eſt. Auſpices autem, qui olim volatus auium dextroſque videntes, ſiue illos ex Aurora, & illos ab Occaſu, quos ſiniſtros vocabant, iudicabant. & reliqua. Iam igitur abundè intelligimus, quid ſibi voluerit auctor eo epigrammate.

Quo indicio deprehendi poſſit, priſcos illos ſapientes viros de religione ſua non omninò rectè ſenſiſſe. Cap. IIII.

ETSI Reip. commodo, & quòd rebus ſuis ita conducere exiſtimarent, priſci illi viri multùm, atq; adeò plurimùm ſuæ religioni deferebant, eamq; in animis hominum, quacunq; ratione poſſent, alere, atque augere ſtudebant, haud propterea ita ſtulti, atque inepti fuiſſe videntur, vt eius vanitatem interdum non agnoſcerent, ipſam que ſummo ſtudio celare conarentur; neque.n.aliter ſentire poterāt, quicumque paulò prudentiores, & rerum diuinarum intelligentiores eſſent: itaque ferunt Catonem quoties in augurem incidiſſet, vix riſum continere potuiſſe gnarum videlicet vanæ, ac ſuperſtitioſæ illius facultatis, & ſcientiæ: Poſſem hoc, quod dico, multis, ac propemodum infinitis argumentis conſtituere: ſed nolo in re valdè perſpicua diutius immorari: hoc vnum præſtabo, vt duo quædam duorum veterum ſcriptorum teſtimonia, quæ hoc ipſum manifeſtò declarant, in vnum conferam, atque in propinquo ſtatuam: quod eò etiā libentius facio, quia video eorum collatione mutuam lucem vtrique inferri, atque alterum altero, neſcio quo modo, magis adhuc aperiri, atque illuſtrari. Ariſtoteles de Rep. lib. 7. qua parte monet benè inſtitutæ vrbis ciues laboribus aſſuetum corpus habere oportere docens quomodo id in mulieribus prægnantibus (nam et has quoq; corporum curam gerere debere affirmat) conſequi poſsit legiſlator
„ inquit, χρὴ δὲ καὶ τὰς ἐγκύους ἐπιμελεῖσθαι τῶν σωμάτων, μὴ ῥα-
„ θυμούσας: μὴ δ' ἀραιᾷ τροφῇ χρωμένας. τοῦτο δὲ ῥᾴδιον τῷ νομοθέτῃ
„ ποιῆσαι, προστάξαντι καθ' ἡμέρας τινὰ ποιεῖσθαι πορείαν πρὸς θεῶν
„ ἀποθεραπείαν, τῶν εἰληχότων τὴν περὶ τῆς γενέσεως τιμήν. hoc eſt. Oportet autem & prægnantes curam gerere corporum, non deſidiæ deditas: neque alimento tenui vtentes: hoc autem facile erit legiſlatori præſtare, ſi iuſſerit, vt ſingulis diebus iter quoddam faciant ad cultum dearum, quę ſunt nactæ honorem, vt opem ferant

genera-

generationi: Vides hic, quomodo velit Ariſtoteles fœminis vterum gerentibus perſuaderi, ipſarum paritiones à Dijs iuuari, doloreſq; ipſarum huiuſmodi dearum beneficio leuari, cùm tamen, ſi cautio illic tradita ſeruetur, huius effectus ratio naturalis ſit nec quicquam in ſe diuini habeat: id.n.eo pacto fœminas conſequi poſſe docuit etiã idem Philoſophus de Hiſt. anim. Similis ferè locus eſt apud Vitruuiũ ad idẽ, quod volo, demonſtrandũ valdè accomodatus: verba Latini ſcri
» ptoris appoſui ex lib. De Archite. 1. Naturalis decor ſic erit: ſi pri
» mùm omnibus templis ſaluberrimæ regiones, aquarumque fontes in
» his locis idonei eligentur, in quibus Fana conſtituentur: Deinde
» maxime Eſculapio, Saluti, & eorum Deorum, quorum plurimi me-
» dicinis ægri curari videntur. cùm.n.ex peſtilenti in ſalubrem locum
» corpora ægra tranſlata fuerint, & è fontibus ſalubribus aquarum
» vſus ſubminiſtrabuntur, celerius conualeſcent. Ita efficietur vti
» ex natura loci maiores, auctasque cum dignitate diuinitas excipiat opiniones.

Cur naues à Lycophrone πελαργοχρῶτιδες vocatæ fuerint aduerſus Gulielmum Canterum. Cap. V.

CVR naues πελαργοχρῶτιδες dictæ ſint à Lycophrone initio Caſſandræ ibi. αἱ δὲ παρθενοκτόνον θέτιν
Ἰυλόπεζοι θεῖνον εὐῶπιδες σπάθαις
Πελαργοχρῶτιδες, αἱ φαλακραῖαι κόραι.

Hoc eſt. Virginicidam autem Thetim Iulipedes pulchræ ſulcabant remis ciconipelles Phalacreæ filiæ: Videor mihi ſatis commodam rationem (aliorum interim cõmento tanquam futili, ac nullius ponderis reiecto) nuper inueſtigaſſe, nam ipſas à Græco poëta eo pacto vocatas fuiſſe, quòd inſtar ciconiarum partim albæ eſſent, ratione velorum, partim nigræ, ſi nauium reliquum corpus conſideretur (quæ fuit Gulielmi Canteri ſententia) mihi perſuaderi non potuit multis de cauſis, quibus recenſendis, vt orationis compendio rem omnem abſoluam, libenter ſuperſedeo: Ipſe de hac re ita cenſeo: Inter nauium ornamenta, quæ multa, & varia fuiſſe conſtat, effigies quaſdam diuerſorum animalium à ſcriptoribus commemorari comperio, quæ in vniuerſum παράσημα nuncupantur, cuiuſmodi ea fuiſſe exiſtimare licet, à quibus nauium quarundam nomen ſumpſit Maro illis carminibus ex quinto grandioris operis.

Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin,
Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Memmi:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,

Vrbis

Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt, terno conſurgunt ordine remi.
Sergeſtuſque, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna. Scyllaque Cloanthus: & rurſus ex. 10.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri.

Sic nauis, qua Phryxus, & Helles vecti ſunt, arietem inſculptum habuit, quemadmodum Europę nauis taurum, vnde fabulæ anſam arripuerunt poëtæ: ſcribit tamen Iulius Pollux quaſdam Lybicas naues fuiſſe, quas Arietes, Hircoſque proprio vocabulo Lybici homines appellarent. Hinc igitur vero proximum eſſe arbitror nauem illam, cuius illic meminit Lycophron, ciconia fuiſſe inſignitam, à qua eo pacto deinde compoſita dictione ipſam vocauerit poëta, ſicut ex carmine, quod ſuperius à me poſita ſtatim conſequitur, cognoſci poteſt.

Ὑπὲρ Καλυδνῶν λευκὰ φαίνουσα πτίλα.

Hoc eſt. Vltra Calydnas albas oſtendens alas: neque.n.hoc loco pro albis alis remos accipere oportet, tantùm.n.abeſt, vt hi ſint albi, vt ſoleant etiam vnà cum tota naui pice oblini, quę propterea ab Heſiodo, & Homero μελαίνη quandoque nuncupatur: ac neſcio, quàm commodè remi nauis alę dicantur, Propertius certè non remos, ſed vela potius eo pacto appellaſſe videtur, cùm ait.

Nec te, quòd claſſis centenis remiget alis,
Terreat, inuito labitur illa mari.

Valet.n.vt nunc loquimur, Armata di cento vele: ſic dixit Virgilius.

velorum pandimus alas.

Quare & hic quoque Canteri diligentiam requiro: Intelligit igitur illic poëta alas ciconiæ, quæ efficta erat ad puppis ornamentum non ſecus, atque anſerculus ille, de quo Lucianus De veris narrationibus. ὅ,τε γὰρ (inquit) ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος ἄφνω ἐπτερύξατο, καὶ ἀνεβόησε. id eſt. Anſerculus.n qui ad puppim erat, repente alas premere cepit, & clangorẽ fundere: eiuſdẽ meminit in dialogo, cui titulus πλοῖον ἢ εὐχαὶ his verbis ὡς δὲ ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν, ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη, καταντικρὺ δὲ ἀνάλογον ἡ πρῷρα ὑπερβέβηκεν, ἐς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. hoc eſt. Vt aũt ipſa quidem puppis paulatim aſſurgit inflexa aureum anſerculum supernè habens impoſitum, è regione autem æqua proportione prora prominet in anteriorem partem longè porrecta, cognominem naui deam, Iſidem videlicet, vtrinque additam habens: Hinc etiam ſcire licet, quid ſibi voluerit M. Varro illis verſibus in deſcriptione tempeſtatis.

At nos caduci naufragij ciconiæ,

Quarum

Quarum bipennis fulminis plumas vapos
Peruſſit altè, meſtè in terram cecidimus.

Ariſtotelis locus, qui maculam in ſe continebat, emendatus. Cap. VI.

QVIS mihi vitio verterit, aut de eo me inſimulare iure poterit, quòd à Cyriaci Strozzę ſententia, viri illius quidem eruditiſsimi, & in Græcis præcipuè ſcriptoribus diligenter verſati, diſcedere non ſim veritus in Ariſtotelis quodam loco ex Rhetoricis emendando, qui propter hiſtoriæ obſcuritatem maculam aliquam continere in viri nomine appellando iudicatus eſt, ſi diſcrimen, quod inter veterem, & in excuſsis, manuque exaratis codicibus peruagatam lectionem, & hanc à Strozza excogitatam intercedit, ſecum diligenter conſiderare voluerit, caſtigandique malè conceptas ſcripturas cautiones omnes ſedulò reputauerit? Equidem ita mihi perſuadeo, licere vnicuique de ſtudijs literarum quid ſentiat nullo huius, aut illius reſpectu liberè pronunciare: & ſanè in Repub. literaria ſoluta iudicia eſſe oportet, nec quiſquã tantùm ſibi ſumere debet, vt poſtquam ipſe de re aliqua ſententiam tulit, cæteris hiſcere non liceat, eſſet.n. id tyrannidem in literas, non iuſtum imperium exercere: quare ſi Strozzæ coniecturam (huic etenim Ariſtotelei loci emendationẽ tribuit Hieronymus Magius) non fuero ſequutus, non abſque ratione, atque exemplo id feciſſe exiſtimari debebo. Ariſtotelis verba, in quibus vitium ſubeſſe creditur, ſunt hæc De artificio dicendi lib. 1. καὶ εἰς ὃν „ πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήτη. οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ Ἁρμόδιον, καὶ „ Ἀριστογείτονα, τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι.i. Et in quem prima cõmendatio facta fuit, vt in Hippolochum, & Harmodium, & Ariſtogitonem in foro ſtatui: De Hippolicho, quod ad rem attinet, nihil vnquam fando auditum, aut in veterum monumentis legendo viſum: de Antilocho multa quidem memoriæ prodita ſunt, ſed nimis longè abeſt à veſtigijs veteris lectionis in id nomen caſtigatio, quę vna cauſa fuit, quamobrem ipſam repudiari debere cenſuerim: ac olim ſanè emendaram Hippolitum; ſed poſtquam incidi in Aeliani locum libro de Var. hiſt. 14. in aliam ſententiam protinus diſceſsi, & Ἱππόνικον, tenui mutatione, apud Ariſtotelem reponendum eſſe iudicaui: Fuit is Calliæ filius, cuius ita meminit illic Aelianus, vt dicat, ipſum olim in animo habuiſſe ſtatuam ponere ſacroſanctum patriæ donarium, & cum quidam ei conſuleret, vt à Polycleto faciendam imaginem curaret: reſpondiſſe, nolle ſe eiuſmodi donarium ponere, cuius gloria non ad conſecratorem, ſed ad artificem eſſet reditura: etenim liquere,

ſpectatores in ea ſtatua ſpectanda magis artem, & induſtriam Polycleti, quàm ſuam liberalitatem, & munificentiam admiraturos eſſe: Ex his, quæ de homine illo refert Ælianus, quiddam colligi arbitror, quod Ariſtotelis mentem nonnihil iuuet, ac nobis porrò ſuadeat, ita, vt propoſui, illic legendum eſſe: eiuſdem Hipponici meminit etiam Plutarchus De Herodoti Malignitate.

Plauti carmen corrigitur, & declaratur. Cap. XII.

FACETE Curculio paraſitus apud Plautum in fabula ſibi cognomine Lycum trapezitam irridet nominum quarundam regionum perplexitate; dum cauſſam comminiſcitur, quamobrem Therapontigonus virginem, quam de Lyco emerat, Curculioni tradi velit, neq; ipſe eò ſe tranſtulerit, vt eam reciperet, quod nonnullam trapezitę ſuſpicionem fraudis iniecerat: inquit igitur illic Curculio.

dicam, quia enim & Perſas, & reliqua.
Lybiamq;, & oram omnem Conterebromniam,
Dimidiam partem nationum vſque omnium.
Subegit ſolus intra viginti dies.

Vnde factum ſit nomen Conterebromniam ſe quærere diſtuliſſe dicit Lambinus: Ego primùm malè conceptam in vulgatis exemplaribus lectionem caſtigo, vt ſit Contenebrioniam, deinde explico regionem, in qua tenebriones habitent, id eſt vani, mendaces, ac doloſi homines; id. n. hoc nomen valere auctor eſt Nonius; à tenebrionibus igitur ridiculè nomen factum eſt illi regioni: Neque etiam diſplicet, quod mihi olim in mentem venerat; videlicet vt legamus Conterebromiam, à verbo conterere, & bromio, quo nomine Bacchum vocatũ fuiſſe ſcimus à vino, cui Deus ille præeſt: Hanc meam coniecturam ſi cuiquam probauero, non verear eidem perſuadere pergere, vt illic apud Plautum pro Lybiam legat Bibiam vrbanè itidem conficta voce à Bibendo, vt eædem, aut ſaltem conterminæ fuerint ex Curculionis ſententia duæ illæ regiones, Bibia, & Conterebromia: eodem modo ridiculè appellatum fuiſſe Tyberium Neronem comperio ab illis, qui ipſius temulentiam exprobrarent, ſcribit enim Suetonius ipſum in caſtris tironem etiam tum, propter nimiam vini auiditatem, pro Tyberio Biberium, pro Claudio Caldium, pro Nerone Meronẽ vocatum fuiſſe: Non diſsimili ratione apud eundem Comicum Captiuis Hegio ſenex facetè Piſtorienſes, Placentinos, Paniceos, Turdetanos, & Ficedulenſes nominat, innuens videlicet non ab oppidis, ſed ab eſculentis rebus, placenta, pane, eiuſque confectoribus, turdis, & ficedula illorum populorum nomina deriuari.

Non pol (inquit) *mirandum eſt, fugitare hanc prouinciam,*
Multis, & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus, primùm dum opus eſt Piſtorienſibus;
Eorum ſunt genera aliquot Piſtorienſium.
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,
Opus Turdetanis, opus eſt Ficedulenſibus.
Iam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.

Falſum videri, quod ſcribit Petrus Victorius, Philippeum potionis genus fuiſſe. *Cap. VIII.*

OBSERVATVM eſt à Petro Victorio potionis genus quoddam fuiſſe, quod Philippeũ diceretur, cuius meminerit Varro Octageſi *περὶ νομισμάτων* referente Nonio In quo (inquit ille) nobilius eſt Philippeum, quod accipimus, quàm quod bibimus: cùm alterùm abdamus (ſic enim malo, quàm quomodo citant Victorius, Turnebus, Scaliger, & alij Addamus) in bulgam, alterum in veſicam. Hic ego maius in tanto viro iudicium requiro, nam quod ſuper hac re ſcriptum reliquit, falſum omninò eſt, ac reijci debet, id quod primùm ſuadet Varroniani operis epigraphe *περὶ νομισμάτων*: Sed conſtituamus prius, quomodo appellandum ſit numiſma illud, de quo intellexit Varro, nàm hoc quoque perperàm accepit Victorius: Atque Horatius quidem, alijque boni auctores ipſum Philippum vocant, non Philippeum, niſi cùm adiectiuè (vt loquuntur Grãmatici) enunciant: veluti Plautus in Bacchidibus.

Nam iſtic fortaſſe auro opus eſt. Pi. *Philippeo quidem.*

Cùm itaque dicat Varro In quo nobilius eſt Philippeum, quod accipimus, quàm quod bibimus. Intelligere oportet numiſma, vel argentum; nam de pecunia dicimus Philippum, non Philippeum, atq; ita loquitur Horatius in Epiſtola ad Auguſtum. Iam quòd aliud accipiamus, aliud bibamus, id eſt alterum abdamus in bulgam, alterum in veſicam, intelligendum eſt eadem ex aduerſo loquendi formula dictum eſſe, qua ſcripſit Iuuen. Saty. 11.

Nec mullum capias, quùm ſit tibi gobio tantùm
In loculis. itidem Martial. lib. 12. in Labienum quendam.
Addixti, Labiene, tres agellos,
Emiſti, Labiene, tres cinædos,
Pædicas, Labiene, tres agellos.

Sic etiam loquutus videtur Cicero, cùm numos, patrimonium, & bona comedere dixit; & optimus Comicus patria abligurire bona: citat Nonius carmen hoc ex Neuio poëta.

Aedepol paternam qui coneſt pecuniam.

Martialis quoque lib. 1. eodem modo loquitur hoc epigrammate.

Cùm data ſint Equiti bis quinque numiſmata, quare
Bis decies ſolus, Sextiliane, bibis?

Iulius Pollux *ὀνομασ.* 9. hunc Senarium Menandri profert.

Μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών.

Idem Græcus poëta dixit γῆν καταφαγεῖν, cùm intelligi vellet paterni agri pretium ab adoleſcente quopiam in ventrem merſum fuiſſe: tale eſt Plautinum illud ex Epidico.

Pe. Quid autem iſtuc mirabile eſt?
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

Confert hùc etiam Catonis iocus in Albidium, quē, quòd ſua bona comediſſet, & nouiſsimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, Proteruiam feciſſe dicebat, quod comediſſe non potuerit, id combuſiſſe: refert Macrobius. Philippeum igitur in veſicam abdere idem valet apud Varronem, quod tantùm vini ingurgitare, quantum Philippeo numiſmate comparari potuiſſet: Non abſimili ratione bos, qui in Sacris Herculis mactari conſueuit perpetuus appellabatur, quoniam eius bouis reliquiæ carius vendebantur cauſſa religionis, & inde vitulus alter redimebatur, qui ex illius precio comparatus eſſe videbatur, docet Seruius ad illud Maronis ex libro 8.

Veſcitur Aeneas, ſimul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis: & luſtralibus extis.

Magis adhuc tamen confirmat iudicium meum id, quod ſtatim ſubdit Iuuenalis loco nuper indicato. *quis.n.te deficiente crumena*
Et creſcente gula manet exitus, ære paterno,
Ac rebus merſis in ventrem, fœnoris, atque
Argenti grauis, & pecorum, agrorumque capacem.

Sed & teſtimonium, quod citat Caper Grammaticus docens profundum pro ventre nōnumquam ſumi, ſententiam noſtram mirificè conſtituit, namque ait ille. „ In profundum numi, vel in arcam conduntur, quod eſt vel in ventrem mittuntur, vel in arcam. „ Quocirca ſi Philippeum vocatum fuiſſe potionis genus aliquod nobis perſuadere conatur Victorius, alia prorſus ratione eſt ei innitendum: hæc.n. valdè infirma eſt, & imbecillis.

Vellei Paterculi contextus duobus in locis purgatus, inque eorum altero Manutius reprehenſus. Cap. VIIII.

POST illud vnum prælium Pompeianis valdè proſperum, quo grauiter impulſi ſunt Cæſaris milites, cùm ex ducibus ſuis ſententiā

exqui-

exquireret Pompeius, eſſetne inſequendus Cæſar, an verò conſiſtere oporteret, bellumq; longius trahere, Plerique hortabantur (ſunt autem hæc Vellei Paterculi verba ex volumine poſteriore, quæ quoniam deprauata eſſe non dubito, adſcripſi, vt, ſi poſſem, emendarem) vt in Italiam tranſmitteret: neque hercules quicquam partibus illis ſalubrius fuit; alij, vt bellum traheret, quod dignationi partem in die ipſi magis proſperũ fieret: Quæ ſententia ſubſit his poſterioribus verbis, obſcurũ eſt, ac fortaſſe locus mendi ſuſpicione nõ caret, mihi quidem haud aliter videri ſolet, itaq; non dubito interim, dum melius aliquid occurrat, ex ingenio reſtituere, Alij vt bellũ traheret, quod dilatione partim in dies ipſi magis proſperum fieret: Sed quod ſtatim ibidem ſequitur, & in quo Manutius valdè pueriliter verſatur, ita prorſus legi debet, Effoſſumque alterum imperij Romani lumen, vt perſiſtat Paterculus in metaphora, etenim cùm ſtatim dixiſſet colliſa eſſe inter ſe duo Reip. capita, commodè ſubdit, & alterum oculum Imperij Romani erutum eſſe, quomodo etiam loquitur idem auctor eodem libro, Ducum maximus (inquit) fama, fortunaque celeberrimus, & verè alterum Reip. lumen, & caput: hoc.n. valet eo in loco lumen, ſicut apud Virgilium in Æneide. *cui lumen ademptum.* Quin & hoc ipſum effodere lumen elegantiſsimum eſt, & ab eodem Marone vſurpatum Æn. 3. cùm de Polyphemo loquitur.

& ad æquora venit
Luminis effoſſi fluidum lauit inde cruorem.

Ac multo prius, a Laberio, cuius verſus profert Gell. lib. 10.

Democritus Abderites phyſicus philoſophus clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æreo.

Sic etiam loquitur elegantiſsimus poëta Catullus.

Effoſſos oculos voret atro gutture coruus.

Deſinat igitur ſuſpicari Manutius effuſum lumen dictum eſſe à Paterculo pro eo, quod eſſe debuit, extinctum, ipſumque hac de cauſſa ne optimis quidem Latinę linguæ ſcriptoribus minus elegantem putet, nam (vt oſtendi) Effoſſum, non Effuſum illic legi debet, quæ locutio non caret exemplo: Ac fortaſſe etiam nihil peccabimus, ſi Offuſum legere voluerimus, nam ſic loquitur M. Tull. de Finib. lib. 3. Sed poteſtne rerum maior eſſe diſſenſio? vt.n. obſcuratur, & offunditur luce ſolis lumen lucernæ; & reliqua.

Cice-

Ciceronis locus, quem Petrus Nannius deprauauerat, priſtinæ lectioni reſtitutus. Cap. X.

VTIQVE non aſſentior Petro Nannio Ciceronis locũ emendanti, qui, cùm nulli vitio ſit affinis, maculam tamen aliquam continere ab ipſo creditus eſt: ego certè bono (niſi me animus fallit) commodoque ſenſu veterem ſcripturam conſtanter defendo. Ciceronis verba ſunt hæc poſtremo ſecundo libro Offic. Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis, à quo cùm quæreretur, quid maximè in re familiari expediret, reſpondit; Bene paſcere, quid ſecundum? Satis bene paſcere: quid tertium? Bene veſtire: quid quartum? Arare. Hoc loco Nannius vetuſti neſcio cuius exemplaris fidem nobis allegans pro Veſtire Vitire ſuppoſuit. Primùm pro vulgatæ ſcripturæ aſſertione conſiderari velim: an Cato intellexerit de veſtitu, quo indui debent ruſtici, & agricolæ: nam eius rationem haberi oportere à patrefamiliàs docet idem Cato: atque Apuleius deinde his verbis. Iſtic verò nec Dijs rurationis, qui cùm paſcunt, ac veſtiunt ſegetes vllas, aut vites, aut gregis primitias impartit. Plinius quoque de C. Furio Creſino loquens ſic ait lib. 18. Adduxit filiam validam, atque (vt ait Piſo) benè curatam, ac veſtitam: Et Vulpianus de fundo inſtructo. cap. 12. Item lanificas, quæ familiam ruſticam veſtiunt. Sed ne valdè ſincerę ſcripturæ ſententiam mendicari videar, apud Ciceronem verbum Veſtire non aliter accipere ſoleo, atque ipſemet Nannius accipiendum exiſtimat: ea ſiquidem notione illud quandoque vſurpati à bonis auctoribus animaduerti: ſicut (exempli gratia) à Marone in Georgic.

iuuat Iſmara Bacco
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.

Veſtire (inquit Seruius) implere ſignificat. Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 3.

Itur in ęterno veſtitos gramine campos.

Iuuenalis Satyr. 11.

Legitimè fixis veſtitur tota tabellis.

Et nos adhuc in Etruria agros veſtitos, ac exutos appellamus, qui arboribus conſiti ſunt, aut ipſis omninò deſtituuntur: Dixit autem ſimpliciter Cato Veſtire nullo vitium, aut arborum adiuncto, vt orationis breuitati conſuleret, quam illis reſponſionibus vſurpare voluiſſe conſtat: ſic etiam locutus fuiſſe videtur cap. 61. dum inquit. Quid eſt agrum benè colere? primùm bene arare: quid ſecundum? arare: quid tertium? ſtercorare.

Martialis

Martialis carmen emendatum. *Cap. XI.*

CVM Galli Lingoni pueri exilitatem miris modis augere vellet Martialis, ſic inquit lib. 8.

Tam macer, vt minimam vix poſſet ferre lacernam,
Succurrit miſero caſus, opemque tulit.

Vbi non leuis mihi oritur ſuſpicio ex eo, quod initio epigrammatis dictum eſt.

Dum repetit ſera conductos nocte penates
Lingonis à recta, Flaminiaque recens.

Itemque ex re ipſa, legi illic deberi Lucernam pro Lacerna, proptereàquòd veriſimilius omninò fiat Gallo Lingoni domum noctu repetenti ſeruum lumen in laterna clauſum prætuliſſe, vnde ipſius imbecillitatis argumentum elici potuit; cùm ipſam laternam præ macie vix regeret, ac ſuſtineret, quàm lacerna indutum fuiſſe, neque enim argutia aliqua epigrãmate digna hinc ſumi potuiſſet. Lucernam porrò cornu perpolito, aut veſica includi conſueuiſſe ad ventorum iniuriam propulſandam docet idem Martial. lib. 14. cui nomen Apophoreta.

Dux laterna viæ clauſis feror aurea flammis:
Et tuta eſt gremio parua lucerna meo.

Sic etiam Plaut. Amphitruonis Prologo.

Sed Amphitruonis illic eſt ſeruos Soſia:
A portu illic nunc cum laterna hùc aduenit.

Et Scen. i. περιφραστικῶς inquit.

Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris?

Franciſci Luiſini ſententia in Ariſtotelis cuiuſdam loci explicatione reiecta. *Cap. XII.*

LAVDO Franciſci Luiſini conatum in bonis auctoribus tum emẽdandis, tùm explicandis, at exitũ interdum laudare non poſſum, proptereaquòd videam perſępè eum voto fruſtrari, conatuſque ipſius fruſtrà cadere: id adeo verũ eſſe ſupra à nobis pluribus in locis demonſtratum eſt, atque aliàs etiam fortaſsè inferius oſtendetur: Interim operæprecium eſt conſiderare, quàm frigidè locum quendam Ariſtotelis explicauerit. Ἠθικῶν μεγάλων libro 2. docens Ariſtoteles amicitiam ſimilitudine contrahi, quiddam de Empedocle narrat his verbis. „ ἐρωτηθέντα τὸν Ἐμπεδοκλέα διὰ τί ποτε ἡ κύων „ ἐπὶ τῆς αὐτῆς κεραμίδος καθεύδει, εἰπεῖν, ὅτι ἔχει τὶ κεραμίδι ὅμοιον „ ἡ κύων, ὡς διὰ τὸ ὅμοιον τὴν κύνα φοιτῶσαν. id est. Interrogatus

fertur:

ſertut Empedocles,cur canis ſemper in eadẽ tegula dormiret: qm̃,reſpondit,ſimile quiddã canis habet cum tegula,& proinde ob ſimilitudinem eò tendit. Luiſinus putat *κεραμίδας* eſſe vrceos fictiles creta confectos, in quibus plerumque modò auem, modò canem, modò aliud animal figuli depingunt, ad quos vrceos canis accurrit,quoniã in eis canem pictum videt: & ſic ſimile quiddam cum terra cretacea habet: Hic ego. Valdè inſignem pictorem fuiſſe neceſſe eſt, qui canem in vaſe cretaceo expreſſerit, ad quem ſimilitudine deceptus alter canis acceſſerit; talem vtique non pinxiſſet Ariſtides, nam formæ ſimilitudine animantes decipere inſignis eſt artificij. Deinde cur additur *ἀεὶ*, et *αὐτῆς*, ſi plerumque in huiuſcemodi vaſis animalia effinguntur? an non ſemel canem decipi inſtar miraculi fuiſſet? Denique de amicitia ob ſimilitudinem corporis iam dixerat Ariſtoteles *καὶ κολοιὸς ποτὶ κολοιόν*. Quocirca mihi de hac re aliter videtur; Exiſtimo.n.Empedoclem reſpexiſſe ad occultã illam amicitiam, quę inter multas res intercedit latente, vel maximè obſcura cauſſa, eam Græci *ἄῤῥητον ἰδιότητα* vocant, cuiuſmodi eſt ferri, & magnetis *συμπάθεια*, palearum & ſuccini,multarumque præterea aliarum rerum mutuus conſenſus: horum effectuum cauſſas in amicitiam, atq; diſcordiam quandam latentem contuliſſe philoſophum illum conſtat ex pluribus locis Ariſtotelis; quo egregio inuento omnes quæſtiones facillimè diſſoluebat.

Aeliani locus caſtigatus. *Cap. XIII.*

INTER multas, variaſque ſcriptorum de Romuli matre ſententias, nullam adhuc reperire potui, quæ ipſum Seruia natum fuiſſe prodat, itaque cùm ſcribit Ælianus Var. hiſt. lib. 7. Ὅτι Ρώμη
„ ὑπὸ Ρώμου καὶ Ρωμύλου ἐκτίσθη, τῶν Ἄρεως καὶ Σερβίας παίδων. ἦν
„ δὲ αὕτη μία τῶν Αἰνέου ἀπογόνων. hoc eſt. Roma condita eſt ab Remo, & Romulo filijs Martis, & Seruiæ, quæ vna erat ex proſapia Aeneæ. exiſtimari poteſt ex proximo Syluiæ nomine in id deflexiſſe, niſi potius lapſionis huius culpam ſcriptor librarius ſuſtineat, neque .n. fit veriſimile in re tàm nota, atque omnibus peruia diligentiſſimum,eruditiſſimumque Græcum ſcriptorem peccaſſe, nomenque vnum pro alio inprudenter poſuiſſe: conſtat igitur illic legi debere Σιλβύλας, etenim, auctore Plutarcho in Romulo, Numitoris filiam, quæ à Marte cõpreſſa fuiſſe creditur, & ex qua deinde Romulus,& Remus orti ſunt, alij Iliam, Rheam alij,alij Syluiam appellarunt: Liuius ſanè, Procopius, Meſſala Coruinus, itemque alij poſtrema duo nomina coniungentes ipſam Rheam Syluiam appellatam fuiſſe tradunt;

certè,

certè, vtcumque ſit, Seruiæ nomen in bonis auctoribus nuſquam reperias, Syluiæ, aut Rheæ Syluiæ omnes meminerunt, quomodo in Æliani contextu reponi velim.

Cur ſiniſtro oculo æquè, ac dextro videamus, & ſuper ea re Philippus Beroaldus reprehenſus. Cap. XIIII.

SCRIBIT Suetonius in Auguſto, huius principis viri oculos claros, ac nitidos vſque adeò fuiſſe, vt exiſtimari vellet quiddam diuini vigoris ipſis ineſſe, vehementique gaudio ipſum affici conſueuiſſe, ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſummitteret; „ Sed in ſenecta (addit illic Suetonius) ſiniſtro minus vidit: Hęc poſtrema verba enarrans Beroaldus philoſophi perſonā induit, nimirum infans Herculis coturnos (vt prouerbio fertur) ſibi aptare ſtuduit, nam quàm commodè homini illi ea conueniat, hinc iam oſtēdere incipiam. Ex intimis naturæ penetralibus cauſſam quærens Beroaldus, cur in ſenecta ſiniſtro oculo minus viderit Auguſtus, huiuſm. affert, quæ partim communis ſit omnibus, nec Auguſtum vlla ex parte propius attingat, cùm tamen ſecus facere oporteret: partim etiam à vero abhorreat, ac propterea fide prorſus careat; inquit „ enim. Partes in homine ſiniſtræ imbecilliores ſunt, quia frigidiores: „ contra dextra pars robuſtior eſt, cùm ſit calidior, vt philoſophi, & „ medici prodiderunt: ſenecta autem morbus eſt naturalis, vnde minimè „ mirum eſt, ſi Auguſtus iam ſeneſcens ſiniſtro oculo minus vide„ bat, cùm virtus optica, id eſt viſiua ſit in ſenecta debilior, & ea po„ tiſsimum parte, quæ infirmior eſt. Hanc Beroaldi rationem (vt rem paucis abſoluam) Ariſtoteles ipſe minimè obſcuris, atque impeditis verbis, apertiſsimaque ſententia refellit Problematum ſegmento 31. quærens.n. illic philoſophus cur oculus ſiniſter nihil imbecillior ſit, ſed æquo modo, atque dexter videre poſsit, cùm reliquæ corporis partes omnes ſiniſtris inhabiliores, quàm dextræ ſint, quæſtionis exi„ tum diſſoluit, vt dicat. ἢ ὅτι τὰ μὲν δεξιὰ τῷ ποιητικὰ εἶναι διαφέ„ ρουσι, τῷ δὲ παθητικὰ, οὐ διαφέρουσιν; αἱ δὲ ὄψεις παθητικαί. hoc eſt. An quia pars dextra in eo diſcrepat à ſiniſtra, quòd efficacior eſt, non in eo, quòd affici aptior: videndi autem vires, non vt afficerent, ſed vt afficerentur, comparatum natura eſt. Valeat igitur Beroaldus cum iſta ſua philoſophia.

An currum pro naui vſurpauerit Catullus, & de ſententia quadam M. Antonij Mureti ſuper eadem re. *Cap. XV.*

CVRRVM pro naui ſumpſiſſe Catullum in pulcherrimo illo poëmatio, quod de nuptijs Pelei, & Thetidis confecit, non magis fuit adnotandũ, quàm cæterę diuerſarum rerum circũſcriptiones, quibus tum Græci, tùm Latini poëtæ referti ſunt, itaque mirum mihi videri ſolet, quid venerit in mentem M. Antonio Mureto, vt currum pro naui ἁπλῶς ab illo poëta illic vſurpatum eſſe crediderit, & capite ſuarum adnotationum. 11. lib. 1. teſtatum reliquerit: Catulli carmen, ne quis fortaſſę deſideret, appoſui.

Diua quibus retinens in ſummis vrbibus arces,
Ipſa leui fecit volitantem flamine currum.

Vbi licet obſeruare non appellaſſe poëtam ſimpliciter currum, ſed cum adiuncto Volitantem flamine, vt hinc iam ſatis intelligamus, noluiſſe ipſum currum pro naui ſimpliciter denotare, ſed περιφραστικῶς eandem deſcribere, & circumlucutione adhibita ſpectandam proponere: ſed tamen ἁπλῶς dictum videri poteſt à Platone in tertio de legibus. „ πόρεια δὲ ὥστε ἐπ' ἀλλήλους τότε πορεύεσθαι κατὰ γῆν, ἢ κατὰ „ θάλασσον, σὺν ταῖς τέχναις, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντα σχεδὸν ἀπολώλει. hoc eſt. Vehicula ita, vt tunc inter ſe commeare poſſent ſiue terra, ſiue mari, omnia, vt ita dicam, cum artibus ipſis perierant. Iulius quoque Pollux de rerum vocabulis lib. 1. capite de nauibus, & nauticis nominibus (quod à re, de qua agimus, non eſt alienum) „ ita ſcriptum reliquit. λέγοις δ' ἂν τὰς ναῦς καὶ πορεῖα θαλάττια, καὶ „ ὀχήματα θαλάττια, καὶ πελάγια. quod eſt. Sed & naues marina itinera, & vehicula pelagia vocare licebit.

Vetus quædam lectio Tibulli, quæ à Ioſepho Scaligero ſedes mutare coacta fuerat, in priſtinum locum reſtituta. *Cap. XVI.*

AVGYAE ſimetum egerere velim, ſi tres illos poëtas, qui ob argumenti ſimilitudinem, paremque propemodum eruditionem, atque elegantiam indiſſolubili quaſi quodam nexu vincti, non ſecus, ac Gratiæ, ſimul prodire, neque vnquam diſiunctos ſe ſpectandos præbere conſueuerunt, ab omni labe, quam ipſis nuper aſperſit Ioſephus Scaliger, vindicare coner, eſſet .n. id labor verè Herculeus, adeò multa ſunt, quæ homo ille neſcio quo ſiniſtro numine afflatus, in illis temerè, atque audacter cælum terra miſcens demutauit: verùm quoniam bono publico fieri video, vt ſinceræ lectiones in optimis auctoribus conſeruentur, vnum, atque alterum inſigniorem locum,

eum, prout ij ſeſe mihi offerent, de tàm multis excerpam, ipſoſque à praua Scaligeri vel emendatione, vel explicatione, quantum potero, vindicabo. Tibulli carmen hoc ex lib. 1. eleg. ad Meſſalam

Tantalus eſt illic, & circum ſtagna; ſed acrem
Iamiam poturi deſerit vnda ſitim.

Bonus Scaliger, vt poſtliminio verbum vnum Latio reddat, legi debere affirmat.

Tantalus eſt illic, & circat ſtagna.

Non quęro modò, an verbum hoc Latinum ſit, quamquàm apud nullũ ſcriptorem ipſum adhuc reperire potui, neque ipſe Scaliger teſtem aliquem profert, qui illo vſus fuerit, niſi illi ipſe confeſsionem equuleo, & fidiculis extorqueat, hoc tantum affirmo, veriſimile non videri Tibullum deliciarum patrem, & ſuauiſsimæ orationis, lectiſsimorumque verborum amatorem adeò priſcis, & obſoletis dictionibus vti vnquam in animum induxiſſe, meminerat.n.ſe cum Meſſala, non cum Euandri matre ſermonem habere: Deinde Tantalus non circuit ſtagna, ſed in medio paludis conſiſtens ſitim extinguere conatur. Ioannes Tzetzes Chil. 5. poſtquàm de Tantali viuentis punitione locutus eſt, de eiuſdem mortui pæna ſic inquit.

Θανὼν δ' ἄλλας ἐφεύρηκε βαρείας τὰς κολάσεις.
Διψῇ γὰρ οὗτος, καὶ πεινᾷ οἵαν;
Μέσῳ γὰρ λίμνης ἵσταται. & reliqua.

Hoc eſt. Moriens autem inuenit alias graues punitiones; ſitit.n. is, atque eſurie, ſiti, & eſuriè quali? Medio.n. paludis ſtat qui locus ex Homero depromptus eſt, apud quem Vlyſſes hæc de Tantalo narrat Alcinoo ὀδυσσ. λ.

Κ' μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
Ἑσταότ' ἐν λίμνῃ. & quæ ſequuntur.

Hoc eſt. Et Tantalum ipſum vidi graues dolores perferentem, ſtantem in palude: Vides hinc iam, mi Scaliger, vt Tantalus in media palude conſiſtat, non ſe loco moueat, & ſtagna perambulet: ſimulque intelligis nihil neceſſe omninò fuiſſe veterem ſcripturam in Tibulliano codice commouere, teque de noui iſtius vocabuli aſſertione tantopere venditare.

Gulielmi Xylandri inſignis error patefactus. *Cap.* XVII.

QVAMQVAM de nullius fama detractum volo, imò verò illorum laudi plurimum faueo, qui bonas literas vtcunque colunt, ipſarumque amatores pro virili ſua editis libris iuuare pergunt, nequeo tamen diſsimulare craſſum, ac puerile Gulielmi Xylandri viri

alioquin eruditiſsimi peccatum, quod in auctore legis theatralis nominando per imprudentiam admiſit, verendum.n.eſt, ne parum cautam iuuentutem in eundem errorem trahat, ſi id ſilentio prætermittatur. Dico igitur ipſum vehementer falli eo loco ſuarum ad Dionẽ à ſe conuerſum adnotationum, quo de Roſcio loquitur, nam illic (ad librum nimirum 36.) Xylander exiſtimaſſe videtur L. Roſciũ illius legis auctorem alium quendam fuiſſe ab Othone, cuius Plutarchus, Cicero, Horatius, & Iuuenalis meminerunt, ſeque ex hoc nodo explicare neſcit: quem ego tamen nodũ facillimè, ac nullo prorſus labore ita diſſoluo, vt dicam, illius legis auctorem vocatum fuiſſe L. Roſcium Othonem, vt Roſcius gentis, Otho familiæ nomen fuerit, nam & Reguli quoque inter Roſcios numerabantur, non igitur diuerſus fuit, qui nomine Roſcius, ab eo qui cognomine Otho vocabatur, neque alium profecto intelligit Horatius Od. 4. Epod. cum inquit.

Sedilibuſque magnus in primis eques
Othone contempto ſedet.

Quàm de quo ſenſit Epiſt. 1. lib. 1.

Roſcia dic ſodes melior lex, an puerorum
Nænia; quæ regnum rectè facientibus offert?

Sic Cicero quem ſemel Othonem appellauit Oratione pro Murena, iterum vocat Roſcium Philippica 2. vnde obiter caſtigandus eſt Paterculi contextus ex editione Beati Rhenani, vt pro eo, quod nunc eſt Horoſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit, legatur Otho Roſcius, & quæ ſequuntur.

Turpis macula ſublata, quæ Lucretij carmen inquinabat.
Ca. XVIII.

MIRVM mihi videri ſolet, vndenam adeò ſupina negligentia noſtræ ætatis eruditos viros, Pium, Lambinum, Gyfanium, quique Lucretio lucem aliquam hactenus inferre conati ſunt, irrepſerit, vt cucurbitas lippientibus oculis carmen illud præterierint, quod ſemel, atque iterum politiſsimus auctor, naturaliſque philoſophiæ ſtudioſiſsimus in ſuo poëmate extulit ad hunc quidem modum, ſicut vitioſè legitur in omnibus libris tùm impreſsis, tùm manuſcriptis.

Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes eſſe queunt; nec piſces viuere in aruis.

Potuitne quicquam à naturali ratione magis alienum pronunciari, quàm nubes in mari non gigni? cùm eo potiſsimùm elemento generentur, ſupraque illud denſiſsimæ ferantur, vt cælum, diemque nonnumquam nautis eripiant.

Eripiunt (inquit Maro) *ſubito nubes cælumque, diemque*
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra. ac rurſus.
Iuuoluere diem nimbi, & nox humida cælum
Abſtulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Hic noſter libro 6.
Quò magis ad nubes augendas multa videntur
Poſſe quoque è ſalſo conſurgere momine ponti.
Denique non alia de cauſſa finxerunt poëtæ nubes Oceani filias eſſe, quàm quia plurimæ ex maris exhalatione cogantur, concreſcantque eo modo, quo docet Ariſtoteles primo Meteorologicorum. Dicam quod ſentio. Fuit olim ſcriptum in veteribus exẽplaribus Ningues, cuius dictioni ab aliquo ſtudioſo gloſſema fuit appoſitum .i. Niues: quæ deinde vox tanquam notior, & vulgatior irrepſit in contextum vetere ſcribendi conſuetudine, qua b, ἀντὶ τοῦ u, ſæpiſsimè collocabatur, vt eſſet, Nibes, atque hæc etiam vox, & ſcribendi ratio non ſatis intellecta errandi anſam præbuit, vt ex affinitate literarum fieret Nubes, quomodo deinceps conſtanter ad hanc vſquè diem cæcutientibus omnibus peruaſit, præſertim cùm Niues ratio carminis non admitteret: Reſtituo igitur Ningues, qua dictione alibi quoque vſus eſt idem poëta, ne quis vocabuli inſolentia offenſus, germanam ſcripturam reijciat, inquit enim lib. 6.
Forſit & Aethiopum penitus de montibus altis
Creſcat, vbi in campos albas decedere ningues
Tabificis ſubigit radiis ſol omnia luſtrans. & inferius.
Extructas ningues radiis tabeſcere cogit.
Qua de re admonet etiam Priſcianus, & Cariſius. Cur autem ita reſtituerim (nam communem errorem ſatis iam confutatum ſcio) facti ratio in promptu eſt; ſcribit.n. Plinius lib. 2. niues in alto mari non cadere. Nam quod Πόντος νιφόεις appellatur à Theocrito in Dioſcuris.
καὶ νιφόεντος ἀπαργηγὲν στόμα Πόντου.
Hoc eſt. Et niuoſi graue os Ponti; ratio habetur tot fluminum ipſum ingredientium, quibus lacui fit ſimilis, vnde non modò vires, verum etiam colorem mutat, porrò lacus omnes, vel Ariſtotele teſte in Problematis, mari ſunt candidiores: Pontus autem in lacus ſpeciem propemodum tranſit, eo quòd multi in eum fluuij influant. Huc reſpexit Ouidius, cùm ait.
Quin etiam ſtagno ſimilis, pigrǫque paludi
Coeruleus vix eſt, dilutiorque color.
Ab Homero autem non eſt accuratè ratio exigenda, quod dixerit Iliad. 12.

Τῶν

Τῶν δ᾽ ὥς τε νιφάδες χιόνος πίπτωσι θαμειαὶ
Ηματι χειμερίῳ.
Καί τ᾽ ἐφ᾽ ἁλὸς πολιῆς κέχυται, λιμέσιν τε καὶ ἀκταῖς,
Κῦμα δ᾽ ἐμιν προσπλάζον ἐρύκεται, & reliqua.

Hoc eſt. Horum autem (Achiuorum) ſicut flocci niuis crebri deci dunt hyemali tempore, & ſuper cano mari funduntur, ſuperq; portubus, litoribuſque, fluctus autem accedens, atque recedens ipſos abſorbet. Nam poëtæ iure quodam ſuo vagantur, & cùm afflatu illo diuino corripiuntur, nihil in carmen non conijciunt, quantumuis à naturali ratione abhorrens: cuius licentiæ plura exempla diligenter à me obſeruata aliàs indicabo: ſed Lucretius non tantum ſibi ſumeret, qui diuinos illos hauſtus funditus euerterit, cunctaque naturæ accepta retulerit. Vnde effici volo, primùm à veritate longè abeſſe, quod dicitur, nubes in alto mari non gigni, deinde tám verum eſſe niues in alto mari non cadere, quàm quòd veriſsimum, vnde poſtmodum ſequitur, vt legendum videatur apud Lucretium.

nec ęquore in alto
Ningues eſſe queunt.

Petri Victorij ſententia quædam confutata de conſtitutione conſilij Areopagitarum. Cap. XIX.

SI Latinæ linguæ vis, ac proprietas diligenter attendatur, ceſſabit, (ni fallor) omnis controuerſia, quam inter Ciceronem, atq; Ariſtotelem nuper excitauit eruditiſsimus vir, ac literarum laude percelebris Petrus Victorius exiſtimans Latinum ſcriptorem à Græco diſſentire in conſtitutione conſilij Areopagitarum, ſiquidem ſcriptũ reliquit Ariſtoteles non fuiſſe à Solone ordinem illum conſtitutum, ſicut M. Tullius cenſuiſſe videtur; ſed à maioribus acceptum in ſua Rep. retentum, ac conſeruatum: Hanc horum grauiſsimorum auctorum diſſenſionem facillimè conciliabimus, ſi, quid valeat vox Conſtituere, declarabimus: ac ſanè idem mihi interdum ſignificare videtur, quod diſponere, & in meliorem quaſi formam redigere, cuius notionis plura exempla afferem, niſi ea vel mediocriter eruditis, & in bonorum auctorum lectione leuiter admodum exercitatis in promptu eſſe exiſtimarem, illud tamen inſtar omnium erit, quod legitur apud eundem ſcriptorem in Somnio Scipionis. Ac, ne multa, Dictator Remp. conſtituas oportet, ſi impias propinquorum manus effugeris. At Petrus Victorius illum ſermonem perinde accepit, ac ſi dictum eſſet, Inſtituere: quomodo ſi locutus fuiſſet Cicero, aliquid dixiſſe Victorius cenſeri poſſet, nunc, cũ ibi vtatur verbo Conſtituit, nulla con

tro-

trouerſiæ ſuſpicio oriri debet, ſatis .n. conſtat Ciceronem loqui de Areopagitarum curia, non vt à Solone primùm inſtituta, ſed tāquam ab eo in meliorem ſtatum redacta, & nouo quodam ordine diſpoſita, quod nec Ariſtoteles quidem inficiatur dicens. ἔοικε δὲ Σόλων
„ ἐκεῖνα μὲν, ὑπάρχοντα πρότερον, οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν καὶ
„ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν: τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι, τὰ δικαστήρια ποι-
„ ήσας ἐκ πάντων: id eſt. Solon autem videtur illa quidem, cùm prius eſſent, minimè ſuſtuliſſe, conſilium inquam, & delectum magiſtratuum: populum autem conſtituiſſe, cùm fecerit, vt omnes ad cauſſas iudicandas peruenirent. Non ignoro tamen aliter quandoq; vſos fuiſſe dictione illa bonos auctores, vt cùm ait Liuius libro 6.
„ Ludi Capitolini fierent, quod Iupiter optimus max. ſuam ſedem,
„ atque arcem Pop. Rom. in re trepida tutatus eſſet, collegiumque
„ ad eā rem M. Furius Dictator conſtitueret ex his, qui in Capitolio,
„ atque arce habitarent. His illud inſuper accedit, quòd qui rem aliquam conſtituit, atque confirmat, ipſius auctor iure dici poteſt: certè idem Cicero non aliter locutus videtur, cùm pronunciauit ſe Conſule Romam fortunatam natam fuiſſe.

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Perinde.n.eſt, ac ſi dixiſſet, fælicem illo Reip. tempore Romam fuiſſe, quam conſtituerat, confirmaueratque in Conſulatu: ſic Manilius lib. 1. *Romamque Camillus Seruando poſuit.*

Præterquàm quòd Plutarchus in Solone varias de conſilio Areopagitarum opiniones fuiſſe longa oratione diſputat, vt nulli culpæ affines iudicandi ſint aut Ariſtoteles, aut Cicero, ſi diuerſas diuerſorum de eadem re auctorum ſententias ſequuti fuerunt.

Calphurnij verſus, qui parum emendatè (vt puto) in vulgatis editionibus circumfertur, ex ingenio reſtitutus. Cap. XX.

FACILE mihi fuerit eruditis viris, atque aliquo iudicio præditis coniecturam meam approbare, quam de Calphurnij quodam loco iam inde feci, cùm primùm in illum incidi; ea namque poetæ ſententiæ mirificè conuenit, & à vulgatæ ſcripturæ veſtigijs minimùm diſcedit: verſus, in quo ἀστοχίαν expertus ſum, legitur Ecl. 5. hunc in modum. *nam tibi lites*

Afferet ingentes lectus poſſeſſor in aruo.

Ex quo quem ſenſum eliciat Diomedes Guidalottus, omnibus videre in promptu eſt, ipſe certè, qui oculorum acie non ita valeo, nihil tale perſpicere in eo potui, itaque neceſſe habui confugere ad notum illud, communeque patrocinium, quod in alijs perſæpè reprehendo,

tùm

tùm ſcilicet, cùm abſque neceſsitate imploratur. Dico igitur locum mendo non vacare, ac (ſi quicquam coniectura valeo) emendandum eſſe.

Auferet ingentes lectus poſſeſſor in armo.

Hoc ſenſu. Nota in armo pecoris inuſta auferet tibi multas litigandi cauſſas, ea.n. perſpicuè indicabit pecoris dominum ita, vt cum nemine tibi prętereà de eo controuerſia futura ſit: ac ſenſus quidem, vt vides, planus eſt, atque obuius, qui tamen illuſtrior adhuc fiet hac breui appendice. Conſueuerunt armentorum cuſtodes, quò ſuum pecus ab alieno internoſcerent, ſigna quædam ei imprimere, quæ, quoniam ferro candenti inurebantur, à Gręcis ἐγκαύματα dicta ſunt, eorum meminit præciſè Calphurnius illa ipſa Ecl. paulò ante.

viui quoque pondera melle

Argenti coquito: lentumque bitumen aheno,

Impreſſurus oui tua nomina.

Necnon Virgil. Georg. I.

Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit aceruis. rurſus in 3.

Continuòque notas & nomina gentis inurunt.

„ Apuleius de Aſino Aureo lib. II. Nec non & equum quoque illum
„ meum reducentibus, quem diuerſæ diſtractum notæ dorſualis cognitione recuperauerunt. Ex Græcis Anacreon ita inquit.

Ε'ν ἰσχίοις μὲν ἵπποι | *Equi ſolent inuſtum* | hoc eſt
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι. | *Coxis habere ſignum.*

Scribit Arrianus Sibas Indorum gentem, & ipſos clauam geſtare conſueuiſſe, & bubus clauæ notam inurere in memoriam Herculis, qui illucuſque penetrauerit, quod etiam refert Euſtathius in Dionyſium de Situ orbis: Equi, quibus Σ litera inſcripta eſſet, vocabantur à Dorienſibus Samferi, quemadmodum tradit Athenæus: de quibus, & alterius generis, qui dicerentur Copparij, ſic extat apud Suidam.
„ κοππατίας ἵππυς ἐκάλυν, οἷς ἐγκεχάρακται τὸ Κ ςοιχεῖον. ὡς σαμ-
„ φόρας τὺς ἐγκεχαραγμένυς τὸ Σ. καὶ V χαρασσόμενον ἄλλοις: ac
„ paucis interiectis de Bucephalo ſubdit. ὐδὲ γὰρ βυκεφάλας καλῦμεν
„ διὰ τὸ μορφλὼ τοιαύτλω ἔχειν. ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτω κεχαράχθαι. & reliqua. Idem equorum meminit, qui Phaſiano aue inſigniti eſſent, proptereaquòd propè Phaſidem pulchri equi naſcerentur. Scribit Pollux quibuſdam equis non ita generoſis imprimi quoddam ſignum cóſueuiſſe, quod τρίσκπον diceretur. Neque verò gregibus tãtùm, & armẽtis diſtinctionis cauſſa notas quaſdã veteres inurebãt, verùm etiã ipſis mancipijs, vnde literatos ſeruos apud Plautũ, & inſcriptos apud Martialem inuenias: conſule etiam (ſi libet) Xenophontem in Comment. περὶ πρόσοδων: Sed iam receptuj canere oportet, ne

exem-

exemplorum congerie lectorem vel obruam, vel tædio ſaltē afficiam: ita igitur faciam, ſi prius paucula hæc verba Iſidori ex 20. libro Ori
„ ginum appoſuero. Character (inquit) eſt ferrum coloratum (ma-
„ lim ego caloratum) quo notæ pecudibus inuruntur. χαρακτὴρ autē
„ Græcè Latinè forma dicitur. Cauterium dictum quaſi cauturium,
„ quòd vrat, & prouida ſit in eo, ſeueraque cautio, vt dum videtur, cu-
„ ius ſit, auaritia refrenetur.

Martialis carmen ſecus, ac fecerit Domitius Calderinus, declaratur. Cap. XXI.

APRI à ſe occiſi condituram explicans Martialis lib. 7. epigrammate 26. inquit.

Sed coquus ingentem piperis conſumet acernum,
Addet & arcano milia falerna garo.

Quo loco Domitius per arcanum garum exiguum liquamen intelligit, quia (inquit) Falerni potio ſuperabat garum. Ego non dum video, quò pertineat iſta vini potio, cùm de conditura illic mentio fiat: deinde cur verborum ambages quæſiuit Martialis, cùm in promptu eſſet vox longè ſignificantior, ac magis propria Exiguo, qua ſimili in re vſus fuit Ouidius prima Heroida.

Pingit & exiguo Pergama tota mero?

Dicamus igitur interim, dum harum difficultatum exitum inuenerit Calderinus, arcanum garum iccirco vocari, quia eius conditura exquiſita eſſet, neque omnibus nota, vtpote quam Martialis coquus ſolus teneret, nec cum quoquam communicaret, cuiuſmodi conditu-ris in conuiuijs apparandis ſe vti conſueuiſſe iactat coquus Plautinus Pſeudolo his verbis.

Nam ego ciliendrum quando in patinas indidi,
Aut ſi polindrum, aut macidem, aut ſancaptidem,
Ex ipſæ ſe ſe patinæ feruefaciunt illico,
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.
Terreſtres pecudes cicimandro condio:
Aut hapalopſide, aut cataractria:

Videnda etiam ſunt, quæ arrogantes illi coqui apud Hegeſandrum, Nicomachum, Philemonem iuniorem, Archedicum, & Sotidem mediæ comediæ poëtam de ſe iactant, quorum omnium teſtimonia citat Athenæus lib. 7.

Pliniana quędam vetus lectio defenſa contra Melchiorem Guilandinum. *Cap.* XXII.

QVID cauſſæ fuerit, quamobrem Melchior Guilandinus in ſuo de Papyro commentario quædam Plinij verba proprio loco mouerit, alienaſque ſedes occupare coegerit, ipſe viderit, ego quidem cur veterem lectionem ſedulò retinerj oportere exiſtimem, haud imbecilliorem cauſſam habeo, quàm ſe Guilandinus habere deputet; ſed fuerit operæprecium Plinij verba prius ſpectanda proponere, deinde quæ ex ipſis bona ſententia elici poſsit oſtendere: libro igitur „ Natur. hiſt. 13. ita ſcriptum reperias. Papyrum ergo naſcitur in „ paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, vbi euagatæ ſta„ gnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali ra„ dicis obliquæ craſsitudine, triangulis lateribus, decem non amplius „ cubitorum longitudine in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modò cacumen includens. Huius complexionis verba nullam maiorem continent difficultatem, quàm quòd Melchiori illi, quem modò nominaui, Guilandino haud ſatis, ſuperque ſe aperuiſſe videntur ea præcipuè ſui parte, vbi de triangulis lateribus fit mentio, itaque ipſorum obſcuritati ſe occurrere poſſe credidit, ſi legeret: Brachiali radicis „ obliquæ craſsitudine, decem non amplius cubitorum longitudine, „ triangulis lateribus in gracilitatem faſtigiatum, & reliqua. Nolo in præſentia Guilandini coniecturas pluribus confutare, quid .n. opus eſt longiori ſermone lectorem detinere, cùm in promptu ſit veram illorum verborum ſententiam aperire? Vocat Plinius papyri radicis craſsitudinem brachialem περιφερείας habita ratione, cuius ambitu ſcirpi latera triangula comprehenſa in brachialem craſsitudinē exurgunt: quo modo ſi verba Plinij accipiantur, & ſua ipſi auctori ſententia perbellè conſtabit, & nihil præterea neceſſe fuerit vulgatam ſcripturam demutare.

Virgilii carmen declaratum de Turni morientis gemitu. *Cap.* XXIII.

DIXI iam ſæpè, ac verò ſæpius, & ſcriptis etiam non ſemel teſtatus fui mirificum, ac propè diuinum poëtam eſſe Virgilium; curque de ipſo ita ſentiam, non leues mehercule cauſſas in medium protuli: id quod libet nunc iterum, atque iterum clara voce profari, atque alio, vt ſeſe nunc mihi dat, indicio planum facere. Extremum grandioris poëmatis carmen eſt hoc omnibus notum.

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Fit autem ſermo de Turno Rutulorum rege ab Ænea cæſo, in cuius viri nece cur dictione Gemitu vſus fuerit Maro, nemo eſt, qui nobis explicet, & tamen digna res fuit, quæ ſilentio minimè prætermitteretur, cùm heroi illi ſæuo, atque immani in bello præſertim morienti, & fortiſsimi viri dextra cadenti, quæ res non minimum, vt in illo ſtatu, ſolatium occumbentibus afferre conſueuit, nihil minus conuenire videatur, quàm gemere, & fœmineos vlulatus emittere: eſſet hoc non leue Maronis peccatum, ac neſcio, an vllum grauius reperiri poſſet; Veruntamen, quod Grammatici noſtri non viderunt, nunc ipſe oſtendere ſum paratus, & ex rei natura locutum fuiſſe poëtam apertiſsimè demonſtrare, vt, quemadmodum in vniuerſo illo poëmate doctiſsimum ſe, ac perſpicaciſsimum præbuit, ita in hac parte non minorem eruditionem oſtendiſſe cognoſcatur. Quærunt naturalium affectionum ſtudioſi, quid cauſſæ ſit, quamobrem moribundi ſonum edant, tanquam murmur aquæ labentis per ſalebras, locaque anfractuoſa, atque incurua, aut qualem ſyphunculi, ac fiſtulæ in aquæ ductibus ſonitum excitant, neque aliunde hoc contingere affirmant, quàm quia, cùm vocalem arteriam occludi contingat, ſpiritus, qui confertim erumpere geſtit, nactus anguſtum meatum, collapſamq; fiſtulam, gargariſmo quodam prodit, ac raucum murmur efficit; cõglomeratus itaque ſpiritus, ſpumaque turgida commixtus, ſonitum excitat reciprocantis maris æſtui aſsimilem: quod ipſum in nonullis etiam fit ob panniculos, ac membranas in rugas contractas, ſic vt ſpiritus obliquè, ac ſinuoſo volumine decurrat. Hi autem, qui validi ſunt, vaſtoque corpore, & qui violenta morte pereunt, quod de Turno illic narrat Virgilius, grauius reſonant, diutiuſque cum morte luctantur ob humoris copiam, ac denſos, craſſoſque ſpiritus: ijs verò, qui extenuato ſunt corpore, ac lenta morte contabeſcunt, minus impetuosè, lenique ſonitu fertur ſpiritus, ac ſenſim, placidèq; extinguntur, ac quodammodo obdormiſcunt: Vocem porrò Gemitus aptiſsimam eſſe huic rei ſignificandæ ſciri poteſt ex illo Maronis Ecloga. 1.

Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab vlmo.

Neq; non ité ex hoc altero Martial. lib. 5. de Villa Fauſtini ad Baſſum

Gemit hic palumbus, inde cereus turtur.

Vbi gemere non eſt flere, & lachrymas fundere, verùm quendam raucum ſonum emittere, cuiuſmodi turtures, & palumbi propriè edere conſueuerunt: eandem pulchro ſimili ad aquas tranſtulit Flaccus Od. 20. lib. 2.

Viſam gementis litora Boſphori:

Et ſuauiſsimus noſter poëta Hetruſcus.

Del Mar' Tirreno à la ſiniſtra riua ;
Doue rotte dal vento piangon l'onde.

Prouerbium quoddam, quod ab Eraſmo, & aliis parœmiographis prætermiſſum fuerat, explicatur. Cap. XXIIII.

NESCIO quanam de cauſſa prætermiſſum fuerit ab Eraſmo, cæteriſque, qui poſt ipſum prouerbiales ſententias apud diuerſos auctores extantes in vnum quaſi corpus contraxerunt, Herodoti dictum hoc, quod legitur in Calliope Melampodem imitari: nam tametſi nulla particulari nota inſignitum ſit, qua parœmiæ à ſententijs dignoſci ſolent, non eſt tamen dubitandum, quin adagionis inſtar vſurpari poſſit, quotieſcunq; ſe nobis eius vtendi occaſio obtulerit, multa ſiquidem huius generis prouerbia reperiuntur, quæ nulla præmollitione ſunt enunciata: ſic etiam vulgo iactatum refert Diogenianus Ἱππόλυτον μιμήσομαι.i. Hyppolitum imitabor: volo autem integrum Herodoti locũ appingere, vt prouerbij vſus, atq; origo manifeſtius cognoſcatur; ait igitur. ταῦτα λέγων οὗτος ἐμιμέετο Μελάμποδα, ὡς εἰκάσαι, βασιληΐην τε καὶ πολιτηΐην αἰτεόμενος. καὶ γὰρ δὴ καὶ Μελάμπους, τῶν ἐν Ἄργει γυναικῶν μανεισέων, ὥς μιν οἱ Ἀργεῖοι ἐμισθοῦντο ἐκ Πύλου παῦσαι τὰς σφετέρας γυναῖκας τῆς νούσου, μισθὸν προετείνετο τῆς βασιληΐης τὸ ἥμισυ. οὐκ ἀνασχομένων δὲ τῶν Ἀργείων, ἀλλ' ἀπιόντων, ὡς ἐμαίνοντο πολλῷ πλεῦνες τῶν γυναικῶν, οὕτω δὴ ὑποστάντες τὰ ὁ Μελάμπους προετείνατο, ἤισαν δώσοντές οἱ ταῦτα. ὁ δὲ ἐνθαῦτα δὴ ἐπορέγετο, ὁρέων αὐτοὺς τετραμμένους, φάς, ἢν μὴ καὶ τῷ ἀδελφεῷ Βίαντι μεταδῶσι τὸ τριτημόριον τῆς βασιληΐης, οὐ ποιήσειν τὰ βούλονται. καὶ οἱ Ἀργεῖοι, ἀπειληθέντες ἐς στεινὸν, καταινέουσι καὶ ταῦτα.i. Hoc dicens (Tiſamenus) imitabatur, vt coniectare licet, Melampodem, regnum pariter, & ciuitatem depoſcens. Etenim Melampus, quum ab Argiuis mercede conduceretur è Pylo ad compeſcendum morbum furoris mulierum Argiuarum, depoſcebat pro mercede dimidium regni; recuſantibus id Argiuis, atque digreſſis, quum plures è mulieribus inſanirent, ita obtemperantes, quod Melampus popoſcerat daturi reuerterunt: ibi ille cernens hos eſſe immutatos, plura optauit, negans ſe indulturum, quæ vellent, niſi & fratri ſuo Bianti tertiam partem regni donaſſent. Argiui in arctum redacti hoc quoque annuerunt; Huic hiſtoriæ conſimilem alteram narrat Liuius lib. 1. de vetula quapiam, quæ Tarquinio Romanorum regi fatidicos libros emendos obtulit. Conſtat autem hinc iam prouerbij vſus, atque origo, quo ſcriptiones noſtras ornare poſthac licebit Herodoti exemplo.

Emen-

Emendatus, & explicatus locus in Plauti Caſina. *Cap.* XXV.

NON video, cur quiſquam magnum aliquod facinus facere ſe putet, ſi eodẽ in ſaltu feras duas capiat, id. n. crebrò venatoribus vſu venit, qui non duas modò, ſed longè etiam plures interdum aſſequuntur: atq; Alexander quidem in Bazaniæ regionis ſaltu quatuor millia ferarum interfecit, vt narrat Q. Curtius: Cyrus quoq; quàm multas capit apud Xenophontem? Sed & priuati homines Dianam infenſam ſe habere queruntur, cùm fera vna, atq; altera tantùm intercepta domum repetunt: itaque non eſt, quod magnoperè de illo glorietur Chalinus in Plauti Caſina, inquit tamen illic.

Iam ego vno in ſaltu lepidè apros capiam duos.

Dicam quod ſentio. Puto delendam eſſe præpoſitionem voci Saltu adiunctam, vt hic integer ſenſus remaneat: Ego vno ſaltu, vel vna atque eadem curſura duos apros capiam, id eſt vnico dolo Stalinonem herum, & Olympionem villicum eludam, vna atque eadem opera res duas efficiam: Hanc loquendi formulam inter prouerbiales retulit Eraſmus eo ſenſu, qui menſe Iulio ingens frigus gignere poſſit, Eraſmum deinde ſequutus eſt Lambinus, ac deinceps alij pari frigiditate.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

LOCORVM CONTROVERSORVM LIBER OCTAVVS.

Nonii Marcelli ſententia in trium vocabulorum expoſitione reiecta. Cap. I.

CÆCILII carmen hoc, quod profert Nonius.

Conſequitur comes inſomnia, ea porrò inſaniam affert.

Aliter omninò accipiendum eſt, quàm Grammaticus ille exiſtimauerit, nam inſomnia ibi non pro inſomnio ponitur, ſed ἀϋπνίαν. i. vacuitatem à ſomno, vigiliamque cum moleſtia quadam coniunctam, ſignificat, cuiuſmodi illi experiuntur, qui numquam ſomnum oculis videre poſſunt; ea ſi diuturnior fuerit, inſaniam parit, teſte Galeno, quod innuit etiam Macrobius Saturnal. 7. Vt ſi quis (inquit) adoleſcentem coràm parentibus, vel magiſtris irrideat, quòd inſanire poſsit continuis vigilijs, lectionibuſque nocturnis. Reperitur autem eadem vox apud A. Gellium ex Tuditano, cuius verba, quoniam manifeſtò vocis illius notionem demonſtrant, appoſui: Loquebatur autem vetus ille hiſtoriarum ſcriptor de memorabili cruciatu, quo Carthaginienſes Attilium Regulum Romanorum ducem in prælio à Xantippo captum affecerunt. Tuditanus (inquit Gellius) ſomno diù prohibitum (Attilium) atque ita vita priuatum refert. Idq; vbi Romæ cognitum eſt, nobiliſsimos Pœnorum captiuos liberis Reguli a Senatu deditos, & ab ijs in armario muribus præfixo deſtitutos, eademque inſomnia cruciatos interijſſe. Porrò autem de hac dictione fuſius, atque eruditius diſputat Chariſius lib. 1. in hanc ſententiam. Inſomnia plurali numero ſignificari volunt Grammatici ſomnia, addita ſcilicet præpoſitione, vt Græci dicunt ἐνύπνια, nam & Virgilius.

Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.

Singulari verò numero vigiliam ſignificare, vt Pacuuius in Antiopa dixit.

Perdita illuuie, atque inſomnia,

id eſt vigilia. Sed . . . . . . Virgilius inſomnia pro vigilijs poſuit.

Quæ

Quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent.

„ Quamuis & hic ſomnia intelligi poſsint, quibus terreor. Quid igitur aliud dicemus, quàm veræ notionis falſum exemplum attuliſſe Nonium? Sed & etiam peccauit idem Grammaticus in tradenda ſignificatione verbi Tollere, quod pro pati quandoque ſumi admonet; ſiquidē in exemplis ab eo adductis verbum Tuli non à Tollo, ſed à Fero deriuatur. Præterea verbum Appulit, cùm de naui enunciatur, ab Appello, cuius infinitiuus modus eſt Appellere, non Appellare, formatur, ſecus, atque exiſtimaſſe videtur Grammaticus ille.

Conatus emendandi Ciceronis locum ex Oratore, qui maculam continebat. Cap. II.

VERBA hæc è primo libro De Oratore corrupta eſſe nemo dubitat. „ De his, credo rebus (inquit Craſſus) vt in condicioni„ bus ſcribi ſolet, quibus ſciam, poteroque. Sed quomodo eadem reſtituenda ſint, non conuenit inter eruditos: nam Petrus Victorius, qui vitiū primus deprehendit, exiſtimat legi debere Actionibus pro Conditionibus. Franciſcus Hotomanus, Franciſcus Duarenus, & M. Antonius Muretus reponendum cenſent Cretionibus. Ego (verum vt fatear) neutram caſtigationem ſatis probo, propterea quòd nimiū abeſt à ductu impreſſarum literarū, qui demum religioſius cuſtodietur, ſi legamus in Condictionibus eodem propemodum ſenſu, quo Victorius Actionibus emendauit: Eſt autem Condictio actionis ſpecies, qua cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid, vel dandum, & ſemper aduerſus eundem locum habet: Ac (vt ſcribit Vulpianus Iuriſconſultus) actionum genera ſunt duo, in rem, quæ dicitur vendicatio, & in perſonam, quæ condictio appellatur, à verbo condicere, id eſt denunciare; hinc condictio ex lege, condictio furtiua, condictio triticaria, condictio indebiti, de quibus integri tituli extant in Pandectis. Videtur autem M. Tullius vſus quoque fuiſſe hoc vocabulo, quamquam non eadem omninò ſententia, in „ Orat. pro C. Rhabirio perduellionis reo ibi. Harum omnium rerum „ non ſolùm euentus, atque perpeſsio, ſed etiam condictio, expecta„ tio, mentio ipſa denique indigna ciue Romano, atque homine libero eſt. Ita. n. hunc locum emendauit eruditiſsimus vir M. Antonius Muretus, cùm antea legeretur Conditio: Lętor autem eandem me huius loci caſtigandi rationem iniuiſſe, quam antea in alio eiuſdem ſcripto ris emendando vir ille doctiſsimus ſequutus fuerat.

Pomponij Melæ contextus maculoſus, vt videtur, de opinione reſtitutus. Cap. III.

POMPONII Melæ verba ſunt hæc propè finem libri 13. Hinc „ iam lætiores agri, amœnique ſaltus. Terotæ, & Berini eborè abundant. Quæ neutiquam attigiſſem, niſi vidiſſem Ioachimum Vadianum, & Petrum Oliuarium eruditos, ac diligentes illius auctoris interpretes, haud ſatis inde ſe explicare potuiſſe, vt deinde neceſſe habuerit Adrianus Turnebus vir pari doctrina, atque eruditione pręditus nouam eius loci ſcripturam comminiſci, quò ſenſus aliquis, ſi non omninò verus, at commodus ſaltem, & tolerabilis elici poſſet: quod idem conſilium ſi ipſe quoque ſequutus fuero, nemo (arbitror) id mihi iure vitio verterit. Exiſtimo igitur ex dictionibus Terotæ, & Berini ſatis bellè conflari poſſe Terothoes ebeno; vt lega„ mus Terothoes ebeno arbore abundant. Terothoas autem appello, quos & Trogloditas vocari tradunt, nimirum à venationibus, quarum ſunt illi populi perſtudioſi, vt ſcribit Plinius: qui eoſdem ad Atlanticum mare, ſicut etiam Mela, collocat, & apud quos huiuſmodi arborem naſci ſatis indicat libro 12. vbi etiam ebenum inter arbores locat, cùm alioquin Pauſanias in Atticis narret ſe à Cyprio homine audiuiſſe, cùm diceret ebenum nulla folia, nullumque omninò fructum ferre, quin & ſtirpem nullam eſſe Soli expoſitam: radices tantùm terra occultari, quas eruant Æthiopes, atque ij in primis, qui, quo maximè loco reperiantur, norunt: Nunc Pauſaniæ verba
„ ſua lingua loquentis adſcribam. ἤκουσα ἀνδρὸς Κυπρίου (inquit) δια-
„ κρῖναι πόας ἐς ἀνθρώπων ἴασιν εἰδότος. ὃς τὴν ἔβενον φύλλα οὐκ ἔφη
„ φύειν. οὐδὲ εἶναι καρπὸν οὐδένα ἀπ᾽ αὐτῆς. οὐδὲ ὁρᾶσθαι τὸ παράπαν
„ αὐτὴν ὑπὸ ἡλίου. ῥίζας δὲ ὑπογαίους εἶναι. ταύτας δὲ ὀρύσσειν τοὺς Αἰ-
„ θίοπας καὶ ἄνδρας εἶναι σφίσιν, οἳ τὴν ἔβενον ἴσασιν εὑρίσκειν. Turnebus, vt notum eſt, illic apud Melam ſuſpicatur legi debere Terebintho arbore abundant: quam lectionem ſi quis ſequatur, me aduerſarium non habebit.

Notio quędam huius vocabuli σκάφη aduerſus Petrum Victorium explicata, & quid σκάφιον valeat apud Iuuenalem oſtenſum. Cap. IIII.

ΣΚάφην apud Græcos non ſemper valere nauigiolum quoddã, quę vocis eius peruulgata notio eſt, nuper oſtendit Petrus Victorius, atque id quidem rectè: vereor tamen ne in eo peccauerit, quòd ſcribit ipſam interdum ſignificare inſtrumentum coqui, quo ex ollis

bllis ius hauritur; atque Alexidis quidem, & Antiphonis teſtimonia, quæ ad ſuam illam ſententiam conſtituendam illic ex Athenæo depromit Victorius, parùm omninò momenti habent ad id, quod cupit, oſtendendum, ſicut ipſorum poëtarum verba accuratè perpendenti facilè apparebit. Imò verò (dicam.n.iam confidentius) nullo modo vox *σκάφη* inſtrumentum illud ſignificat, ſed aliud longè diuerſum, nimirum vas, in quo farina aqua conſpergitur ad panem conficiendum, cuiuſmodi nos vulgò Madia nuncupamus & in quo etiam ſolent coqui tractas, polentas, aut alia dulciaria ſubigere, ac diſtendere; id Florentinæ mulierculæ appellant tafferia, quo Cybale Virgiliana vtitur, legas enim in Moreto.

læui tùm protinus illam
Componit tabula, tepidas ſuperingerit vndas:
Contrahit admiſtos tùm fontes, atque farinas
Tranſuerſat, duratque manu, liquidoque coacto
Interdum grumos ſpargit ſale, iamque ſubactum
Format opus, palmiſque ſuum dilatat in orbem,
Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris.

Didici autē hoc, quod dico ex Iulio Polluce, cùm ait libro 7. Ο *μάττων τὰ ἄλφιτα μαγεὺς ματτευόμενος, καὶ τὸ ἀγγεῖον, μαγὶς, καὶ μυλήχορον, καὶ μάκτρα, καὶ σκάφη. καὶ παρὰ Μενάνδρῳ, λωός.* hoc eſt. Qui farinas macerat, macerator, & macerans: & vas ipſum, magis, molicorum, mactra; & ſcapha: atque apud Menandrum linter dicitur: etenim cùm inquit Pollux *καὶ τὸ ἀγγεῖον*, intelligit vas, in quo farina maceratur, nam ſtatim *ματτευομένν* meminerat. Videndum autem an potius vox *σκαφὶς*, ſeu *σκάφιον* valeat id, quod Victorius quærit, nam & huius quoque vocabuli multiplex eſt ſignificatio; & vas præter cetera, ſignificat liquori continendo accommodatum: de quo ſcilicet intellexit Iuuenalis eo carmine.

Et ride, ſcaphium poſitis cùm ſumitur armis.

Riſum autem mihi excitant, qui hoc in loco Scaphium accipiunt pro inſtrumento ruſtico à verbo *σκάπτω*; ac Ferrandus quidem Adducenſis præclarum ſuæ doctrinæ ſpecimen nobis edidit hac interpratatione: Ego non dubito affirmare poëtam illum ſibi ad imitandum propoſuiſſe Plautini Piſtocleri ſententiam, in qua ruſtico inſtrumento nullus locus eſſe poteſt, ait.n.adoleſcens ille Bacchidibus.

vbi ego capiam pro machæra turturem,
Vbique imponat in manum alius mihi pro ceſtu cantharum.
Pro galeâ ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſta talus, pro lorica malacum capiam palleum.
Vbi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.

Vides nunc vt idem polleat ſumere ſcaphium pro armis, quod penes Comicum ſcaphium pro galea, apud quem delicioſæ vitæ plura inſtrumenta enumerantur, de ſarculo, aut raſtro ne verbum quidem.

Locus T. Liuii declaratus, in quo Henricum Glareanum vehementer hæſiſſe apparet. *Cap. V.*

Livivs libro 4. ab Vrbe condita narrans bellum, quod Popul. Romanus A. Poſthumio duce aduerſus Volſcos geſsit, de ipſo Poſthumio loquens ait. Egregiæ Dictaturæ triſtem memoriam faciunt, qui filium A. Poſthumio, quòd occaſione benè pugnandi captus, iniuſſu diſceſſerit præſidio: victorem ſecuri percuſſum tradunt, nec libet credere: & licet in varijs opinionibus: & argumento eſt, quòd imperia Manliana, non Poſthumiana, appellata ſint: quùm qui prior auctor tàm ſæui exempli foret, occupaturus inſignem titulum crudelitatis fuerit. Hic Glareanus neſcit ſe explicare ex illis verbis, Et licet in varijs opinionibus; & argumento eſt: quæ tamen planiſsimum ſenſum continent: dicit.n. Liuius diuerſas circumferri ſcriptorum opiniones de hoc Poſthumij facto, neque.n. deſunt, qui prodant ab eo filium victorē ſecuri percuſſum fuiſſe, propterea quòd iniuſſus præſidio exceſſerit, ſunt item alij, qui hoc negent, quorum opinionem tanquam probabiliorem ſequitur Liuius: primùm autem oſtendit ſibi licere abſque reprehenſione ab ea ſententia diſcedere, quę tunc fortaſſe plurium ſermone circumferebatur, atque eam amplecti, cui ratio magis faueret; ait igitur in varijs opinionibus eſſe vnicuique liberum ſuas conecturas ſequi, quod totidem fermè verbis dixerat ſuperius de Coſſo loquens. Tertius ab Conſulatu Coſsi annus tribunum eum militum conſulari poteſtate habet: eodem anno Magiſtrum equitum, quo in Imperio alteram inſignem edidit pugnā equeſtrem: ea libera conectura eſt: ſed (vt ego arbitror) varia verſare in omnes opiniones licet: Nec multò poſt: atq; alibi ſæpè, cùm res vetuſtiſsimas Populi Romani, & à memoria ſuorum temporum longè diſsitas exequitur: Deinde rationem affert, quamobrem illorum opinionem falſam putet, namque ait, eo præcipuè argumento eorundem ſententiam poſſe confutari, quòd imperia Manliana, non Poſthumiana appellata ſint; & reliqua. Hinc ſatis iam intelligimus, quàm facilè ſuperetur ſalebra illa, in quam Glareanus impegit.

Calpburnij duo loci cum duobus alterius poetę, vnde illi expreſſi videntur, diligenter collati. *Cap. VI.*

Nvmqvam eos malos eſſe poëtas exiſtimabo, qui ſummos, principeſque in eo artificio viros ſibi imitandos propoſuerint: itaque

itaque hoc nomine plurimùm Calphurnium admiror: eique præter ingenij fælicitatem incredibile ſtudium adfuiſſe video bonos poëtas imitandi, quocirca conſequutus eſt, vt inter primi ordines ſcriptores enumerari mereatur: in ipſius ego, & Nemeſiani Bucolica vberes Commentarios confeci, quos propediem in lucem dabo: interim volo ſpecimen aliquod Calphurnianæ induſtriæ in aliorum poëmatis imitandis præbere. Quod igitur hic ait Ecl. 1.

nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia patres.

Ex Horatio aliquo pacto ſumptũ videtur, cuius hoc eſt Ode quapiã.

Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuuentus.

Nota eſt Herodoti ſententia, quæ ait, In pace parentes à filijs, in bello è contra filij a parentibus humari ſolere: An verò hùc reſpexit Horatius, cùm illa ſcribebat? Sed ad Calphurnium: quod apud eundem legitur Ecl. 4.

Tu quoque mutata ſeu Iupiter ipſe figura
Cęſar ades: ſeu quis ſuperùm ſub imagine falſa,
Mortalique lates.

Maniſeſtè ex eodem Lyrico imitatum eſſe conſtat, cuius hæc ſunt eadem Oda.

Siue mutata iuuenem figura,
Ales in terris imitaris almę
Filius Maiæ, patiens vocari *Cæſaris vltor.*

Multi præterea loci ſunt, quos duo illi poëtæ ab optimis alijs mutuò ſumpſerunt mutatis verbis, firma nihilominus manente ſententia, de quibus ego in meis Commentarijs copioſè diſſero.

Plautus emendatus, ac declaratus duobus in locis Truculento. *Cap. VII.*

ALII vt lubet, ego lego in Plautina Truculento.

ſuam non enim ille meretriculis
Moliendis rem coëgit, verùm parſimonia,
Duritiaque, quæ nunc ad vos iam exportatur, peſſumę,
Em tu es exuſgula.

Moliri meretrices valet eas exornare, vel inſtrumenta, quibus ſe comere, & polire poſsint, mundumue muliebrem eiſdem præbere; quod dùm abundè ſuppeditare conantur miſeri adoleſcentes amore irretiti, earumdemque blanditijs deliniti, multo patrum labore partas diuitias breui perdunt, atque dilapidant: id Lucretius elegantiſsimis verſibus expreſsit hunc in modum.

Labitur interea res, & vadimonia fiunt:
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet, & grandes viridi cum luce ſmaragdi
Auro includuntur, teriturque Thalaſſina veſtis
Aſſiduè, & Veneris ſudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ.
Interdum in pallam, ac Melitenſia, Ceaque vertunt.
Eximia veſte, & victu conuiuia, ludi,
Pocula crebra, vnguenta, coronæ, ſerta parantur.

Verbum autem Moliri id, quod dico, ſignificare in Latino ſermone, docet Terentius Heautont.

Non cogitas hinc longius abeſſe, & noſti mores mulierum.
Dum moliuntur, dum comuntur; annus eſt.

Porrò Exugula nuncupatur, quæ alienas opes exhaurit, & quaſi ebibit, à verbo exugo; nam Exungulare in Ioannis Baptiſtę Pij officina ortum puto. Sic autem fermè loquitur idem Comicus Curculione.

Suſſilite (peſſuli) obſecro, & mittite iſthanc foràs,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.

Sophocles quoque in Electra eodem tranſlato vocabulo vtitur, cùm Clytemneſtram inducit animi ſui ſecuritatem verbis exprimentem, propterea quòd duplici cura eo ipſo die liberata eſſet, Electrę ſcilicet præſentia, quam ob oculos ſibi quotidie verſari œgrè patiebatur, & Oreſtis metu: locus notiſsimus eſt. Theocritus quoque imagine inſuper adhibita Plauti ſententiam iuuat hoc ſermone.

Aἰ, αἰ, ἔρως ἀνιηρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Quod valet. Hei hei, amor improbe, cur nigrum è corpore ſanguinem totum inhærens, vt paluſtris hirudo, ebibiſti? Appellat igitur Exugulam Comicus meretricem, quæ amatori ſuo facultates abſtrahit, & perinde, ac hirudo ſanguinem, ita ipſa pecuniam, & opes exugit: valdè.n.accomodata eſt hæc ſimilitudo ad huiuſmodi animi conceptionem exprimendam, itaque eadem quoque vtitur Epidico.

ſed eccum ipſum antè ędes conſpicor Apecidæ
Quales volo vetulos duos. iam ego me conuertam in hirudinem,
Atque eorum exugebo ſanguinem: ſenatui qui columen cluent.

Vnde illud fortaſſe mutuatus eſt Horatius, quod poſuit epiſtola ad Piſones in fine.

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Dete-

Detegitur non leue peccatum Roberti Conſtantini, ignorantis quid valeat apud Senecam Remittere iniuriam. Cap. VIII.

REDDERE iniuriam valere puto, quod aliàs diceretur vnico verbo, vlciſci, id eſt acceptam iniuriam alia iniuria illata rependere, ac retaliare: hoc ſi ita eſt (quemadmodum ſanè videtur) iniuriam remittere ſignificabit apud Senecam par pari referre, illic, „ vbi ait libro de Tranquillit. 2. Cato, cùm illi os percuſſum eſſet, non „ excanduit, non vindicauit: Iniuriam non remiſit quidem, ſed factam negauit. Atqui alia prorſus huius loci ſententia eſt, nimirùm hæc. Cato percuſſus non modò, non remiſit, id eſt, condonauit iniuriam, ſed negauit ſibi factam; qui.n.iniuriam alicui remittit, eo ipſo, quòd remittit, ſibi iniuriam illatam fuiſſe fatetur, eamque agnoſcit: Cato igitur ei, à quo cæſus fuerat, iniuriam non remiſit, ne ſcilicet eo ipſo fateri videretur ſibi iniuriam fuiſſe impoſitam: quid igitur opus habebat ille iniuriam percuſſori remittere, qui eam non agnoſceret, nec ad animum reuocaret? ergo non modò iniuriam non retaliauit Cato, ſed ne remiſit quidem; cur autem? quia ipſam ad ſe non pertinere exiſtimauit. Atque hæc (ni fallor) germana ſententia eſt verborum Senecæ: Fallitur itaq; Robertus Conſtantinus, qui Remittere iniuriam illic accepit, pro iniuriam reddere, ac retaliare: Neque verò inficior ſententiam, quam Conſtantini interprætatio efficit, Socràticam eſſe, & Catone dignam, ſed nego verbis Senecæ conuenire: Illa altera in ore Socratis poſita eſt apud Platonem in Dialogo *περὶ* „ *πρακτοῦ*, qui Crito inſcribitur. *Οὐδὲ ἀδικούμενον ἆρα ἀν ταδικεῖν,* „ *ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται· ἐπειδήγε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν.* hoc eſt. Neque igitur licet ei, qui iniuriam accepit, iniuriam rependere, ſicut multi exiſtimant; quandoquidem nullo modo oportet iniuriam facere: cui Crito aſſentitur dicens, *οὐ φαίνεται.* Verè igitur dictum fuiſſet à Seneca, optimum illum virum noluiſſe iniuriam reponere, ſed maluit dicere ipſum eam non agnouiſſe, cui etiam conſequens erat, vt non rependeret, ſed illud neſcio quid maius fuit, & Catonis animum benè compoſitum, ac conſtitutum expreſsius demonſtrauit.

Diſputatur de ſententia quadam Gulielmi Canteri ſuper Callimachi verſu in hymno Dianæ. Cap. IX.

LIBENTER accipio, quod dat Canterus, nam & alij quoque docti viri multò antè munus illud nobis commendarunt, magnoq; in precio habendum eſſe admonuerunt; intelligo autem Callimachi verſum ex hymno *ἐς τὴν Ἄρτεμιν* ex his priorem.

Νήσῳ

Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ (Λιπάρῃ νέον, ἀλλὰ τότ' ἔσκεν
Οὔνομά οἱ Μελιγουνὶς) ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο
Ἑσταότας περὶ μύδρον.

Ita.n.ipſum legit, atque interpretatur Franciſcus Floridus: vt nullum operæprecium fecerit Gulielmus Canterus, qui nuper admonuerit hoc pacto illum ſcribi debere, pro eo, quod antea erat, *Νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ νέον*. Nam codices nulli extant (quantùm quidem videre potui) in quibus ita ſcriptũ reperiatur, &, ſi fortè aliqui vnquã extiterunt, Floridus ipſe iamdiù docuit veram, germanamque illius carminis lectionem. Hoc primùm: deinde ſciat velim Canterus haud magnum omninò erratum admiſſurum fuiſſe Callimachum, ſi eam inſulam, quæ ſub Cyclopibus Meligunis diceretur, ipſe Liparim appellaſſet: loquitur.n.poëta eo in loco ex perſona propria, non alterius vice, qui Cyclopum ætate vixerit, quod ſi feciſſet, culpa fortaſſe non careret, cui Virgilium affinem eſſe volunt critici eo verſu.

aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portuſque require Velinos.

Hic.n.Palinurus, non poëta ipſe verba facit, quòd ſi ſecus eſſet, res aliter procederet, veluti Paterculus cenſuit volumine hiſtor. priore, ait enim de Theſſalia loquens, cui Heroum ætate Mirmidonum
„ ciuitati nomen eſſet. Quo nomine, mirari conuenit eos, qui Ilia-
„ ca componentes tempora, de ea regione, vt Theſſalia commemorant;
„ quod cùm alij faciant, Tragici frequentiſsimè faciunt: quibus mini-
„ mè id concedendum eſt: nihil.n.ex perſona poëtæ, ſed omnia ſub eo-
„ rum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. Hac de cauſſa tanquam
rectè pronunciatũ accipere oportet, quod ait Auſonius Protreptico.

Sic neque Pelidem terrebat Achillea Chiron
Theſſalico permiſſus equo: nec pinifer Atlas
Amphytrionidem puerum.

Neque.n.tunc temporis Atlas in montem ſui nominis conuerſus fuerat, vt pinifer dici poſſet. Sed quòd Græciæ ſapientes Terentij teſtimonium ter apud eundem laudant, fortaſſe reprehenſionem meretur; ac Seruius quidem Virgilium negligentiæ inſimulat in pari negocio, cùm is inquit Æn. 3. *& fatis numquam conceſſa moueri*

Apparet Camarina procul, campique Geloi,
Immaniſque Gela fluuii cognomine dicta.
Arduus inde Agragas oſtentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Siquidem nauigante Ænea nec fuerat Camarina ſiccata, nec Gela, vel Agrigentum condite. Eiuſdem generis illud quoque cenſendum eſt, quod ait Alexis in fabula quapiam, vbi Linum fingit Herculi ad

ſe

ſe diſciplinę gratia deducto mandare, vt ex multis adiacetibus libris, vnum aliquem ſumeret, quemcunque primùm ſors ei offerret, librorum auctores Orpheum, Heſiodum, Chærilum, Homerum, Epicharmum nominat, homines videlicet Lino, & Hercule multò poſteriores; Alexidis verba ex ea ipſa fabula, cui Lino nomen fecerit, citat hæc Athenæus lib. 4. Βιβλίον

Ἐντεῦθεν ὅτι βύλει, προσελθὼν γὰρ λαβεῖν,
Ἔπειτ᾽ ἀναγνῶς πάνυγε διασκοπῶν
Ἀπὸ τῶν ἐπιγραμμάτων ἀτρέμα τε, καὶ σχολῆ.
Ὀρφεῦς ἔνεστιν, Ἡσίοδος, τραγωδία,
Χοίριλλος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος συγγράμματα
Παντοδαπά. & reliqua.

Hoc eſt, vt quidem vertit interpres. Quemuis librum hinc cedens cape: illum poſtea conſideratè perlegas: inſcriptio monſtrabit illum protinus qualis ſiet. Orpheus ineſt, & Heſiodus, Tragœdia, Chærilus, ac Homerus, Epicharmus, ſimul plures libri: Velim etiam diligenter coſiderent ſtudioſi, an Plautus quoque in numerum redigi debeat, propterea quod Amphytruone Soſiam, & eum ipſum Amphytruonem Herculis auxilium implorantes faciat, cùm adhùc ille non modò non eſſet in Deos relatus, ſed ne in lucem quidem editus. Rei nouitas effecit, vt paulò fortaſſe longius, quàm oporteret, in hunc ſermonem digrederer: id lector æqui, bonique conſulere debebit.

Carmen Virgilii declaratum de ratione pugnę equeſtris. Cap. X.

RECTE admonet Seruius non eſſe turpem fugam, quam penes Virgilium tùm Latini, tùm ipſi Troiani capeſſunt.

Extemplò turbatę acies, verſique Latini
Reiiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt; princeps turmas inuadit Aſylas.
Iamque propinquabant portis, verſique Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt.
Hi fugiunt, penituſque datis referuntur habenis.

Deinde, poſtquam poëtico more ad imaginem, & comparationem diuertit, ſubdit idem Maro.

Bis Thuſci Rutulos egere ad mœnia verſos,
Bis reiecti armis reſpectant terga tegentes.

Siquidem ſcriptum reperitur apud Polybiũ, ita olim fieri conſueuiſſe more, atque inſtituto equeſtris prælij, & pugnandi ex equis ratione ita exigente: Græci auctoris verba ſunt hæc ex libro 3. vbi Cannenſe

„ nenſe prælium deſcribit. ἅμα δὲ τῷ τοὺς Ἴβηρας καὶ Κελτοὺς ἱππεῖς ἀπὸ
„ τῶν εὐωνύμων πελάσαι τοῖς Ῥωμαίοις, ἐποίουν οὗτοι μάχην ἀληθι-
„ νὴν καὶ βαρβαρικήν. οὐ γὰρ ἦν κατὰ νόμους ἐξ ἀναστροφῆς καὶ μεταβολῆς ὁ
„ κίνδυνος. ἀλλ' ἅπαξ συμπεσόντες, ἐμάχοντο συμπλεκόμενοι
„ κατ' ἄνδρα παρακαταβαίνοντες ἀπὸ τῶν ἵππων. quod eſt. Po-
ſtea facto à Gallis, atque Hiſpanis equitibus ex ſiniſtro cornu in Romanos impetu, non ſolùm fortiter, verùm etiam crudeliter dimicabatur. Neque.n.equeſtris more pugnæ conuertere ſe, atque iterùm in hoſtem procurrere licebat, ſed aduerſis frontibus pugnare omnes equis delapſi cogebantur. Præter hunc inſignem Polybij locum, poteſt etiam nobis conſtare de modo illo, ac ratione ex equis pugnan-
„ di Salluſtij teſtimonio, quod illic citat Seruius. More (inquit)
„ prælij ſumptis tergis, ac redditis. Nunc apud nos ſtataria pugna magis in vſu eſt; motoria illa ad Turcas, Arabas, & Mauritanos relegata, quorum equi graciliores ſunt, atq; ideo ad curſum longè magis, quàm noſtri, appoſiti. Cùm equites terga vertunt, vt mox in hoſtem inuehantur, dicuntur militari ſermone Riceuere la carica, id eſt, impetum illum non quidem excipere, ſed fuga declinare, qui.n.excipit, videtur potius contra niti, quàm loco cedere, quod faciunt barbaræ illæ nationes.

Verſus Propertii à menda purgatus, quæ ipſum inquinabat. Cap. XI.

SOLIS equorum pernicitas vulgò notiſsima eſt: videmus.n. ipſum quotidie cæli vniuerſum ambitũ peragrare, & vigintiquatuor horarum ſpatio ad idem punctum, vnde primùm digreſſus fuerat, reuerti; neque verò loquor nunc de Solis curſu accuratè, atque ſubtiliter ex Aſtrologorum diſciplina, ſed craſsè, & communiter ex poëtarum captu; id adeò cum ipſorum poëtarum figmentis copulatum effecit, vt crederem legi debere Pigros equos apud Propertium, non, quomodo nunc viſitur in typis exaratis codicibus Nigros, ibi.

Terra prius falſo partu deludet arantes:
Et citius pigros ſol agitabit equos.

Quid.n.color ille, aut quiuis etiam alius Solis equis adiunctus opis, atque auxilij afferre poteſt eo in loco ad poëtæ mentem nobis oſtendendam? aut rem, de qua illic agitur, efficacius exprimendam, in quem vſum epitheta depromi ſolent? Propono igitur alterã ſcripturam, eandemque vulgatæ illi præponere nil planè dubito.

Locus

Locus Ciceronis paulò obſcurior explicatus ex libro ſecundo de Oratore. Cap. XII.

GLAVCIAE ſalſa vox, qua vir ille Caluinum obſcurè tetigit, variè accipitur ab eruditis: valdè.n.breuiter, atque conciſè à M. Tullio commemoratur libro 2. de Oratore his quidem verbis. „ Hoc ridiculum eſt, quòd Caluino Glaucia claudicanti, vbi eſt vetus „ illud? num claudicat? at hic Clodicat. Super quo quidem ſcommate, quid illic Strebæus, quid item Luiſinus in ſuis Parergis excogitauerint, equidem accuratè, diligenterque ſæpenumero mecum ipſe reputaui, ac, vt alij porrò conſiderent, vehementer cupio: namq; ego (ne quid diſsimulem) poſt quantamuis animi contentionem ex ipſorum ſcriptis non modò quicquam, quod ad Glauciæ mentem intelligendam conferret, elicere non potui: verùm etiam multas tenebras, quæ eius ſplendorem obducunt, ab ipſis offuſas fuiſſe animaduerti: conabor igitur, quantùm in me erit, ipſas diſijcere, atque diſpellere: & loco illi non mediocre lumen (niſi mea me fallit coniectura) apportare. Iocus latet in vicinate vocum claudicare, & Clodicare, quæ tùm ipſa pronunciatione, tùm etiam ſignificatu aliquam inter ſe affinitatem habere videntur. Primo itaque intuitu obijcit Glaucia Caluino corporis, atque animi claudicationem, interius tamen, atque in receſſu eundem notat, quòd Clodij hominis factioſi, & Reip. perturbatoris partes ſequeretur, eique ſocium, ac ſatellitem ſe præberet: inquit.n.Glaucia, quaſi verò prius dictum corrigere velit: Caluinum, tametſi pede vno debilis eſſet, neque eo perinde, atque altero vteretur, non propterea claudicare, id eſt, non eſſe dubiæ, inconſtantiſque fidei: atque ita verbum illud Claudicare & ad corpus, & ad animum retulit, verùm ſubdit, Clodicat, id eſt, P. Clodij factionem amplectitur, & in hoc conſtans eſt, vt eius partes acriter tueatur. Alij ergo, qui ea corporis habitudine præditi ſunt, qua Caluinus præditus erat, dicebantur claudicare, de quibus veteri prouerbio quæri conſueuit, num claudicarent; id eſt, an ipſorum animus corporis vitium ſequeretur, eſſentq; perfidioſi, parumque conſtantes. Glaucia verò non claudicabat, id eſt, non erat fluxæ fidei, ſed Clodicabat, hoc eſt, Clodij partes fouebat, & in hoc valdè conſtans erat, vt non poſſet vllo modo dici claudicare. Niſi hoc pacto Glauciæ ſcomma intelligamus, quid is ſibi velit illis verbis, quæ ſuperius ex Cicerone produxi, ego me ignorare non diffiteor.

Veteris, atque eruditi Grammatici Seruii opinio de Panacea in diſquiſitionem vocata. Cap. XIII.

VIx mihi perſuaſerit Seruius diligens cæteroqui, eruditusque Virgilij interpres, ac ne perſuaſerit quidem Panaceam à Lucretio ſalem vbique nuncupari. Ac primùm quidem nuſquam apud Lucretium pro ſale herbam illam capi exploratum eſt, idque ego, qui poëtam illum, ſemel, iterumque, ac tertiò ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς (vt ait Homerus) diligenter perlegi, ipſumque ſæpè aliàs manibus, oculis, menteque tractaui, meo periculo affirmo: Itaque vel emendare „ oportet verba Seruij. Sciendum tamen Lucilium Panaceam vbiq; ſalem dicere. Vel aliquod aliud Lucretij poëma intelligere oportet; quod non extet: aut etiam Lucretius alius accipiendus eſt, cuius itidē ſcripta interierint: hoc primùm. Deinde non poſſum adduci, vt credam quemquam putaſſe Panaceam ſalem dici: eſt.n.herba hæc, & fuit ſemper notior, quàm vt de ea quiſquam dubitare debuerit: Denique (ne longum faciam) propius vero mihi videri ſolet, ſi dicamus, poëtam illum, quem Seruius illic deſignauit, ſali adiunxiſſe epithetum panaceum, cùm oſtendere vellet miram ſalis proprietatē, quæ ſcilicet innumeros propemodum morbos curare poſſet, quemadmodum & Panacea, nam ſi quis huius, atque illius vires medicas enumeret, facilè intelliget, vix ſtatui poſſe, cui partes priores concedendæ ſint, ac prouerbium ſanè, quod de ipſo circumfertur, Sale nihil vtilius, nonnullum huius rei argumentum præbere poteſt, cui fauet etiam epithetum diuini, quo ipſum ornauit Homerus, quamquā in aliū ſenſum id accepiſſe videantur conuiuæ illi apud Plutarchum.

Vna pertica tractare quo ſenſu accipiendum ſit apud Plinium Iuniorem, vbi Iacobus Ræuardus notatur, qui perperàm locum interpretatus fuit. Cap. XIIII.

EXTANT Plinij Secundi verba Epiſtola ad Caluiſium libro 8. parùm à Iacobo Ræuardo intellecta, imò (verùm vt fatear) per-
„ uersè nimis accepta: verba ipſa Plinij ſunt hæc. Nam regione tota,
„ & nouitas remiſsionis, & forma laudatur; ex ipſis etiam, quos non
„ vna (vt dicitur) pertica, ſed diſtinctè, gradatimque tractaui. Quibus hanc ſententiam ſubeſſe putauit Ræuardus. Loquitur Plinius
„ (inquit ille) de ſuis vindemijs, quas ait certatim negociatoribus
„ ementibus ſe vendidiſſe, & ex ijs nonnullos vna pertica, nonnullos
„ diſtinctè, gradatimque tractaſſe; hoc eſt (vt mihi videtur) vinde-
„ mias partim quidem auerſione, partim vero ſectione ſe vendidiſſe.

Nunc

Nunc ego peto à lectore, atque enixè quidem peto, vt totam illam Plinij epiſtolam diligenter, accuratèque perpendat, nam longior omninò eſt, quàm vt huc transferri debeat, omnemque ſuum conatum deinde adhibeat; ſummaque ope nitatur, vt in eum ſenſum Plinij verba nuper à me allata interpretetur, in quem ea Ræuardus accipienda eſſe hariolatur: Malè peream, ſi vllis vnquam machinationibus ita diſtorqueri poterunt, vt illi ſenſui propius accedant. Quid igitur? Quid? Etſi res planior eſt, quàm vt cuiuſquam interpretationem requirat, dicam tamen. Loquitur illic Plinius de Iuſtitia Geometrica, quàm ſe in liberalitate illa exercenda ſeruaſſe dicit, ea verò ſeruatur, cùm non omnes vno modulo, eademque menſura metimur, ſed pro meritis cuiuſque tribuimus. Docet autem Plato de Legibus 6. & Ariſtoteles περὶ ἠθικῶν ad Nicomachum 5. quibus in rebus Geometrica, quibus Arithmetica proportione vti conueniat: Negociũ ſanè, cuius meminit Plinius, Geometricam ἀναλογίαν requirebat: ipſamque adeò ſe in eo explicando ſequutum fuiſſe Caluiſio ſignificat, dicens ſe non vna pertica, ſed diſtinctè, gradatimque negociatores tractaſſe, id eſt, prout quiſque meritus eſſet. Atque hunc eius loci ſenſum eſſe, quamquam ſatis iam oſtenſum eſt, ipſemet Plinius
» manifeſtius adhuc aperit, dum illic ſubdit. Quantò quis melior, &
» probior, tantò mihi obligatior abit, expertus non eſſe apud me.

Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Hoc Homeri carmen ex. 9. Iliad. depromptum, quod prouerbii vice vſurpatur, docet nos quo conſilio dictum ſit à Plinio paulò antè: Non vna pertica omnes metiri: ſignificant.n. Græca verba in eodem precio, atque honore eſſe malum, ac bonum virum, quod tamen apud ſe non obtinuiſſe ait Latinus auctor, quicquid Achilles cum Vlyſſe colloquens dixerit apud Homerum, cuius carmen ita quis reddiderit.

Vir malus, ac fortis precio ducuntur eodem.

Porrò quid ego de Auerſione, ac Sectione exiſtimem, qua de re pluribus Ræuardus diſputat, alibi docebo, ipſiuſque peccatum apertè demonſtrabo.

Duæ quædam ſententiæ, Salluſtii vna, Arriani altera, quas inuicem pugnare exiſtimauit Muretus, nullo negocio conciliatæ. *Cap. XV.*

CVM primùm incidi in caput vigeſimum libri decimiterij Var. Lect. quas M. Antonius Muretus nuper edidit, tùm primùm didici Nilum flumen Europam, vt ea nunc paſsim à duabus reliquis

terrarum orbis partibus diſtinguitur, præterlabere, cùm antea exiſtimaſſem ipſum illud Africam regionem interfluere: quæ res, quoniam noua, atque inſolens ad aures meas tunc primùm accidit, effecit, vt eius veritatem curioſius inueſtigarem, & rationem aliquam inirem, qua Salluſtium, atque Arrianum, qui aduerſis (quod aiunt) frontibus inter ſe diſcrepare Mureto viſi ſunt, componerem, nec ipſos diuerſa prodere, cùm de illorum fluminum magnitudine loquuntur, oſtenderem: Noſſe igitur operęprecium eſt vniuerſum orbem terrarum à nonnullis in duas, ab alijs in tres præcipuas partes diſtingui, ac ſegregari; qui eius tres partes faciunt, vnam Europæ, Aſiæ aliam, tertiam Africæ tribuunt: qui alteram diuiſionem ſequi malunt, Africam, atque Europam eandem eſſe cenſent, quæ opinio Eratoſthenem auctorem habet, ſicut M. Varro prodit libro De Re. Ruſt. 1. atque hanc diſtinctionem à plurimis, qui res diuinas euidentius agnouerunt, receptam fuiſſe teſtatur Æthicus initio Coſmographiæ: Et re vera hoc ita eſſe euidenti documento monſtrari ait, quia non ſolùm venenorum malè altrix terra partem habet ſpatij, verùm etiam eſt & cæli aduerſo ſydere deſtituta: nam qui illam partem tertiam vocauerunt, non vt æqualem inclitis, præcellentibuſque poſuerunt, ſed ſitu peſsimo, languidam ardoribus ſuis, in extremo poſitam, ab optimis ſecauerunt non diuiſionis merito, ſed ſic vt inciſa ſuis fluctibus inuenitur: & quę illic plura ſequuntur penes Æthicum. De vniuerſa hac diuiſione ſic extat apud Iſocratem in extremo fermè
„ Panegyrico. τῆς ἢ γῆς ἁπάτης τ ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης δίχα τετ-
„ μημένης ϗ τῆς μὲν Ἀσίας, τῆς δ' Εὐρώπης καλυμένης, τὴν ἡ μίσεια ἀ-
„ νὲκ τῶν συνθηκῶν εἴληφεν. hoc eſt. Nam cùm terra vniuerſa, quæ cæli circumflexu tegitur, in duas ſit diuiſa partes, quarum hæc Europa, illa Aſia dicitur, medietatem accepit ex pacto: Atque hanc rectam eſſe, naturæque magis conuenientem diuiſionem pluribus diſputat Lucanus lib. 9. dicens.

Tertia pars rerum Lybię, ſi credere famæ
Cuncta velis, at ſi ventos, cælumque ſequaris,
Pars erit Europę, nec enim plus litora Nili,
Quàm Scythicus Thanais à Gadibus abſunt. & reliqua.

„ Denique Salluſtius ipſe Pleroſque, ait, in diuiſione orbis terræ in
„ parte tertia Africam poſuiſſe, paucos tantum modo Aſiam, & Eu-
„ ropam eſſe, ſed Africam in Europa: inter quos paucos ipſum quoq; ſe connumerari voluiſſe opinor; quod ſi verum eſt (vt mihi quidem fit veriſimile) rectè ab eodē ſcriptum eſt Nilum flumen omnium, quę Europam irrigant, maximum eſſe, proxima magnitudine Iſtrum: quibus tertium Rhodanum addit Varro: ex hac etenim orbis diui-

ſinè apparet Nilum per Europam fluere, quem Iſtro, & Rhodano maiorem eſſe nemo dubitat: itaque rectè Salluſtius proxima magnitudine Nili eſſe Iſtrum flumen ſcripſit, ipſumque (Nilum intelligo) in Europa fluere memoriæ prodidit. Arrianus porrò vulgatam, atq; inter plures receptam opinionem de orbis terrarum partitione ſequutus æquè rectè ſcripſit Iſtrum omnium, quæ in Europa ſunt, maximum cenſeri, nam profectò, cùm Nilum exceperis, qui non Europam, vt eam nunc ab Africa ſeiungit Arrianus, ſed Africam ipſam perlabitur, magnitudinis laus Iſtro concedi debet, quod & Salluſtius quoque, ſi diligenter ipſius mentem intuearis, affirmat: atque Ariſtoteles quidem Meteorologic. 2. fluminum eorum, quæ in Mediterraneum mare illabuntur, Iſtrum, & Nilum maxima eſſe pronunciat. διόπερ (inquit) ὅτε Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν εἰσι τῶν εἰς ταύτην δὲ τὴν θάλασσαν ἐξιόντων. Summa itaque eſt, vt Nilus maximum flumen dicatur eorum, quæ Africam irrigant, ſi hæc orbis terrarũ pars ab Europa diſtinguatur, quemadmodum quidem à plurimis ſcriptoribus diſtingui ſolere oſtendimus, Iſter verò omnia flumina Europæ magnitudine excedere eadem partitione poſita; quòd ſi (vt quibuſdam placuit) Africa in Europa conſtituitur, vt ſic Nilus Europę flumen efficiatur, tunc verè dictum erit à Salluſtio ipſum omnia illius regionis flumina magnitudine ſuperare.

Verè ne dictum ſit à Tibullo Hircum oues augere, vbi Mureti, & Scaligeri iudicium reprehenditur. Cap. XVI.

OSTENDAM nunc haud abſurdè dici hircum oues inire, vt cuſtodiatur videlicet vetus lectio in Tibulliano carmine, quod extat lib. 2. ad hunc modum.

Dux pecoris hircus: auxerat hircus oues.

Vbi Muretus, ipſumque deinde ſequutus Scaliger malunt Duxerat egregia, ſed minimè neceſſaria coniectura: egregia quidem, quoniam ſcriptam lectionem vix quicquam mouet; non neceſſaria, quia hircus oues implere quandoque conſueuit, cuius rei ignoratione factum eſt, vt duo illi docti viri locum mendo non vacare exiſtimauerint: Sed non eſt ita: nam, cùm hircus ouem ſalit, tityrum gignit, quēadmodum è contra capra ab ariete compreſſa muſinum concipit: docet hoc Iſidorus Orig. lib. 12. Certè Afrorum lingua tityrus hircum notat, eum fortaſſe, qui ex oue & hirco natus eſt, vnde etiam exiſtimare licet nomen traxiſſe paſtorem illum Virgilianum, qui in prima Ecloga loqui ab ipſo introducitur.

Aſſas tibias legi debere apud Solinum, non Vaſtas, aut Vaſcas; quod putarunt Perottus, ac Turnebus, & quę nam illę dicerentur demonſtratum. *Cap.* XVII.

„ THERMITANIS locis inſula eſt arundinum ferax, quæ acco-
„ modatiſsimæ ſunt in omnem ſonum tibiarum, ſiue præcentorias
„ facias, quarum locus eſt ad puluinaria præcinendi, ſiue vaſcas, quæ
„ foraminum numeris præcentorias antecedunt; ſeu puellatorias, & reliqua. Quas vocat hoc loco Vaſcas tibias Solinus? an quibus tibicines modos vocis, & tenores regebant, qualis erat fiſtula Gracchi, id eſt μελετητικός? An verè coniecit Nicolaus Perottus, Vaſtas legendum eſſe admonens? Neutrum probo, & tamen aliquid habet hæc, atque illa coniectura, quod veritati cognoſcendæ lumen nobis præferat. Laudo Perotti iudicium, qui mendum aliquod ſubeſſe illi dictioni ſuſpicatus eſt; non probo conſilium, quo vſus fuit in deprauata dictione reſtituenda: rurſus libenter accipio à Turnebo vocis illius expoſitionem, eundem tamen ſatis probare nequeo, qui de vitio nil prorſus fuerit odoratus: cùm tamen dictio Vaſcas nihili ſit, atque ideo reijci debeat. Nolo ſtudioſorum deſideria diutius remorari: itaque admoneo legi illic debere Aſſas pro Vaſcas: neq; verò hic meus ſermo eſt, ſed quem præcepit Seruius Grammaticorum erudiſsimus, cuius hæc verba legas ad illud Maronis ex. 2. Georgic.

Iam canit extremos effœtus vinitor antes.

„ Et Antes alij extremos vinearum ordines accipiunt, alij macerias,
„ quibus vineta clauduntur, quæ maceriæ fiunt de aſsis, id eſt de
„ ſiccis lapidibus: vnde & Aſſæ tibiæ dicuntur, quibus canitur ſine chori voce.

Senecæ vetus lectio contra Iuſti Lipſii iudicium defenſa. *Cap.* XVIII.

„ SCILICET hic pius, & iuſtus, quoniam Druidarum perfidæ gen
„ tis Gallicæ immanem gloriam, à qua ciues ſubmoueram, prorſus extirpauit? Verba ſunt hæc L. Annæi Senecæ in Ludo, quem De morte Claudij, Cæſaris conſcripſit, quibus furtim ſuppoſitas fuiſſe ab inerudito aliquo librario has tres voces Perfidæ gentis Gallicæ, putauit Iuſtus Lipſius: nam (inquit ille) Druidæ ſacerdotes Gallorum ſunt, non gens aliqua Galliæ peculiaris: Sed ne erres, Lipſi, narro tibi gentem aliquando ſumi pro familia, & collegio philoſophorum, vt cùm dicimus gentem Cynicam, Stoicam, Peripateticam: valet ergo gens Druidarum ordinem, ſectamque illorum ſacerdotum

tum: reperi autem hanc vocem apud Plautum Perſa ex editione Camerarij.

Cynicam eſſe gentem oportet paraſitum probè.

Cui reſpondet Græca ἔθνος, qua vſus fuit Ariſtoteles libro primo
» μεταφυσικῶν dicens. διὸ περὶ Αἴγυπτον αἱ μαθηματικαὶ πρῶτον τέχ-
» ναι συνέστησαν. ἐκεῖ γὰρ ἐφείθη σχολάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος. hoc eſt. Quare circa Ægyptum mathematicę artes primùm conſtitutę ſunt, illic.n.gens ſacerdotum vacare permiſſa eſt: Eandem vſurpauit Xenophon Oeconomico: eam dictionem Cicero Latinè conuertit Natio-
» nem, ait enim De Nat. Deorum. Ita ſalem iſtum, quo caret veſtra
» natio, in irridendis nobis nolitote conſumere. & ignotus mihi poëta illo verſiculo.

Scholaſticorum natio madens pingui.

Retineo itaque veterem ſcripturam, poſtquam ratio, quæ ipſam vitio affinem eſſe videri faciebat, ſatis à me (ni fallor) labefactata eſt.

Irridendi quandam rationem, qua nunc in ſtupidos, bardoſque vtimur, à veteribus manaſſe. Cap. XIX.

NVLLO vnquam tempore defuerunt adeò hebetis ingenij homines, vt quædam ſibi pro veris obtrudi paterentur, quæ ne veritatis quidem vmbram vllam gererent, mitto autem Corœbos, Macconas, Myrichos, & ſi qui præterea ſunt, qui ſtultitiæ fama longa temporum ſerie ad hanc vſque ætatem peruenerint, libet.n.eorum loco genus quoddam hominum commemorare, quod eodem ſtultitiæ morbo nobile fuerit apud veteres, quo nunc quoque apud nos paſſim traducitur: Neminem ignorare arbitror iocoſo dicterio quoſdam illudendi morem eſſe, qui faciles, paratoſque ſe præſtant ad quiduis credendum, ijs.n.occinere conſueuimus, non benè ipſos Lunam, quæ Bononiæ lucet, cognitam habere, quaſi verò Luna, quam hic Florentiæ ſpectamus, alia ſit, atque diuerſa ab ea, quam Bononienſes, atque adeò omnes vbique populi intuentur: Manauit autem hic ſermo à veteribus, ne quis domi noſtræ nuper natum exiſtimet: reperi namque apud Plutarchum in Commentario de exilio eundem irridendi modum vſurpatum, vbi cùm plura adduxiſſet, quæ exilij incommodum extenuare, niſi etiam tollere poſſent, demùm ſubdit.
» καί τοι γελῶμεν τὴν ἀβελτηρίαν τοῦ φάσκοντος ἐν Ἀθήναις βελτίονα
» σελήνην τῆς ἐν Κορίνθῳ. τρόπον τινὰ τὸ αὐτὸ πάσχοντες, ὅταν ἀμ-
» φιγνοῶμεν ἐπὶ ξένης γενόμενοι, τὴν γῆν, τὴν θάλατταν, τὸν ἀέρα, τὸν
» οὐρανόν, ὡς ἕτερα καὶ διαφέροντα τῶν συνήθων. hoc eſt. Atqui ſtultitiam eius irridemus, qui Lunam Athenis meliorem, nitidioremque

eſſe

eſſe dicat, quàm quæ Corinthi: & tamen in idem quodammodo vitium mentis incidimus, quùm peregrinantes, terram, mare, aërem, cælum, vt diuerſa, aliaque à conſuetis eſſe contendimus. Non eſt autē in hunc eundem ſenſum accipiendū, quod à Marone dictum eſt.

Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo: ſolemque ſuum, ſua ſydera norunt.

Namque illic de Inferis loquitur poëta, tanquam de orbe alio ab hoc noſtro diſiuncto, qui & ſuo Sole, ſuaque Luna, cæteriſque aſtris ornatus ſit, quæ orbis noſtri ſignis vſquequaque reſpondeant: neque item Martialis illud ex libro 13.

Caſeus Etruſcæ ſignatus imagine Lunæ
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

Nam illic Luna Etruriæ ciuitatem ſignificat, non ſidus.

Oſtenditur, quæ fuerint cœnæ ex ſymbolis, & ex ſportis, atque inſuper Catulli endecaſyllabum declaratur, in cuius expoſitione peccaſſe videntur Franciſcus Robortellus, & Michael Brutus. Cap. XX.

DISTINGVAM accuratius εὐωχίας, hoc eſt, conuiuiorum genera, vt quorumdam error detegatur, qui Catullianum illud perperàm interprætati ſunt.

Cœnabis benè, mi Fabulle, apud me,
Paucis, ſi tibi Di fauent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam.

Conuiuiorum igitur alia vnius conuiuantis ſumptu, alia verò collatione multorum apparabantur, atque in hæc quidem aut ſymbolæ dabantur, aut ſportulæ à conuiuis afferebantur. erat autem ſymbola pignus collatitium, puta anulus, aut aliquid huiuſmodi: ſportulam ſecum afferebant, qui ad cœnam communem euntes in ſportam conijciebant cœnæ portionem, veluti panem, vinum, carnes, cætereaque obſonia: hoc genus conuiuij appellabant Græci ἀπὸ σπυρίδος, portionem ipſam Argiui αἶσαν vocabant: illud alterum dicebatur ἔρανον, vel δεῖπνον ἐκ συμβολῶν, hoc eſt Argiuorum lingua χῶν. Non igitur eadem fuit cœna ex ſymbolis, quæ ex ſportulis: nam ex ſymbolis eſſe dicebātur, cùm vnus quiſpiam ſymbolis collectis, id eſt pignore ab vno quoque conuiua accepto, cœnam ipſe inſtruebat: ex ſportulis edebant, cùm ſibi quiſque cœnam parans, ac in ſportulam componens abibat apud alium cœnaturus. Antipho adoleſcens apud Terentium Eunucho de cœna ſymbolica ita loquitur.

Heri

Heri aliquot adoleſcentes coimus in Peireo,
In hunc diem vt de ſymbolis eſſemus: Chæream ei rei
Præfecimus: dati anuli; locus, tempus conſtitutum eſt.
Præterijt tempus: quo in loco dictum eſt, parati nihil eſt.

Theocriti Scholiaſtes citat hos ſenarios prouerbiales ex poëta quopiā.

Ὅσις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται,
Ἤ χωλός ἐστιν, ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Hoc eſt. Qui ad cœnam vocatus tardius venit, aut claudus eſt, aut non dat ſymbolas. Qui ſymbolam dedit, niſi ad pręſcriptam horam adſit, haud impunè feret, ſiquidem pignore iam collato fieri poteſt, vt incœnatus abeat, atque ita pecuniæ portione illa, pro qua ſymbolum dedit, mulctetur; qui ſecum cœnam affert in ſporta, ſi tardè ad conuiuium acceſſerit, menſaſque iam remotas inuenerit, nihil patitur incommodi, habet.n.ſecum, vnde cœnet: quod Antipho,& reliqui adoleſcentes illi non habebant; vnde ipſis Chæream inuenire neceſſe erat, ſi cœnare vellent, alioqui non tantoperè eum quæſituris, ſi ſportulas ſecum attuliſſent. Sed Athenæus extremo libro octauo hanc differentiam apertè demonſtrat, neque nihil etiam de ipſa notatum reperias apud Suidam, vbi de Brumalibus agit, quos auctores conſulere poteris. Dico igitur verum non videri, quod Franciſcus Robortellus,& Ioann. Michaël Brutus, homines cæteroqui cunctis politioribus literis inſtructiſsimi, exiſtimarunt: nimirùm illic ab erudito poëta cœnam ſignificari ſymbolicam, ſiue collectitiam: neq; .n. hæc, ſed illa altera ex ſportulis, cuius aliquoties meminit Martialis, & in Nerone Suetonius; innuitur eo in loco: de quibus nos plura agemus in noſtris libris De cęnis antiquorum.

Nullum eſſe diſcrimen inter Inuenire, & Reperire, vbi Ouidii carmen explanatur. *Cap. XXI.*

TENVIS illa, & minuta differentia, quam Grammatici conſtituunt,inter Inuenire,& Reperire,mihi numquam digna viſa eſt, quæ pro vera à doctis viris reciperetur,proptereaquòd nullius probati ſcriptoris teſtimonio nitatur: & quoniam Ouidij carmen huic ſuperſtitioni anſam dediſſe videtur, libet nunc oſtendere eius poëtę veram, germanamque ſententiam; Carmen eſt huiuſmodi ex primo Metamor. vbi Iùs fabula recenſetur.

Me miſerum ingeminat, tu ne es quæſita per omnes
Nata mihi terras? tu non inuenta reperta es.

Hinc plerique omnes opinati ſunt abundè oſtendi verbum Inuenire artis eſſe,& induſtriæ, Reperire autem caſus, & fortunæ; ſed fallun-

tur illi ſanè, totaque aberrant via, nec poëtæ mentem ſatis percipiũt: ſiquidē Ouidius non dicit Inachum filiam reperiſſe poſtquam ipſam quærere deſijſſet, ſed dum adhuc ſummo ſtudio, & cura omnes regiones illa vna de cauſſa peragraret. *nunc es quęſita per omnes,*

Nata mihi terras.

Nec aliter ſanè vebo hoc vtitur Maro Æn. 7.

quod cuique repertum eſt,

Rimanti telum, ira facit.

Itaque cum hæc ingenioſè magis, quàm vere à Perotto, Valla, Florido, Rhegio, alijſque diſputentur, oſtendendum eſt tandem quid ſibi voluerit Latinus poëta eo in loco; atque ego quidem exiſtimo illis verbis hanc ſententiam ſubeſſe; Tu filia, & inuenta es, & non inuenta, id eſt, aliqua ratione potes dici inuenta, aliqua non inuenta, illud quidem, quoniam quoquo modo non lates, hoc verò, quoniam priſtinam formam amiſiſti; veteres autem, bonoſque ſcriptores ita interdum loqui conſueuiſſe hæc, quę ſubieci exempla, indicio erunt. Maro Æn. 7.

Num capti potuere capi?

Quod ex Ennio ſumptum eſt. Annal. 10. cùm de Pergamis loqueretur in hanc ſententiam.

Quæ neque Dardaniis campis potuere perire;

Nec cùm capta capi, nec cùm combuſta cremari.

Ad quod etiam reſpexit Petronius eo verſu.

Ibat iuuentus capta dum Troiam capit.

Lucr. lib. 1. *interea perpotet amarum*

Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur.

Sic Ariſtoteles Alexandro querēti, quòd ἀκροαματικοὺς λόγους publicauerit, reſpondit ipſos ϗ δεδομένους, ϗ μὴ ἐκδεδομένους εἶναι. i. neque editos, neque non editos eſſe, ſignificans videlicet ijs ſolis editos eſſe, qui ipſum audiuiſſent. Aeliodorus hiſtoriæ Æthipicæ lib.
» 1. inquit. ὦ θύαμι, τὴν δὲ σοι παρθένον ἐγὼ παραδίδωμι· σὺ δὲ ἔχων
» οὐχ ἕξεις. ἀλλὰ ἄδικος ἔσῃ ϗ φονεύσεις τὴν ξένην. ἡ δὲ οὐ φονευθήσεται. hoc eſt. Thyami, hanc virginem tuæ commendo fidei: veruntamen habens non habebis, ſed iniquus eris, & occides hoſpitem, nec
» tamen illa occidetur: Herodotus quoque lib. 8. ἢν γὰρ σύ τε περιῇς, ϗ
» οἶκος ὁ σός, πολλοὺς πολλάκις ἀγῶνας δραμέονται περὶ σφέων αὐτέ-
» ων οἱ Ἕλληνες. Μαρδονίου δὲ, ἤν τι πάθῃ, λόγος οὐδεὶς γίνεται. οὐδέ τι νι-
» κῶντες οἱ Ἕλληνες νικῶσι, δοῦλον ἀπολέσαντες. hoc eſt. Etenim ſi incolumis es, & domus tua, profectò Gręci ſæpenumero pro ſe ipſis multa certamina curſitabunt: at ſi quid contingat Mardonio cladis, id nullius erit momenti, Græcique vincendo, non vicerint ſeruo

tuo

tuo interempto : his quoque cognatum eſt œnigma illud, quod legitur apud Suidam in voce μεγαλοδοξία. οὔτε δ' ἑωρᾶτο ὁρώμενος, οὔτε ηὑρίσκετο εὑρισκόμενος. οὔτε κατελαμβάνετο ἁλισκόμενος. id eſt. Neque.n.videbatur (inquit) cùm videbatur, nec inueniebatur cùm inueniebatur, neque deprehendebatur, cùm capiebatur. à quo non valdè abhorret vox illa Themiſtoclis ὦ παῖδες ἀπωλόμεθα ἂν εἰ μὴ ἀπωλόμεθα .i. O pueri perieramus, niſi perijſſemus : atque hac quidem de re non aliter mihi videri ſolet.

Inſignis Horatij locus declaratus ex epiſtola ad Piſones.
Cap. XXII.

OMNINO mihi non conuenit cum Horatij interpretibus, quicunque hactenus eius poëtæ epiſtolam ad Piſones conſcriptam ſuis explicationibus illuſtrare conati ſunt, ſuper eo carmine.

Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.

Nec libet tamen in preſentia ipſorum ſententias aut referre, aut pluribus confutare, eſſet.n.id fruſtrà tempus terere, neque ego nunc ocio ita abundo, vt bonas horas huic rei impendere velim : videamus igitur, an quicquam conferre poſsit ad illius loci ſententiam magis intelligendam, quod mihi nuper in mentem venit. Certum eſt Horatium eo in loco præcepta tradere voluiſſe, quibus poſsimus materiam ab alijs tractatam, atque icircò communem, priuatam, ac proprij iuris efficere, ait enim.

Difficile eſt propriè communia dicere, tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm ſi proferres ignota, indictaque primus.

Quoniam autem hanc rem periculi plenam eſſe apparet, cautiones docet, quæ in ea pertractanda ſeruari debent, quoniamque imitatio vel circa materiam verſatur, vel circa verba, de vtroque præceptiones proponit, & quod ad materiæ quidem imitationem attinet, docet non oportere nos imitari eas partes, quæ viles ſunt, nec tractatæ ſplendeſcere queunt, veluti (exempli gratia) ſi quis ex inſigni aliquo poëmate, nempe ex eo, quod Æneæ res geſtas contineat, illam partem ſibi imitandam proponat, quæ Cælenus vaticiniũ explicat, quod apud Maronem eſt huiuſmodi Æn. 3.

Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, noſtræque iniuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Cuius poſtrema pars, quæ ad Horatij locum pertinet, ſic deinde explicatur Æneid. 7.

Conſumptis hic fortè aliis, & vertere morſus
Exiguam in cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu, maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris;
Heu etiam menſas conſumimus, inquit Iulus.

Præcipit itaque Horatius ſumendam eſſe ad imitandum materiam aliquam, quæ ſplendida ſit, & nobilis, non quæ vilis, & plebeia, quemadmodum eſſet accurata nimis, & putida deſcriptio vilis illius cruſti, quod eduliorum penuria Æneæ ſocij conſumpſerunt: ac neſcio ſanè an huic vitio affinis exiſtimandus ſit Catullus, qui in poëmatio De nuptijs Pelei, & Thetidis tàm minutè, tàm multis verbis aulæi, puluinariſque Ariadnæ deſcriptionem proſequitur, eſt.n. hoc morari circa vilem orbem; certè ſi quis Catullum imitari ſtudens amputet partem hanc ex illo carmine, eamque pluribus ornare pergat, non faciet publicam materiam ſui iuris, etenim circa vilem, patulumque morabitur orbem, quæ conditio abeſſe debet, cùm publica materies efficienda eſt propria, namq; id ſub conditione effertur ab Horatio.

Publica materies (inquit) *priuati iuris erit, ſi*
Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem.

Ne quis verò putet me exiſtimare Horatium eo in loco reſpexiſſe ad Virgilij poëma, quod fortaſſe, cùm epiſtolam illam Horatius ſcribebat, nondum in vulgus dimanauerat, is ſciat velim huiuſmodi commentum de cruſto panis in cibariorum inopia deuorato Græcos auctores agnoſcere, à quibus deinde in ſuum poëma tranſtulit Virgilius; teſtem dabo Strabonem, cuius hæc ſunt libro 13. γεογραφ. loquitur autem de Aeneæ erroribus, de quo multi multa tradiderunt, atque aliquos quidem affirmare ait ipſum in Siciliam fuiſſe profectũ & cum Elymno, & Troiano Erycem, & Lilybęum occupaſſe, & fluuios circa Aegeſtam appellaſſe Scamandrum, & Simoëntem; ἔνθεν δὲ (inquit) εἰς τὴν Λατίνην ἐλθόντα μεῖναι κατά τι λόγιον τὸ κελεῦον μένειν ὅπου ἂν τὴν τράπεζαν καταφάγοι. συμβῆναι δὲ τοῖς Λατίνοις περὶ τὸ Λαουίνιον τοῦτο, ἄρτου μεγάλου τεθέντος ἀντὶ τραπέζης κατ' ἀπορίαν, καὶ ἅμα ἀναλωθέντος τοῖς ἐπ' αὐτῷ κρέασιν. Hoc eſt. Inde in Latium profectum, ibi permanſiſſe reſponſo quodam iubente, in eo loco ſibi permanendum eſſe, vbi menſas ederet; quod in Latio propè Lauinium accidit. ibi.n. ingens panis pro menſa per imprudentiã appoſitus, cum carnibus, quæ ſuper eo erant, abſumptus eſt. Hoc idem factum commemorat Dionyſius Alicarnaſeus ἀρχ. 1. vt priſcã fabulam agnoſcas. Eruditiſsimus vir, omnique liberali diſciplina perpolitus, idemq; ciuis meus Chriſtophorus Rufus hunc Latini poëtæ locum aliter accipit, atque interpretatur in ſuis Antexegematis

doctè quidem, & peringenioſè (vt mihi videtur) ſed idem tamen non ægrè feret, me aliter de hac tota re cenſuiſſe; quamquam eatenus veram eſſe arbitrabor ſententiam meam, quatenus eam ab ipſo probari intellexero; viuit enim adhuc ſummo Reip. literariæ commodo, inque ea ſtudia ſedulò incumbit, quæ & ipſi immortalitatem & patriæ noſtræ ingens decus quandoque ſint allatura.

Correctum, & declaratum Martialis carmen, quod in cognomine Romanæ gentis deprauatè legebatur. Cap. XXIII.

NON percipiunt Martialis acumen, qui libro epigr. 5. illic, vbi Apollonij Rhetoris imbecillam admodum memoriam carpit, legendum putant.

Quintum pro Decimo, pro Craſſo, Regule, Marcum
Ante ſalutabat rhetor Apollonius.

Nam profectò res ipſa docet, pro eo, quod eſt Marcum, ſcribi debere Macrum vnius literulæ parua traiectione, alioquin non conſtabit, in quo peccauerit Apollonius, ſi in Licinio Craſſo appellando, vſus fuiſſet prænomine Marci, ita enim vir ille vocabatur. Macrum igitur ſcribi debet, vt opponatur Craſſo, quod conſultò à Martiale poſitum eſt, vt infirmiſsima rhetoris illius memoria magis dignoſceretur, vtpote qui res contrarias pronunciaret, Macer ſiquidem opponitur Craſſo, & eſt nihilominus gentis Veturiæ, Octaciliæ, Æmiliæ, Papiriæ, Pompeiæ, ac fortaſſe nonnullarum aliarum, de quibus quærere diſtuli, cognomen, quemadmodum Craſſus Liciniæ: Macri cuiuſdam meminit Tibullus ibi.

Caſtra Macer ſequitur, tenero quid fiet Amori?

Apollonius itaque adeo fuit obliuioſus, vt pro Decimo Quintum, quæ vtraque ſunt Romana prænomina, idemque pro Craſſo, quod eſt Liciniæ gentis cognomen, Macrum enunciaret, aliud videlicet cognomen non modò illi alteri nulla vicinitate literarum, aut ſono, ſignificationeue proximum, ac propè par, verùm etiam penitus contrariū, vt liquidò apparet.

Diſcutitur Plinij locus, vbi agitur de Laſerpitio. Cap. XXIIII.

DE Laſerpitio loquens Plinius lib. 19. ſic inquit. Multis iam an-
„ nis in ea terra non inuenitur, quoniam publicani, qui paſcua con-
„ ducunt, maius ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo. Nodus inextricabilis, quem ego tamen Alexandrum imitatus aut diſſoluam, aut, niſi hoc præſtare potero, certè, quod proximum fuerit, diſſecabo. Inquit Plinius Cyrenaicam prouinciam laſerpitium

„ tium ferre multis iam annis deſijſſe, cauſſam addit, Quoniam (in-
„ quit) publicani depopulantur pecorum pabulo: Si ager ille tantam laſerpitij copiam fundit, vt pecori alendo ſufficiat, quanam, quæſo, ratione dictum erit à Plinio multis iam annis in ea terra non inueniri, vt vnus omninò caulis ſua memoria repertus Neroni Principi ſpecioſi muneris inſtar mitti debuerit? Hæc (ſi quid video) ſimul non cohærent, Cyrenaica prouincia laſerpitium gignere deſijt, & publicani id depopulantur pecorum pabulo; neque.n.depopulari vnquam potuiſſent, niſi eo regio illa abundaſſet; atque abundauit quidem omni ferè tempore, ex quo primùm illud ferre cepit, vnde Cyrenæ laſerpiciferæ dictæ ſunt à Catullo in Endecaſyllabo: ac Syneſius epiſtola ad Pylemenum ſcribit ſe munera quæpiam Tryphoni adornaſſe, inter
„ quæ ſuccum laſerpitij numerat addens ἀγαθὸν δὲ ὁ Κυρηνὸς καὶ τοῦτον ἐκ-
„ τρέφει: ac rurſus alia ad eundem epiſtola ἠρόμην (inquit) τὸ μειρά-
„ κιον ὑπὲρ τοῦ σιλφίου, πότερον ἀπὸ γεωργίας σοὶ γέγονεν, ἢ δῶρον λα-
„ βὼν, ἔθου μερίδα κἀμοί. καὶ ἐπεί τα μαθὼν, ὥστε τὸ σπουδαζόμενον ὑπὸ σοῦ
„ κηπίον, πρὸς ἅπασι καὶ τοῦτον ἐκόμισε τὸν καρπὸν ἥσθην διπλῇ, τῷ, τε
„ κάλλει τοῦ λαχάνου. καὶ τῇ φήμῃ τοῦ τόπου. & reliqua: id eſt. Interrogaui adoleſcentulum de ſilphio, an ab agricolatione tibi prouenerit, an dono accipiens decideris & mihi partem. Et tandem poſtquam didici, quòd hortulus iſte magno abs te ſtudio comparatus, cùm cæteris etiam hunc tulit fructum: lætatus ſum duplici nomine, & oleris pulchritudine, & loci fama. Denique Arrianus de expeditione Alexandri lib. 3. laſerpitij hiſtoriam pluribus proſequitur, cuius verba Pli-
„ nij loco non aliena ſubijcio. ἀλλά ἐν γε τούτῳ τῷ Καυκάσῳ οὐδὲν ἄλ-
„ λο ὅτι μὴ τέρμινθοι πεφύκασι, καὶ σίλφιον, ὡς λέγει Ἀριστόβουλος. ἀλλὰ
„ καὶ ὡς ἐπῳκεῖτο πολλοῖς ἀνθρώποις, καὶ πρόβατα πολλὰ καὶ κτῆνη ἐνέ-
„ μοντο, ὅτι, ὅτι καὶ χαίρουσι τῷ σιλφίῳ τὰ πρόβατα. καὶ εἰ ἐκ πολλοῦ πρό-
„ βατον σιλφίου αἴσθοιτο, καὶ θεῖ ἐπ' αὐτὸ, καὶ τὸ, τε ἄνθος ἐπινέμε-
„ ται, καὶ τὴν ῥίζαν ἀνορύττον καὶ ταύτην κατεσθίει. ἐπὶ τῷ δὲ ἐν Κυ-
„ ρήνῃ ὡς μακροτάτω ἀπελαύνουσι τὰς ποίμνας τῶν χωρίων, ἵνα καὶ
„ αὐτοῖς τὸ σίλφιον φύεται. οἱ δὲ καὶ περιφράσσουσι τὸν χῶρον, τοῦ μηδ'
„ εἰ πελάσειεν αὐτῷ τὰ πρόβατα, δυνατὰ γενέσθαι εἴσω παρελθεῖν.
„ ὅτι πολλοῦ ἄξιον Κυρηναίοις τὸ σίλφιον. hoc eſt. At in hoc Caucaſo nihil præter terminthum, & ſilphium naſcitur, vt auctor eſt Ariſtobulus: & nihilominus multos incolas habet, multæque in eo pecudes, atque armenta paſcuntur, quòd pecudes ſilphium ament; & ſi ex longinquiore loco id per odoratum ſenſerint, citatim eò feruntur, depaſtoque flore radicem etiam ſuffodiunt, atque arrodunt; eamq; ob cauſſam Cyrenæi greges ouium quàm longiſsimè ab ijs locis arcent, quibus ſilphium naſcitur: alij ſepem obducunt, ne ſi pecudes

pro-

propius accedant, ad interiora loca penetrare poſsint: magno enim apud Cyrenæos in pretio eſt ſilphium. Ac Strabo ſanè probabiliorem cauſſam affert, cur Cyrene plantam illam ferre deſierit, quàm fecerit Plinius; ille.n.ſic ait lib. 17.
„ ὁμορεῖ δὲ τῷ Κυρηναίᾳ ἡ τὸ σίλφιον
„ φέρουσα, καὶ τὸν ὀπὸν τὸν Κυρηναϊκόν, ὃν ἐκφέρει τὸ σίλφιον ὄπισθεν.
„ ἐγγὺς δ᾽ ἦλθε τοῦ ἐκλιπεῖν ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατ᾽ ἔχθραν τι-
„ νὰ καὶ φθείραντα τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ. εἰσὶ δὲ Νομάδες. hoc eſt. Cyrenæis finitima eſt regio, quæ ſilphium gignit, & Cyrenaicum ſuccum, quem ſilphium poſterius effert: id propemodum defecit, cùm aliquando barbari odio quodam ingruiſſent, ac radices eius penè omnes eruiſſent: fuere hi Nomades. Hunc, atque illum Plinij locum
„ fuiſſe complexus videtur Solinus his verbis. Apud Cyrenenſes præ-
„ terea Syrpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis,
„ quàm arbuto: cuius è culmo exudat æſtatis tempore pingue roſci-
„ dum, idque paſcentium hircorum inhæret barbulis: vbi cùm areſa-
„ ctum inoleuit, guttis ſtyracis legitur ad vſum menſarum, vel medelæ
„ magis: Dictum eſt primùm lac Syrpicum, quoniam manat in modũ
„ lacteum, deinde vſu deriuante Laſer nominatum: quæ germina ini-
„ tiò barbaricæ impreſsionis vaſtatis agris: poſtea ob intolerandam ve-
„ ctigalis nimietatem fermè penitus ipſi accolæ eruerunt. Hæc ego de laſerpitio quaſi quadam tumultuaria opera vndique decerpta in vnum locum coëgi, vt poſſet lector facilius de tota re aliquid certi conſtituere; nam mihi adhuc aqua hæret: Nunc reliquum eſt, vt difficultatem, quæ in Plinij verbis reſidere videtur, aliquo pacto auferre coner; cuius rei efficiẽdæ expeditiſsima ratio mihi videri ſolet, ſi lega-
„ mus. Multis iam annis ex ea terra non inuehitur; ſcilicet ad nos; ac tunc rectè inferetur, Quoniam publicani, & reliqua; vt intelligamus Plinij ætate maius lucrum facere conſueuiſſe publicanos, ſi greges laſerpitium depaſci permitterent, quàm ſi inde ſuccum exprimentes ad morbos perſanandos pharmacopolis ipſum diſtraherent, quod cùm Arrianus illa ſcribebat, ſecus eueniebat; fuit igitur in cauſſa, cur à laſerpitij penuria Romæ laboraretur, publicanorum auaritia, qui pecudes in agros eo refertos immittebant; vt illic ſaturarentur; ſimilem cauſſam affert Galenus libro primo de Antidotis, cur iunci floris non ita frequens ſua ætate in pharmacopeis viſeretur; nam (inquit) etſi tota aduehatur herba, ſunt tñ eius ſuperiores partes à camelis ſæpè depaſtæ, veſcuntur.n.ea, & delectãtur maximè. Eſt etiã pari emẽdandi ratione corrigendus locus ille Iſidori lib. Orig. 14. Capris co-
„ pioſa (Creta) ceruis eget, lupos, & vulpes, aliaq; ferarũ noxia nuſq̃ gi-
„ gnit, ſerpẽs ibi nullus, & noctua nulla, etſi inueniatur ſtatim moritur; nam pro Inueniatur, ſubſtituere oportet Inuehatur longè cõmodiore ſentẽtia.

T. Liuij

T. Liuij contextus de opinione reſtitutus. *Cap. XXV.*

NARRAT Liuius libro Annal. 3. C. Terentillum Arſam tribunum plebis capta occaſione ex Conſulum abſentia, qui in Volſcos belli gerendi cauſſa profecti erant, plebem concitaſſe ſpe propoſita Conſultaris poteſtatis coërcendæ, quã nimiam, intollerabilemq; liberæ ciuitati eſſe affirmabat: qua de re cùm plura ſeditioſus homo diſputaſſet, tandem hæc obliquè loquitur apud illum ſcriptorem. Nomine tantum minus inuidioſum conſulare imperium, reipſa prope atrocius, quàm regium eſſe: quippe duos pro vno dominos acceptos immoderata, infinita poteſtate, qui ſoluti, atque effrenati ipſi, omnes metus legum, omniaque ſupplicia verterent in plebem, & quæ ſequuntur. In his ego verbis mendum aliquod ſubeſſe nunquã non ſum veritus, propterea quòd non ſatis cohærere iudicarẽ, quod dicitur Immoderata, infinita poteſtate, id quod etiam Glareano, & Sigonio difficultatem nonnullam peperit: meme igitur diligenter excuſsi, atque εὐστοχίαν meam auxilio aduocaui, atque ita re tota, quà ad Liuij ſententiam, quà ad corruptæ vocis literarũ tractum, diligenter examinata, denique conieci oportere ſcribi: Quippe duos pro vno dominos acceptos in eos delata infinita poteſtate: & reliqua: Ex Immoderata, ſeruatis quantum potui vulgatæ lectionis veſtigijs, ſatis aptè (ni fallor) conformaui In eos delata, quæ clauſula. C. Terentilli mentem ei rei, quam tunc plebi perſuadere conabatur, valdè accomodatam exprimit, quemadmodum intelligent ij, qui vniuerſum T. Liuij contextum ſibi percurrendum duxerint: Non affirmo tamen ita omninò legi debere, nam, etſi aliqua mihi de mendo ſuſpicio iamdiù orta eſt, non penitus tamen inualuit apud me hæc ſententia, ſed tantùm dico (ſi locus fortè emendationis indigere iudicatus fuerit) commodiſsimam mihi videri eius corrigendi rationem, quam propoſui.

ROBERTI TITII
BVRGENSIS
LOCORVM CONTROVERSORVM
LIBER NONVS.

Propertij carmen obſcurum, ac difficile explicatu.
Caput I.

TIMIDE, ac dubitanter hunc Propertij locum attingam, nam, vt verè eſt, ita ſemper à doctis viris obſcurus, atque explicatu difficillimus habitus eſt; neque ego ſanè, vt cunque multùm, diùque laborauerim, vt bonum aliquem ſenſum inde eruerem, meque in hoc plurimùm torſerim, quippiam adhuc me excogitaſſe intelligo, in quo animus meus iure acquieſcere debeat; ſed tamen quicquid eſt, quod mihi nuper totam illam Elegiam paulò diligentius, atque accuratius relegenti in mentem venit, his meis adnotationibus committere volui, vt iudicent eruditi, an aliquantò propius, quàm hactenus alij fecerint, Propertij mentis ſcopum attigerim, namque ipſum illum prorſus me aſſequutum eſſe, non confido: Ait igitur elegantiſsimus Poëta lib. 2.

Hoc merui ſperare; dabis mihi perfida pœnas:
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.

Mitto nunc, quę ſuper hoc poſteriore carmine Beroaldus, Turnebus, Scaliger, & ſi qui ſunt alij, ſcriptum reliquerunt: et quid ego fermè cenſeam, breuiter indico. Queritur Propertius fidem ſibi à Cynthia non eſſe integrè, ac religioſè ſeruatam, atque illi perfidiam, & leuitatem exprobrat, qua ſe tamen indignum eſſe dicit; pro qua quidem leuitate, atque inconſtantia minatur ſe eodem leuitatis genere ipſam remuneraturum, nam cùm perſępè conceptis verbis vterque iuraſſet, Propertius quidem nullam Cynthiæ ſe prælaturum, Cynthia viciſsim nullum Propertio cariorem, ac potiorem vnquam habituram, Cynthia ſanè iuramentum eluſit, paſſaque eſt ipſum à ventis diſsipari, atque ita irritum fieri, quam perfidiam vt eodem pęnæ genere vlciſcatur Propertius, ait ſibi quoque preſtò futurum ventum Aquilonem, qui, ſicut Cynthiæ verba olim diſcerpſit, ita ſua quoque abripiat, atque irrita faciat: ventus igitur Aquilo etiam nobis erit, inquit Propertius, id eſt aderit, & promiſſa quoque noſtra diſcerpet,

tùm ſcilicet, cùm aliam puellam adamauero, inque eius laudem, & commendationem ingenij vires omnes expromam, nam ſtatim illic ſubdit Latinus poëta.

Inueniam tamen è multis fallacibus vnam,
Quæ fieri noſtro carmine nota velit.
Nec mihi tàm duris inſultet moribus, & te
Vellicet; heu ſerò flebis amata diù. & quæ ſequuntur.

Porrò conſtat prouerbiali ſchemate vſurpari ſolere Ventis tradere, pro eo, quod eſt obliuiſci, atque ex animo eijcere, nam, quæ ventus rapit, noſtram cuſtodiam euadunt, & nobis quodammndo amplius cordi non ſunt: adnotat Seruius ad illud Virgilij ex 10.

nec ferre videt ſua gaudia ventos.

Vtitur prouerbio etiam alibi idem poëta, videlicet lib. 9. *ſed aura.*
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant. rurſus in 11.
Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partim
Mente dedit, partim volucres diſperſit in auras.

Catullus ad Alphenum, quem perfidiæ accuſat;

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aëreas ſinis. Anacreon

Οτ᾽ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον, hoc eſt. *Vbi ſuaue poto vinum,*
Αποϱίπτονται μέϱιμναι *Subitò moleſta cura, &*
Ϡολυφϱόντιδές τε βȣλαὶ *Operoſa conſilii vis*
Ες ἁλικτύπους ἀήτας. *Rapidas eunt in auras.*

Theognis in carmine elegiaco ad Cyrnum.

Τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὴ μὲν ἀπόκϱισις, ἐσθλὰ δ᾽ ἔϱγα.
Τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέϱȣσιν ἔπη.

Quòd eſt. Bonorum bona eſt reſponſio, & bona opera, malorũ autẽ venti miſera ferunt verba. Propertius hoc ipſum prouerbium reſpiciens ex ventorum numero Aquilonem ſelegit, vtpote impetuoſum, & vehementem, & qui propterea deſiderio ſuo melius obſequi poſſet: Tibullus quoque venti nomen expreſsit, cùm eandem rem ſignificare vellet; ait enim lib. 1.

Hei mihi fingebam, quæ nunc Caurusque, Notuſque
Iactat odoratos vota per Armenios. rurſus lib. 3.
Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

Vbi melius fortaſſe legetur Trepidos, quàm Tepidos: ſicut & in illo Ouidiano.

Que tibi ſunt facienda tamen, cognoſce: nec Euris
Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.

Atque hoc quidem tempore nil melius mihi ſuccurrit, quod in commune

mune conferam, ſi quid prӕterea commodius reperire potero, harum literarum ſtudioſos non celabo.

Emendatus T. Liuij contextus, quem puſilla quadam macula deturpabat, & de M. Tullij quodam loco diſputatum. Cap. II.

PAPYRIVS Conſul cum Samnitibus dimicaturus ita exercitum inſtruit apud Liuium lib. 10. Dextro cornu (ſunt autem hæc ipſius Liuij verba) L. Volumnium, ſiniſtro L. Scipionem, equitibus legatos alios C. Cæditium, & Trebonium præfecit. Sp. Nautium mulos detractis clitellis cum cohortibus alaribus in tumulum conſpectum properè circumducere iubet, atque inde inter ipſam dimicationem quantò maximè poſſet moto puluere oſtendere. Non video, quid cauſſӕ fuerit, quamobrẽ lectorẽ admonere debuerit Liuius tumulũ illum fuiſſe conſpectum, nam profectò nullus adeò exiguus tumulus eſſe poteſt, qui ſe clarè ſpectandum intuentibus non præbeat, vt omnis de eius conſpicuitate admonitio ſuperuacanea prorſus cenſeri debeat: quod cùm ita ſit, facilè adducor, vt credam Liuij contextum parùm bona fide ad nos permanaſſe, ac pro eo, quod nunc legitur Conſpectum, ſcribi oportere Conſeptum, vt intelligamus videlicet collem illum arboribus conſitum fuiſſe, quod quidem veriſimiliter dici, ſciri etiam poteſt ex re, quæ deinde conſequuta eſt, nam ſic ipſam narrat paulò poſt idem ſcriptor. Sp. Nautius (Octauium Metium quidam eum tradunt) dux alaribus cohortibus erat: puluerem maiorem, quàm pro numero excitabant inſidentes mulis calones; frondoſos ramos per terram trahebant: arma, ſignaque per turbidam lucem in primo apparebant. Sic etiam legi debere videtur apud M. Tullium Academic. quæſt. lib. 1. ibi Quæ cùm ſunt dicta, in conſepto conſedimus omnes: apparet enim ipſum indicare voluiſſe locum aliquem, in quo conſederint, qui diſputationi intererant, quomodo etiam fecit in Lucullo ibi. Cùm igitur pauca in Xyſto locuti eſſemus, tùm eodem in ſpatio conſedimus. Quamquàm vocem Conſpectum, quæ extat in omnibus impreſsis libris, haud prorſus reijcio, plana ſiquidem eſt, nec malum ſenſum continet, hoc enim dicit, ita omnes conſedimus, vt alter in alterum faciem obuerſam haberet, atque ita omnium vultus facilè eſſet intueri, quod ſimul colloquuturi facere conſueuerunt. Porrò (vt ad Liuium reuertar) ne quid ſcrupuli animum lectoris angat, illud etiam ſciendum eſt, dici Latinè locum aliquem conſeptum abſque vllius arboris adiectione. M. quidem Cicero ita loquitur Dialogo De Senectute. Cæteris in rebus (inquit) comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum, & diligenter conſitum oſtendiſſe.

Lactantii Firmiani vulgata ſcriptura, quam Gulielmus Conterus tentauerat, germana eſſe oſtenditur. Cap. 111.

LACTANTIVS Firmianus Diuin. Inſtit. lib. 3. cùm philoſophiæ originem ſatis recentem eſſe demonſtrare vult, Perſij emiſtichia hæc citat ex Saty. 6.

poſtquam ſapere vrbi
Cum pipere, & palmis venit. ſtatimq; de ſuo addit.

„ Tanquam ſapientia cum ſaporis mercibus fuerit inuecta. Lactantij mentem, quæ his verbis continetur, nequaquam aſſequutus eſt Gulielmus Canterus, vnde etiam factum eſt, vt locum mendo non vacare crediderit, neque enim ſatis Latinè dici putat ſaporis merces: quid
„ igitur ille? Certè (inquit) Saporis merces nunquam dubitabo La-
„ ctantium dicere voluiſſe. Præbe mihi attentas aures, Cantere, nam ego facillimè docebo te illorum verborum genuinam ſententiam. Non dicit Lactantius cum Saporis Perſarum regis mercimonijs ſapiētiam in vrbem inuectam fuiſſe, quoniā hoc ad Perſij carmen relatum, quemadmodum quidem referri debere intelligunt omnes, nullo modo conuenire poteſt, cùm Perſius multis annis regem illum ætate anteceſſerit, nam Perſius circa tempora Claudij Tiberij floruiſſe creditur, Saporem verò cum Gordiano Iuniore, atque aliquot ipſum deinde inſequentibus Romanorum Imperatoribus varia bella geſſiſſe conſtat. Hoc igitur ſibi vult Perſius illo ſermone, vt interpretatur Lactantius, philoſophia in vrbem aducta fuit cum ſaporatis, ſiue ſapidis mercibus, quæ ex Aſia deferri non multò antè ceperant, cuiuſmodi eſt piper, atque alia huius generis aromata; interimque alludere videtur Lactantius ad ſapientiæ nomen, quod à ſapore quaſi per contemptum deduci vult, inquit.n. ſapientiam vnà cum cæteris ſapidis Orientis mercibus in vrbem comportatam fuiſſe, à quibus etiam nomen traxerit; dicitur enim ſapientia à ſapore, quo merces illæ, quibus cum ipſa ad nos delata fuit, præditæ erant: atque ita dictio Saporis nunc vice adiuncti fungetur, quam tamen nouè ab eo, quod eſt ſapor ſaporis, conformauit Lactantius exemplo quarundam aliarum dictionum, quæ eadem prorſus ratione à ſuis ſubſtantiuis deducuntur: veluti cùm ab odore dicimus odorum, à vapore vaporum, à canore canorum, ab honore honorum, à ſopore ſoporum, & ſi quæ ſunt alia huius generis vocabula. Atque hæc (ni fallor) pura, putaque ſententia eſt illius loci Lactantiani; quam (vt dixi) dum non percipit Canterus temerè, atque imperitè veterem ſcripturam deprauare adortus eſt.

E Cice-

E Cicerone macula quæpiam ſublata, quam Petrus Victorius eluere non potuit. Cap. IIII.

VLCVS, quod in M. Tullio detexit eruditiſsimus vir Petrus Victorius, neque tamen ſanare potuit, non dubito, quin hac noſtra curatione adhibita, ita prorſus tollatur, vt ne cicatrix quidem vlla poſthac appareat: malè autem affecta pars in politiſsimo illo ſcri-
„ ptore ſpectatur lib. 3. de Nat. Deor. ibi Singulas enim ſtellas nume-
„ ras Deos: eoſque aut belluarum nomine appellas, vt capram, vt lu-
„ pam, vt taurum, vt leonem: aut rerum inanimatarum, vt Argò, vt
„ aram, vt coronam. Nam quæ tandem bellua inter ζώδια reperitur, cui lupæ nomen inditum fuerit ab antiquis? refutauit enim iamdiù Petrus Victorius ſententiam quorundam exiſtimantium beſtiolam, quam dextra manu tenet Centaurus, lupum nominari. Ita igitur eſt, locus non vacat mendo, veraque M. Tullij ſcriptura vitio librariorum prorſus dapprauata eſt: emendabitur autem, ac priſtino ſuo nitori reſtituetur, ſi pro Lupam, vox quæ huic proximè accedit, in contextum verborũ reponatur, nimirum Nepam, namq; venenata hęc beſtiola in ſignifero orbe locum obtinet (vt docent Mathematici, & Aſtrologi) inter Libram, & Sagittarium: eius meminit Horatius in Odis.

Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horę, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndę.

Scribit autem feſtus Nepam Afrorum lingua, ſydus, quod cancer appellatur, vel (vt quidam malunt) Scorpium ſignificare, vſus eſt hac voce idem M. Tullius in Arati verſione.

Quare cùm magnis ſeſe nepa lucibus offert,
Orion fugiens commendat corpora terris. ac rurſus.
Exin proiectæ claro cum lumine chelę,
Ipſaque conſequitur lucens vis magna nepai.

Quæ duo carmina reſpondent huic vni Aratæo non integro.

αἱδ' ἐπὶ οἱ χηλαί, ϗ σκόρπιος αὐτὸς. iterum Cicero

Ille tamen nitens grauiter veſtigia ponit
Atque oculos vrget pedibus, pectuſque nepai.

Quod item ex Arato verſum eſt. ὁ δ' ἐμμενὲς εὖ ἐπαρηρὼς
Ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέροισι
Σκορπίον, ὀφθαλμῷ τε, ϗ ἐν θώρηκι βεβηκώς. Ὀρθός.

Denique Manilius (ne ſim longior) eadem voce vtitur, cùm inquit,

ad ſydera vectam
Erigonen, iſtuque nepam, ſpolioque leonem.

Angeli

Angeli Politiani peccatum detegitur in cuiuſdam problematis Alexandri verſione. *Cap. V.*

IPSAMET ratio, quam in cuiuſdam quæſtionis exitu aperiendo affert Alexander Aphrodiſienſis, omninò ſuadere videtur verba cõtextus aliter accipi debere, ac fecerit Politianus: Etenim cùm Grecè
" ſcriptum legatur. *διὰ τί τὸ θερμαινόμενον ὕδωρ καὶ εἰς φρέαρ χαλώμε-*
" *νον, ψυχρότατον ὕδωρ ποιεῖται. ὅτι τὸ ἐν τῷ φρέατι ψυχρὸν, ἀντι-*
" *μαχόμενον τῷ θερμῷ ὕδατι, καὶ τῷ πλήθει τῆς ψυχρότητος ὑπερκρατῆ-*
" *σαν τοῦ, διώκει τὸ θερμὸν ἀθρόως, καὶ μετα πολλῆς ψυχρότητος διέρχε-*
" *ται διὰ τοῦ θερμαίνοντος ὕδατος, καὶ οὕτως ἄγαν αὐτὸ ψύχει.* Hæc verba Politianus ita Latinè reddidit. Cur calida aqua puteo indita frigidiſsimam reddit aquam. quoniam quod in puteo frigus eſt, calidæ repugnat: cumque eam frigoris abundantia ſuperet, calorem ipſum omni copia perſequitur: atque ita multa cum frigiditate percalefacientem aquam influit, eamque hoc pacto admodùm refrigerat. Cùm tamen eſſent conuertenda: Cur calida aqua puteo indita frigidiſsima reddatur: etenim Alexander eo in loco non quærit cauſſam, quamobrem feruida aqua puteo indita putei aquam frigidiſsimam reddat, ſed contrarium potius, quare ſcilicet ipſa frigidior efficiatur ſi calida, quàm ſi frigida in puteum demittatur, ait .n. *ψυχρότατον ὕδωρ ποιεῖται* non *ποιεῖ*: quod verum eſſe docet etiam Plutarchus Sympoſ. 6. ſed & in Commentario *περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ* de eadem
" re loquens ait. *ἂν δὲ τις ψυχρὸν ἐκ φρέατος ὕδωρ λαβὼν ἐν ἀγγείῳ*
" *καὶ καθεὶς αὖθις εἰς τὸ φρέαρ ὥς τε μὴ ψαύειν τοῦ ὕδατος τὸ ἀγγεῖον, ἀλλ'*
" *ἐν τῷ ἀέρι κρέμασθαι περὶ μείνῃ χρόνον οὐ πολὺν, ἔσται ψυχρότερον*
τὸ ὕδωρ. & reliqua; hoc eſt. Quid ſi quis frigidam ex puteo aquam in vaſe rurſum in puteum demittat, ita vt aquam vas non attingat, ſed in aëre pendeat: paulò poſt temporis ſpatio eam, quàm antè, frigidiorem ſentiet. Patet itaque in re minimè obſcura fuiſſe halluccinatum oculatiſsimum cæteroqui, ac perſpicaciſsimum virum Angelum Politianum; non quidem (vt puto) vel rei, de qua illic agitur, ignoratione, vel Græcæ linguæ imperitia, ſed nimia quadam animi ſecuritate, ac negligentia, quæ doctos viros interdum ſubrepere conſueuit.

Plinii locus emendatus de roſeis coronis. *Cap. VI.*

QVANTOPERE in veterum coronamentis fuerit roſa expetita, omnes tùm Græci, tùm Latini ſcriptores abundè teſtantur, apud quos crebra mentio fit coronæ ex roſis textæ, quam iccircò ſutilem appellare nonnumquam conſueuerunt: eius floris laudes pul-

cherri-

cherrimis, ſuauiſsimiſque carminibus extulit, præter cæteros, Anacreon, & Sappho poëtria mellitiſsima. Quid igitur eſt, quod ait Pli-
„ nius libro 21. Vſus eius (roſæ) in coronis propè minimus eſt?
Equidem Plinij mentem valdè admiror, niſi potius typographorum incuriam, atque oſcitantiam incuſare oporteat, qui perperàm ita, vt nunc vulgò circumfertur, eum locum deſcripſerunt pro eo, quod eſſe debuit Nimius: verius.n.hoc de roſa enunciari videtur, quàm quod hactenus Plinij codices præſetulerunt: neque verò vlla ex parte vulgatam lectionem iuuare crediderim, ſi quis dixerit, iccircò à Plinio ſcriptum fuiſſe roſam minimum vſum in coronis præſtare, quòd ea citò defloreſcat, vnde ab Horatio dictum ſit.

Hùc vina, & vnguenta, & nimium breues
Flores amœnę ferre iube roſæ.

Qua itidem ratione idem poëta alio loco lilium breue nuncupauerit:

Neu deſint epulis roſæ,
Neu viuax apium, neu breue lilium.

Quoniam commodè reſponderi poſſe videatur, mutuam ſocietatem illa duo non ita refugere, vt ſi roſa breui conflacceſcat, eius tamen vſus magnus eſſe non poſsit, velut & aliorum florum ad coronas expetitorum, quorum ætas haud ita ſit diuturnior, copia enim, & crebrior eorum vſus illud incommodum egregiè compenſat.

M. Tullii peruulgata lectio aduerſus Gulielmum Canterum defenſa. Cap. VII.

MALIM ego peccare in antiquis lectionibus apud bonos autores pertinacius retinendis, quàm in nouis curioſius excogitandis, ita.n.vetuſtati addictus ſum, adeòque ipſam veneror, vt magnum facinus aggredi eos exiſtimem, qui in ea temerè quicquam demutare audent, cui vitio quoniam multis in locis Gulielmum Canterum affinem eſſe deprehendi, libuit pro virili tantæ petulantiæ occurrere, & magno (ni fallor) ſtudioſorum bono huiuſmodi licentiam coercere: is igitur certò affirmare non dubitat locum quendam M. Tullij pr. de Legib. corruptum eſſe, ac deprauatum: lo-
„ cum, vt, extat in impreſsis codicibus, appoſui. Ipſum autem homi-
„ nem (inquit Cicero) eadem natura non ſolùm celeritate mentis orna-
„ uit, ſed etiam ſenſus, tanquam ſatellites attribuit, ac nuntios: & re-
„ rum plurimarum obſcuras, & neceſſarias intelligentias enudauit,
„ quaſi fundamenta quædam ſcientiæ, figuramque corporis habilem,
„ & aptam humano ingenio dedit. Canterus hunc locum deprauatum eſſe in vocabulo Enudauit arbitratur, pro quo reponendum exiſtimat

mat inchoauit: Ego (ne quid diſsimulem) prorſus contendo locum rectè ſe habere, neque vlli culpæ obnoxium eſſe, putoque intelligi debere de anticipatis animo notitijs, ac prænotionibus, quæ ſcientiarum omnium principia antecedunt, atque ita ſunt omnium animis à natura inſitæ, vt nullo doctore præterea egeant: qua ratione verè poſſunt dici fuiſſe nobis à natura denudatas, nulla.n. mentis agitatione, ac diſcurſu percipiuntur, nec aliqua præterea diſciplina ad ſui intelligentiam opus habent, de quibus quidem ita ſcriptũ reperias apud Ariſtot. ἀναλυτ. ὑςερ. πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως. hoc eſt. Omnis doctrina, omniſque diſciplina intellectiua fit ex præexitente cognitione: Eæ verò duplici in differertia conſtitutæ ſunt, aliquæ dicuntur ὅτι ἐστὶ, aliquæ τί ἐστὶ. διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν τὰ μὲν γὰρ ὅτι ἔςι προϋπολαμβάνειν ἀναγκαῖον, τὰ δὲ τί τὸ λεγόμενον ἐστὶ ξυνιέναι δεῖ. quod eſt Latinè. Dupliciter autem prænoſſe neceſſe eſt, quædam.n. eſſe, quædam quid dictu ſignificent percipiamus oportet. Iam quòd Cicero paulò poſt ibidem ſcribit, quod huic noſtræ ſententiæ aliquo pacto officere videtur. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaſque in animis noſtris inchoauit, vt honeſta in virtute ponantur, in vitijs turpia. ac rurſus. Quæ etiam nullo docente profecta ab ijs, quorum ex prima, & inchoata intelligentia genera cognouit, conformat ipſa per ſe rationem, & perficit. Intelligi debet de informibus illis ſcientiarum notitijs, quæ à natura primùm nobis ingeneratæ, vſu deinde, ac doctrina perficiuntur: de quibus diſputans Ariſtoteles Ethic. 2. præter cætera inquit. οὔτ' ἄρα φύσει, οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί. ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους. id eſt. Non ergo natura, neque præter naturam ingenerantur nobis virtutes, ſed ſic affectis, vt ad eas ſuſcipiendas apti ſimus natura, perficiamur autem, perpoliamurque more, & conſuetudine. Hæc ſcientiarum ſemina, atque principia, quà referuntur ad perfectam, atque abſolutam alicuius rei cognitionem, verè dicuntur notitiæ inchoatæ, neque.n. adhuc ſummã, certiſsimamque ſcientiam conſequuti ſumus, ſed earum ope, atque auxilio ad illam nobis iter aperimus: quòd ſi per ſe, ac ſimpliciter conſiderentur, nihil impediet, quominus à natura nobis enudatæ dicantur: ac magnus ſanè vir, ſummuſque philoſophus Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cognitionem, ac præcognitionem duplicem eſſe affirmat, vnam, quæ accuratam, exactamque ſui habeat naturam, alteram verò, quæ mancam, & imperfectam: Et Cicero lib. 2. de Finibus de eadem re loquens dicit naturam dediſſe hominibus talem mentem, quæ omnem virtutem iam accipere poſſet, ingenuiſſeque

ſine doctrina notitias paruas rerum maximarũ, & quaſi inſtituiſſe do-
cere, & induxiſſe in ea, quæ inerant, tanquam elementa virtutis: ſed
virtutem ipſam inchoaſſe; nihil amplius. Non eſt igitur res tàm aper-
ta, quàm eam videri vult Gulielmus Canterus, neque illius ponderis,
vt œgrè admodum ferre debuerit ipſam pro ſua à Dionyſio Lambi-
no, qui tamen Ioannem Auratum eius auctorem citat, in ſua illorum
Ciceronis librorũ poſtrema editione fuiſſe diuulgatã: ſed Canterus,
vtpote cuſtos pauperis horti, vel bliti iacturam indignis modis con-
queritur, & pro eo furti actionẽ intentare non dubitat, qđ eſt ridiculũ.

M. Antonius Muretus notatur, qui vocem Venuſtate ex M. Tullii codicibus quodam loco expunxit, cùm quid ea illic valeret, non intelligeret. Cap. VIII.

QVAMQVAM libenter agnoſco vocem Venuſtate apud M.
Tullium in Oratione pro Archia, vt propriam, vulgatamque
notionem illic retineat; loquitur enim Cicero eo in loco non de ve-
nuſtate Archiæ, ſicut Paulus Manutius cenſuiſſe videtur, ſed de mo-
rum ſuauitate Archiæ amicorum; poſſum tamen alia ratione eam il-
lic cuſtodire aduerſus Mureti ſententiam exiſtimantis legi debere Ve-
» tuſtate. Ciceronis verba ſunt hæc. Quare conſeruate, Iudices,
» hominem pudore eo, quem amicorum ſtudijs videtis comprobari,
» tùm dignitate, tùm etiam venuſtate. Ratio autem eius vocis illic cu-
ſtodiendæ eſt, vt dicamus ipſam valere nunc auctoritatem, & exiſti-
mationem, quomodo eandem vſurpaſſe videtur Gellius dicens: Diſci-
» plinã iſtam Caldęorũ tantę venuſtatis non eſſe, quantę videri volunt,
» neque eos principes eius, auctoreſque eſſe, quos ipſi ferant. Pol-
let etiam interdum hoc vocabulum idem, quod fortunatum, & fælix,
veluti hoc Terentij exemplo conſtare poteſt ex Andria.

Adeon hominem inuenuſtum, aut infęlicem quemquam, vt ego ſum?

Nos vulgò diceremus ſgratiato, quaſi hominem, cui Gratię minimè
faueant, id eſt fortuna: huic voci reſpondet Græca ἐπαφρώδιτος,
» qua vtitur Plutarchus in Sylla dicens. καὶ πέρας ἐκέλευσεν ἐπὶ τούτοις
» εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ φοίλιξ βούλεται μάλιστα δηλοῦν αὐ-
» τὸς δὲ τοῖς Ἕλλησι γράφων, καὶ χρηματίζων ἑαυτὸν ἐπαφρόδιτον ἀνηγό-
» ρευσε, καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς τροπαίοις οὕτως ἀναγέγραπται. Hoc eſt. Ac
tandem ſe ob iſta iuſsit εὐτυχῆ appellari: hanc.n. ſignificationem vo-
cabulũ fælix pręſefert. Ipſe certè in ſuis ad Græcos reſcriptis venuſ-
tum ſemet nuncupauit, qui titulus apud nos in eius trophæis viſitur.
Dicuntur itaque homines venuſtate præditi eo in loco, qui gratia,
atque auctoritate apud Pop. Rom. plurimùm pollerent, ſiue etiam
fælices, & fortunati, diuitijſque affluentes.

Explicatur Martialis carmen, quod Calderinus perperàm accepit. *Cap. IX.*

IN Gallam deformem meretricem, eandemque vetulam, quæ tamen aliunde aſcita pulchritudine iuuenes ad coitum incitare vellet, extat huiuſmodi Martialis epigramma libro 9.

Cùm ſis ipſa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant abſentes & tibi, Galla, comę.

Cuius poſterioris carminis ſenſum non videtur percepiſſe Domitius Calderinus in ſuis ad illum poëtam Commentarijs; per abſentes .n. comas eas intelligit, quę medicamētis accerſitis nigrore infectæ ſunt, cùm vera epigrammatarij ſententia ſit hæc: Dum tu, Galla, domi te contines, habes in media Suburra, qui tibi ornamenta muliebria conficiant, & illic, te abſente, comas ſuppoſititias parent; intelligit autem caliendrum, de quo Horat. Satyra 8.

Canidiæ dentes, altum Saganę caliendrum
Excidere. hoc eſt comam πρόσθετον: nam quæ rariorem capillum habebant, eo remedio vtebantur. idem Martial. lib. 12. in Cæliam quandam.

Dentibus, atque comis (nec te pudet) vteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia, non emitur?

Quo in poſteriore verſu memini me in vetuſto (vt mihi tum viſum eſt) codice legere Culo pro Oculo, quod quanti faciendum ſit, ignoro; mihi certè non ſapit. iterum De Fabulla.

Iurat capillos eſſe, quos emit ſuos
Fabulla: nunquid illa, Paule, peierat?

Quos vocet Sordidos natos Horatius in Odis. *Cap. X.*

CVM quacunque, atque vndecunque poſſet, commiſerationem ciere vellet Horatius Ode quapiam, ibi *pellitur paternos*
In ſinu ferens Deos
Et vxor, & vir, ſordidoſque natos.

Epithetum ſordidos vſurpauit, vt filios (ni fallor) infantes, & iam iam in lucem editos ſignificaret, quod quantoperè πάθος augeat, nemo non videt: Maro certè doctiſsimus, & in primis incredibilis iudicij poëta hunc locum minimè ſibi prætereundum eſſe iudicauit, cùm in eadem promemodum re deſcribenda verſaretur, inquit enim Ecloga 1. *en ipſe capellas*
Protinus æger ago; hanc etiam vix Tityre duco:
Hic inter denſas corylos modò namque gemellos,

Spem

Spem gregis, ab ſilice in nuda connixa reliquit.

Filij autem, qui matrum vlnis geſtantur, & obſtetricum opera, ac diligentia opus habent, rectè ſordidi dicuntur, ob ſtercus, atque vrinam, quam aſsiduè emittunt, quaque ſe nunquam non proluunt, & coinquinant: Vel, ſi de recenter natis intelligere malumnus, vocem ſordidos ad cruorem, & tabum, quem in puerperio egerere ſolent parientes, referre oportebit. Sanè ab eodem Horatio dictum eſt de Canidia. *& tuo*

Cruore rubros obſtetrix pannos lauit,
Vtcunque fortis exilis puerpera.

Sic quoque Iuuenalis Saty. 7. *diſtat .n. quę*

Sydera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Hunc ſenſum, nemo ex ijs, qui hactenus Horatium ſuis ſcriptis illuſtrare conati ſunt, aperuit, quare libuit de eo breuiter hic lectorē admonere, & quid ego ſentirem, palàm facere.

Vera lectio reſtituta in Plautina Pſeudolo. Cap. XI.

RECTE viderunt Lambinus, & Lipſius carmen hoc ex Plautina Pſeudolo.

Quid ais, quantum terra tegit hominum periuriſſime?

Perperàm ſcriptũ circumferri: neque .n. Calidorus dicit Pſeudolum omnium hominum, qui mortui ſunt, ſceleſtiſsimum eſſe, ſed omnium, qui viuunt: itaque alter emendat Quantum terra gerit: alter Quantum in terra degit: vtroque ſanè modo appoſitiſsimè ad Calidori mentem oſtendandam; ſed non videtur cuſtodita cautio, quæ in deprauatis veterum ſcriptorum locis emendandis adhiberi debet: fortaſsè autem cuſtodietur, ſi legamus Quantum terra regit. Conſtat .n. facillimam eſſe traiectionem ex vna voce in alteram ob ſimilitudinē, & propinquitatem vtriuſque characteris. Pari autem verbo vſus eſt idem Plautus ad eandem rem ſignificandam in Pœnulo dicens.

Venditque argento homini (ſi modò leno eſt homo)
Quantum hominum terra ſuſtinet, ſacerrumo.

" Seneca auunculus lib. 7. Controu. Deduxi (inquit) ad vos reum
" omnium, quos terra ſuſtinet, nocentiſsimum.

Declaratur conſilium Varronis in quodam ſuo epigrammate, vbi de medicina Serapis fit mentio. Cap. XII.

AEGRE admodùm in Deorum numerum à Romanis receptus fuiſſe videtur Serapis magnum alioquin Ægyptiorum numen;

ac ne tùm quidem, cùm ei templa dicata eſſent, Romanorum animos ad ſui cultum penitus conuertere valuit; propterea quòd non ea ſuæ diuinitatis indicia præbuiſſe exiſtimaretur; quæ cæteri Dij quandoque præbere conſueuerunt: nam quòd animo, atque oratione morbos curaret, non tanti momenti habitum eſt, vt is propterea cultu, atque adoratione dignus cenſeretur: namque idem Ariſtoteles quoque philoſophus præſtare putabatur, cui tamen non iccircò Deorum honores exhibiti ſunt. Hoc argumento vſus eſt Varro ad conuellendam opinionem illorum, qui diuinos honores Serapi tribuebant, ait.n.epigrammate quopiam.

Hoſpes, quid miras animo curare Serapim?
Quid, quaſi non curet tantidem Ariſtoteles?

Eſt autem diſtichon (vt puto) exametro, & pentametro conſtans, neque poſterius carmen vno pede breuius eſt præter legem dimenſionis, vt cenſet Victorius. Porrò Dio lib. 40. narrat olim Romæ decretum factum fuiſſe, vt Serapis, & Iſidis templa, quæ priuatim ſibi quiſque extruxiſſet, demolirentur, quòd eos non magnoperè inter numina ſtatuebant: vbi ea ſententia obtinuit, vt publicè iam coli inciperent, extra pomœrium eos Deos collocauerunt. δοκεῖ δέ ἐμοί-
,, γε καὶ ἐκεῖνο τὸ τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ ἐξόδῳ αὐτοῦ περί τε τὸν Σάραπιν
,, καὶ περὶ τὴν Ἶσιν ψηφισθὲν τέρας, οὐδενὸς ἧττον γενέσθαι. τοὺς γὰρ
,, ναοὺς αὐτῶν, οὓς ἰδίᾳ τινὲς ἐπεποίηντο, καθελεῖν τῇ βουλῇ ἔδοξεν. οὐ γὰρ
,, δὴ τοὺς θεοὺς τούτους ἐπὶ πολὺ ἐνόμισαν, καὶ ὅτι γε καὶ ἐξενίκησεν, ὥστε
,, καὶ δημοσίᾳ. αὐτοὺς σέβεσθαι, ἔξω τοῦ πωμηρίου σφᾶς ἱδρύσαντο. Scribit etiam idem Græcus auctor lib. 42. apes in Capitolio Romæ iuxta Herculis ſtatuam quandoque conſediſſe, cùm Iſidi ſacra fierent: itaque Aruſpices omnia templa Iſidis, & Serapis dirui iuſsiſſe, quæ cum nemo opificum attingere auderet, L. Æmilius Paulus Coſ. poſita prætexta ſecurim arripuit, templique foribus inflixit, auctore Valerio Maximo. Vnde apparet quid Senatus, & Romanæ religionis antiſtites de his Deis exiſtimauerint: quamquam Diodorus, & Ariſtides mira de ipſorum potentia commemorent, ac plura encomia de eorundem diuinitate iactent.

Confutatur opinio quorundam, qui legunt apud Catullum Crepidas carbatinas, cùm ſit legendum Trepidas cercolipas.
Cap. XIII.

NVLLO magis nomine de noſtris literis benemeritus mihi videri ſolet Ioſephus Scaliger, quàm quòd ſuis illis in diuerſos auctores caſtigationibus, & commentarijs effecit, vt veterum ſcriptorum monu-

monumenta, quibus ille manus admouit, aliquantò diligentius à nobis pertractetur, ac propterea eorum loci, de quibus aliquando inter eruditos controuerſia exorta fuerit, nonnihil, atque adeò multùm illuſtrentur: ſicut accidit nunc (vt interim vnum aliquod exemplum in medium proferam) in hoc Valerij Catulli carmine ex epigrammate in Vectium.

Iſta cum lingua, ſi vſus veniat tibi, poſſis
Culos, & trepidas lingere cercolipas.

Vbi cùm rectè ſcriptum ſit. Trepidas lingere cercolipas, mauult Scaliger Politianum ſequutus, eiuſque admiratorem Statium Crepidas lingere carbatinas. Primùm aſtruam vulgatam ſcripturam, deinde, cur Politiani commentum reiecerim, breuiter indicabo: Ac, quod ad primũ quidem attinet, en tibi Ariſtophanis faceti ſsimi, eiuſdemque lepidiſsimi, atque in primis amarulenti ſubſannatoris teſtimonium, qui in Pluto Carionem ſeruum ad Chorum ruſticorum hęc loquentem facit.

ἀλλ᾽ ἆ τέκεα θαμὶν᾽ ἐπαναβοῶντες.
Βληχώμενοί τε προβατίων
Αἰγῶν τε κιναβρώντω̃ μέλη;
Επεσθ᾽ ἀπεψωλημένοι, τράγοι δ᾽ ἀκρατιεῖσθε.

Quod eſt. Sed eija filij frequenter acclamantes, balanteſque ouium; caprarumque fætentium cantus ſequimini, recutiti autem lingite hirci extremitates: Quod dictum eſt, quoniam hircus poſt coitum verenda ſua lingere ſolet. Hoc primùm: Deinde peto à Politiani manibus, nec non à te, Ioſephe Scaliger, vt nos docere velis, apud quemnam ſcriptorem vnquam legeris Crepidas carbatinas; Scio ego dici crepidas, itemque carbatinas. quod vocabulum quid ſignificet docuit olim Politianus, & non eſſe in genere crepidarum calceamenti genus illud, exploratiſsimum habeo: denique duo ſubſtantiua (vt loquuntur Grammatici) ſimul iungi adeò nouum apud me eſt, vt huius rei auctorem deſiderem, quem tu, Scaliger, ſat ſcio, ſtatim produces ex tuis ſchedis.

Plauti carmen, quod corruptè, ac deprauatè legunt Beroaldus, & Lambinus, de opinione reſtituitur. Cap. XIIII.

LAPIDES loquitur, qui dura, & grauia, & moleſta verba profert: inſtar lapidum, qui cerebrum ei, in quem iaciuntur, excutiunt, atque hoc eſt, quod ait Megadorus apud Plautum Anlularia, nam cùm ei ſoror dixiſſet.

Volo te vxorem domum ducere. reſpondet ille. *hei occidi:*

Eu.

Eu. *Quid ita?* Meg. *Quia mihi miſero cerebrum excutiunt.*

Tua dicta, ſoror; lapides loqueris.

At non conuenit ſententiæ Plauti, vt eodem modo dictum accipiamus à Milphione Pœnulo. *nihil, niſi laterculos loquitur.* Sermo enim eſt de Adelphaſio Agoraſtoclis amica, de qua adoleſcens ille ſtatim dixerat.

Obſecro hercle, vt mulſa loquitur?

Sed, nec quod Milphio ipſe deinde ſubdit, huic ſententiæ concinit.

Seſamum, papaueremque, triticum, & frictas nuces.

Nam ſeſami ſemen, de quo nunc intelligere oportet, tantùm abeſt, vt guſtui ingratum ſit, vt id veteres adhibere conſueuerint ad dulciaria in panificio tritum reliquo pani compinſentes: mox in ſumma panis cute integrum addentes: quemadmodum & papauer candidum, cuius tritum ſemen, vt ſcribit Plinius, in ſecundis menſis cum melle apud antiquos dabatur, eoque panis ruſtici cruſtæ inſpergebantur affuſo ouo, vt inhæreret, vbi inferiorem cruſtam apium, githque cereali ſapore condidiſſet: quocirca ipſum veſcum appellauit Maro in Georgicis; Non eſt igitur verum, quod ait illic Dionyſius Lambinus, ſeruum Milphionē ad ſpectatores conuerſum affirmare Adelphaſium planè contraria loqui, quàm dicat herus eius Agoraſtocles, nempe dura, & iniucunda omnia: Itaque, vt ſententia, quam ſuperius indicaui, repreſentetur, legerim ego Lacertulos duobus elementis locum mutare coactis: Eſt autem Lacertulus mellitæ placentę genus à lacerti ſiue marini, ſiue terreſtris ſimilitudine, quam panes illi dulciarij referrent, nuncupatum: eius meminit Apuleius de Aſino
„ aureo. Veſpera (inquit) poſt opiparas cænas, earumque ſplendi-
„ diſsimos apparatus, multas numero partes in cellulam ſuam mei ſole
„ bant reportare domini: ille porcorum, pullorum, piſcium, & eiuſ-
„ modi pulmentorum largiſsimas reliquias: hic panes, cruſtula, lu-
„ cuntilos (ita.n.legi debet, vt alibi oſtendo) hamos, lacertulos, plu
„ ra ſcitamenta mellita. Sed & quod nunc legitur illic apud Plautum Triticum, fortaſſe rectius habebit, ſi emendetur Strutheum, Beroaldi certè ſomnium reijci omninò debet, ſi quid iudico. Denique per Frictas nuces ſi quis mallet Fractas, nihil fortaſſe peccaret, vt alluſum eſſet ad prouerbium, quo idem Comicus vtitur.

Qui è nucleo nucem eſſe vult, frangit nucem.

Sed de his duabus poſtremis conìecturis nihil determinò, de priore illa nil prorſus dubito, quin vera ſit, accipioque apud Plautum ex Milphionis perſona Adelphaſium loqui non lapides, vt Beroaldus, & Lambinus arbitrantur, ſed ῥόδα potius, ſicut alio prouerbio circumfertur, & mellita bellaria.

Obſcu-

Obſcurum Martialis carmen aperitur, cuius mentem Domitius Calderinus perperam nobis explicauit. Cap. XV.

QVONIAM Calderinus Martialis interpres noctem quaſi quandam offudit huic ſenario ex epigrammate in Vetuſtinam.

Regelare nec te peſtilentia poſſis.

Faciendum mihi putaui, vt aliquid lucis mea opera ipſi darem: peribit.n.epigrammatis gratia omnis, ſi carminis huius ſententia ignoretur: Exiſtimo igitur Martialem inſigni frigiditate Vetuſtinam quãdam notare voluiſſe, vtpote quam nec crebri, magnique ignes, cuiuſmodi peſtilentia graſſante in vicis,& plateis frequenter excitari ſolent ad noxium aërem calore illo perpurgandum, calefacere queant, quod quidem inſignis, vt dixi, frigiditatis argumentum eſſe debet; veluti ſi quis dicat aliquem vſque adeò frigidum eſſe, vt ne thermis quidem Neronianis paululùm modo calefieri poſsit. Plurimùm autem aduerſus peſtilentiam valere, ſi crebri ignes excitentur, notum eſt: ac Plutarchus quidem nullius non diſciplinæ ſtudioſiſsimus id teſtatum reliquit in Comment. De Iſide, & Oſiride propè finem di-
„ cens. *ἰατροὶ πρὸς τὰ λοιμικὰ πάθη βοηθεῖν δοκοῦσι φλόγα πολλὴν ποι-*
„ *οῦντες ὡς λεπτύνουσαν τὸν ἀέρα, λεπτύνει δὲ βέλτιον, ἐὰν εὐώδη ξύλα*
„ *καίωσιν, οἷα κυπαρίττου καὶ ἀρκεύθου, καὶ πεύκης. Ἄκρωνα γοῦν τὸν ἰατρὸν*
„ *ἐν Ἀθήναις ὑπὸ τὸν μέγαν λοιμὸν εὐδοκιμῆσαι λέγουσι, πῦρ κελεύοντα*
„ *παρακαίειν τοῖς νοσοῦσιν. ὤνησε γὰρ οὐκ ὀλίγους:* Dixeris tu Latinè. Medici cenſent aduerſus peſtem remedio eſſe copioſam flammam, vtpote quæ aërem attenuet. hoc autem fit rectius, ſi odorata ligna vrantur, vt cupreſsi, iuniperi, picæ. Et Agro medicus Athenis tempore magnæ peſtis gloriam ſibi parauit, iubendo ignem ponè ægrotantes accendi: nam iuuit non paucos.

Declaratus Virgilij locus aliter, quàm hactenus ipſum expoſuerint interpretes omnes. Cap. XVI.

PROGNOSTICVM inſtantis pluuiæ, quod ex mergorum, ac fulicarum à mari receſſu deſumi docet Virgilius in Georgicis ibi.

Iam ſibi tùm curuis malè temperat vnda carinis,
Quùm medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad litora: quùmque marinæ
In ſicco ludunt fulicę.

Non fuit rectè perceptum à Seruio, Ramo, Vuillichio, cæteriſque eius poëtæ interpretibus, quos mihi videre contigit, dùm exiſtimant id naturali mergorum, fulicarumq; prouidentia fieri: nimirùm quia,

cùm illæ aues piſcibus alantur, turbatis ęquoribus à mare recedant ſiccum petentes: ſudo autem, fluctibuſque compoſitis in mare ſe idẽ tidem mergant piſcium prædam captantes: neque hoc.n. dicit Virgilius: ſed mergos, & fulicas imbres prædicere affirmat, quotieſcunq; à mari identidem refugientes litus petunt, rurſuſq; ab litore in ęquor aduolant: ſeque in eo ſubmergunt: id quod etiam naturali ipſarum fit prouidentia: Hæc ita ſe habere docet Suida, declarans prouerbiũ
,, αἰθύιας ὑπὸ πτερύγεσσιν ἔλυσαν πείσματα νηός. αἱ γὰρ αἴθυιαι (inquit)
,, ὅταν δύνωσι, κάκιστος οἰωνὸς ὑπάρχει τοῖς πλέουσι. τὴν δὲ αἰτίαν λέ-
,, γουσιν ὅτι γαλήνης οὔσης οὐ τολμᾷ προϊέναι. φοβουμένη τὰ θαλάσσια ζῶα.
,, χειμῶνα δὲ προορωμένη, προέρχεται. τῶν ἄλλων ζώων ἐν ταῖς κα-
,, ταδύσεσιν ὄντων. quod valet. Nam cũ hæ aues in mari ſe mergunt, peſsimum id eſt omen nauigantibus, cauſſam autem eam eſſe dicunt, quòd tranquillo mari propter marinas beluas progredi non auſint: tempeſtatem verò præſentientes progrediantur, quo tempore beluæ in profundo degant. Tunc igitur imbres inſtare admonemur, cùm mergi, & fulicæ crebrò in mari ſe mergunt, non cùm ſiccum petentes à mari omninò abſtinent, quæ fuit Villiehij, atque aliorum ſententia: Abundè autem hoc, quod dico, ex ipſomet Virgilio colligere licet, dùm illic vtitur verbo Reuolant: neque non etiam M. Tullius idipſum oſtendit primo De diuinatione, cùm ait.

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas.

Valet enim aduerbium hoc loco, quod aliàs magis propriè diceretur identidem, atque iteratò.

Apulei contextus maculoſus aliter, ac fecerit Beroaldus, caſtigatur. Cap. XVII.

,, IAMQVE ſermonibus aſsiduis, & conuerſatione frequenti, non-
,, numquam etiam cœna, poculoque communi carior, cariorque fa-
,, ctus, in profundam Romam cupidinis ſeſe paulatim neſcius pręcipitauerat. Hæc ſunt Apulei verba libro de Aſino aureo. 8. in quibus videndum eſt diligenter, quid valeat vox Romam; & an eo loco bono aliquo ſenſu retineri poſsit, an verò ex contextu expungi aliqua alia commodiore ſuppoſita: & mihi ſanè nonnihil occurrit, quod in vtramque partem probabiliter diſputari poſsit: nam, ſi dictionem hanc volumus illic cuſtodire, videtur Roma κατὰ τὴν ἐξοχὴν pro qua libet vrbe ſumi, vt cùm dicimus Metropolim bonorum, & malorum, ſicut Βίων ὁ σοφιστὴς τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν ἔλεγε πάσης κακίας
,, εἶναι, referente Stobæo: Pontianus apud Athenæũ dicebat πάντων

δανῶν

θείνων μητρόπολιν εἶναι τὸν οἶνον. Quòd ſi nimis coacta exiſtimetur expoſitio hæc, tunc ego non dubitarim vel meo aureo in alienum teruncium depoſito affirmare legendum eſſe Rimam, tenui, vt appa- ret, ac tantùm nulla mutatione. Erit autem Rima cupidinis, fouea, & præcipitium aliquod profundum, & immenſum, in quod Thraſillus ſe coniecerit, cùm primùm Charitem adamare cepit; Sic dicimus barathrum, & Charybdim: Horatius.

Ingluuies, & tempeſtas, barathrumque macelli.

Ariſtophanes in Equitibus.

Καὶ τελώνην, καὶ φάραγγα, καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς.

Beroaldus emendat Rotam, vel Foueam; ſed, vt ſumus omnes *φίλαυτοι*, nemoque non ſua magis inuenta, quàm aliena complectitur, ac fouet, meam cum ipſius coniectura nequaquam mutarim.

Purgata macula ex Aeliani contextu in libris De Varia hiſtoria. Cap. XVIII.

QVAESIVI olim ſumma diligentia, an duo fuerint Xenocrates philoſophi, quorum vnus eſſet Carthaginenſis; nam de Chalcedonio mihi exploratum erat ex Græcorum monumentis: Eò autē pertinebat mea hæc inueſtigatio, vt certò ſcirem rectè ne, an ſecus ſcriptum eſſet in Aeliani codicibus libro De Var. hiſt. 13. *Ξενοκράτης ὁ Καρχηδόνιος ἑταῖρος Πλάτωνος.* &c. Deniq;, cùm plures auctores diligenter excuſsiſſē, nullius alterius Xenocratis mentionē apud quemquam fieri deprehendi, quàm Chalcedonij; quocirca ſtatui legendum eſſe illic apud Ælianum *Χαλκηδόνιος* duobus tantùm elementis paululùm immutatis, K in X, & ρ in λ: Facilè autem ſuſpicatus fuiſſem typographorum incuriam huius errati culpam ſuſtinere, niſi vidiſſem omnes Græcas editiones eo pacto conſtanter præferre: atque hoc etiam apud me facilè veniam impetraſſet: ſcio etenim, quàm imperitæ ſint, & rudes operæ iſtæ typographicæ: ſed, quoniam Iuſtus Vulteius eorum librorum interpres vitium conniuenter præteriuit, operepræcium eſſe exiſtimaui, de eo pluribus lectorem admonere, ne, ſi aliter fieret, vulgata ſcriptura pro vera, ac germana reciperetur, præſertim Vultei, hominis alioqui eruditi auctoritate confirmata. Neq; verò dubitandum eſt, quin ita, vt propoſui, illic emendari debeat; hunc.n.philoſophum, quem & hic, & libro 14. *Πλάτωνος ἑταῖρον* vocat Ælianus, diſertè Chalcidenſem facit Laertius, familiaremque Platonis fuiſſe docet: cùmque ipſum ſemel, atque iterùm nominat Ælianus, *Χαλκηδόνιον* appellat, veluti libro 2. vbi de quibuſdā potationibus deditis, & bibacibus agit, ac rurſus 14. vbi de

Xenocratis patientia loquitur: ſed & factum illud, quo inſignem ipſius miſericordiam detegit Aelianus, huic Xenocrati Chalcedonio ,, tribuit Laërtius dicens. *στρουθίου πότε διωκομένου ὑπὸ ἱέρακος καὶ ἀσ-* ,, *πηδήσαντος εἰς τοὺς κόλπους αὐτοῦ, καταψήσας μεθῆκεν, εἰπὼν τὸν* ,, *ἱκέτην δεῖν μὴ ἐκδιδόναι*. hoc eſt. Cùm aliquando paſſer accipitri futurus præda ſe in eius ſinum recepiſſet, operuit, ac fouit dicens, non oportere ſupplicem prodere. Quis igitur poſthac amplius dubitabit de ſinceritate ſcripturæ, quam propoſui?

Mendum, quod in Petronij Arbitri codice ex Ioannis Sambuci editione adhuc reſtabat, de opinione ſublatum. *Cap. XIX.*

BONI partiarij munere fungar in Petronij Arbitri contextu emendando, quem alicui culpæ affinem eſſe partim docuit Ioannes Sambucus, partim à me vitium continere nuper deprehenſus eſt nihil tale ſuſpicante Sambuco: namq; eius loci caſtigationẽ, &, ſi quod inde laudis ornamentum colligetur, ex æquo cum erudito illo viro communicare ſum paratus. Arbitri verba ſunt hæc. Igitur ne ma- ,, iorem iniuriam in ſcorto frater acciperet, conſurrexi ad officium nu- ,, ptiale. Puellæ caput inuoluerat flammeo iam embaſico. ætas præfe- ,, rebat facem. iam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerũt; ,, thalamumque inceſta exornauerunt veſte. Quiſquam ne bonis literis adeò imbutus reperitur, & qui priſcorum verborum vim omnẽ, ac notionem in numerato habeat, qui nobis aperire queat ſignificatũ illius dictionis Embaſico? Ipſe certè quem librũ non excuſsi? de quo paululùm modò erudito homine non ſum ſciſcitatus? quam denique viam intentatam reliqui, vt aliquando tandem ex hac me ſalebra eriperem? Nihil egi: fruſtrà omnis conatus cecidit: quare neceſſe habui ad Sambuci caſtigationem confugere, inque ea tantiſper acquieſcere, donec melius aliquid occurrat. Interim igitur exiſtimemus ,, ita ſcripſiſſe Petronium; Puellæ caput inuoluerat flammeolum baſicum. Sed quid eſt, quod ſtatim ſequitur; Ætas præferebat facem? Noui equidem puerum ingenuum facem in nuptijs præferre conſueuiſſe, namque huius inſtituti crebra mentio extat in bonis auctoribus: ſed tamen Ætatem pro Puero apud quemquam Latinum ſcriptorem me legere non memini: & hanc igitur dictionem malè conceptã eſſe iudico, eamque ex ingenio leuiter mutata diphtongo caſtigo, vt ſit Oetas planiſsima ſententia, & quam ſimili in re expreſsit Catullus in Carmine Nuptiali.

Veſper adeſt, iuuenes conſurgite, Veſper Olympo

Expe-

Expectata diù vix tandem lumina tollit:
Surgite, iam tempus, iam pingues linquere menſas. ac ruſus
Iam dudum Oeteos oſtendit Noctifer ortus.

Neque non item Virgilius Pharmaceutria.

Mopſe nouas incide faces: tibi ducitur vxor:
Sparge marite nuces, tibi deſerit Heſperus Oetam.

Hæc mihi illius loci recta ſcriptura, tutiſsimaq; ſententia videri ſolet.

Perpenditur Iuuenalis locus, vbi de Breuibus, & Gyaris fit mentio. Cap. XX.

HAVD nunc primum oritur querimonia illa, qua noſtræ ætatis conditionem deplorare conſueuimus affirmantes ad malitiam breue, & compendiarium eſſe iter, atq; hoc ingredi oportere, ſi quis emergere ad opes, dignitateſque velit, nam probitas, etſi ab omnibus ſummis laudibus efferatur, reipſa tamen negligitur, neque vllum eius poſſeſſoribus commodum affert; audita enim iamdiù fuit querela hęc, omnique tempore patentem campum ſcriptoribus prębuit, vbi eloquentiæ vires exercerent, ac, præter cæteros, commune hoc vitium inſectatus eſt Iuuenalis Saty. 1. vbi, cùm multa in eam rem verba effudiſſet, tandem inquit.

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid: probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prętoria, menſas:
Argentum vetus: & ſtantem extra pocula caprum.

Sed quid eſt, quod hoc loco dicitur Breuibus Gyaris? An illius inſulæ humilitatem, atq; exilitatem intelligemus, quæ vna omnium ſententia fuit huius poetæ interpretum? An verò breuia dicuntur, quę Græci appellant βράχεα? Virgilius in Æneide verbum verbo reddens dixit. *Eurus ab alto*

In breuia, & Syrtes vrget.

An potius legemus quomodo erat in margine cuiuſdam exemplaris, quo vſus fui, Breuius vna literula è medio extrita, vt ſit ſenſus? Aude aliquod facinus breue, & expeditum, nam via ad ſcelus compendiaria eſt, & facilis, cùm ad virtutem ardua ſit, & prolixa, etenim (vt inquit Plato in Protagora) γενέσθαι μὲν ἄνδρα ἀγαθὸν χαλεπὸν ἀληθέως. Hæc ſententia ferri mihi poſſe videtur: eſt enim καθολική, & a poëtæ mente minimè aliena; atque eam ipſam ſic aliàs expreſſam inuenies apud hunc noſtrum Saty. 14.

Elatam iam crede nurum, ſi limina veſtra
Mortifera cum dote ſubit. quibus illa premetur

Per ſomnum digitis? nam quæ terraque, marique
Acquirenda putes, breuior via conferet illi:
Nullus enim magni ſceleris labor.

Syneſius epiſtola ad fratrẽ ſuum de Athanaſio quopiam loquens, qui
,, malis artibus opes congerere ſtudebat ἑτοιμωτάτην ὁδὸν (inquit)
,, τὸ πλουτεῖν ἐβάδισεν Ἀθανάσιος Compendioſiſsimam ad diuitias pa-
randas viam ingreſſus eſt Athanaſius. Extat quoque percelebris Heſiodi ſententia in hæc verba.

Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα. hoc eſt.

Malitiam quidem ſimul totam capere facile eſt: breuis.n.ad hanc via eſt, cùm ea propè adſit: virtuti verò ſudorem dij beati obiecerunt, longum enim, atque arduum iter ad ipſum: primumque aſperum eſt, at vbi ad extremum ventum eſt, facile deinceps apparet, quantumuis antea difficile fuerit.

Quos vocet Semitarios mœchos Catullus in ſcazonte, & de ſinceritate illius ſcripturæ diſputatum. *Cap. XXI.*

SEMITARIOS mœchos Catulli in illo verſu.
Omnes puſilli, & ſemitarij moechi.

interpretabar viles, & abiectos, qui in ſemitis cum ignobilibus ſcortis coirent, neque aliter hanc vocem ſumi poſſe hoc loco fatentur omnes, qui aliquem modò harum literarum guſtum habent; nam Domitij Calderini ſomnium de expolitis, ac diſtinctis moechis per eburneam portam ad nos euolauit, itaque nullum interpretem nactus eſt, nec qui ei fidem præbeat, hactenus reperire potuit: Ac de ſemitarijs moechis ita ſtatuo: Sed non eſt ſilentio prætereunda lectio Semiſſarij, quæ extabat in codice Petri Gherardij iuuenis mihi amiciſsimi, & ob patriæ, ac ſtudiorum communionem dùm vixit, coniunctiſsimi: erunt autem moechi Semiſſarij, qui ſemiſſe coeunt, vili ſcilicet pretio ſcortis dinumerato. Tertullianus Apolo-
,, getico. Licet nunc ſarmenticios, & ſemiſſarios appelletis, quia ad
,, ſtipitem dimidij aſsis reuincti ſarmentorũ ambitu exurimur. Eadem
ratione dixiſſe videtur Plautus Pœnulo.

Seruulorum ſordidulorum ſcorta diobolaria.

Neque hinc longè abeſt Camerarij lectio in eadem Comœdia.

Quotus ego vel obulo grato ſeptem noctes non emam.

Clodij

Clodij Metelli Celeris vxor, dicta eſt Quadrātaria, ὅτι (inquit Plutarchus) τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε. quòd quidam ex his, qui eam amabant pro argenteis in illius loculum æreos numos immiſiſſet.

Vulgata lectio cuſtoditur apud Plinium, quam Adrianus Turnebus loco mouere tentauit: Cap. XXII.

NIL facilius mihi videri ſolet, quàm nouæ alicuius lectionis conſtituendæ rationes inuenire, poſtquam ſemel animum induxerimus εὐστοχίαν noſtram experiri velle, & opinionem aliquam adamare ceperimus, ſemper.n.aliquem teſtem inuenire licet, qui ſaltem precariam operam nobis commodet, quòd ſi ne ita quoque nobis gratificari velit, certè in arctum conſtitutus, cùm ei fidiculę, & equuleus admouetur, nihil non affirmare dubitat tormētorum vi adactus, & periculi metuens: quare ſedulò cauere oportet, ne cuiquā nouo cōmento facilè aditum aperiamus; inſinuant.n.ſe altius iſtiuſmodi φαντασίαι in intima, ſecretioraque mentis penetralia, quàm vt inde vlla opera eijci poſsint. De hoc fuit admonendus, præter cæteros, Adrianus Turnebus: ſed ætas mea non tulit, vt poſſem doctum alioquin hominē commonefacere: ille.n. obijt (vt accepi) multò antè, quàm hæc ſcribere aggrederer: faciam tamen, quod proximum eſt, vt illius ſegetem ab hoc lolio quandoque purgem: namque opus vniuerſum abſoluere labor eſſet planè Herculeus: Ille igitur, vbi nunc eſt apud Plinium libro 17. de terra fullonia loquentem. Durat triginta annis, denſior iuſtu cymini modo ſtrangulat ſolum. Emendat Signini: Sed nihil opus eſt vlla caſtigatione, nam de cymino, quòd huc ſpectat, ſic alibi idem ſummus Naturæ indagator. Hippoſelinum veteres præceperant in locis incultis, lapidoſis, iuxta maceriam ſeri: nunc & repaſtinato ſeritur, & à Fauonio poſt æquinoctium autumni. Quippe cùm capparis quoque ſeratur ſiccis maximè, area in defoſſu cauata, ripiſque vndique circumſtructis lapide: alias euagatur per agros, & cogit ſolum ſterileſcere. Cyminus, vt capparis, ſolum ſtrangulat, niſi macerie ipſum contineas, ne euagetur, aut area in defoſſu cauata: Laudo itaque Turnebi coniecturam, ſed eam minimè neceſſariam eſſe contendo.

De duobus Propertii locis, quos Galeotus Martius peſsimè acceperat, diſputatum. Cap. XXIII.

ET *Tyberis noſtris aduena bobus erat.*
Inquit Propertius lib. 4. hoc eſt; Ante Æneæ aduentum flumen

Tyberis ditionem noſtram, id eſt Romanum imperium non interfluebat: hæc eſt germana ſententia huius Propertij carminis, quæ Seruij teſtimonio conſtituitur ſuper illo Maronis.

hinc Tuſco claudimur amni:

Vbi ait Tyberim Romanis Imperij finem fuiſſe: & hoc Iuuenalis carmen citat. *& quę*

Imperij fines Tiberinum virgo natauit.

Ac rurſus ad illud eiuſdem Maronis. *Hetruſcique duces.*

,, Vbi affert Hetruriæ etymon: Hetruria (inquit) dicta eſt, quòd eius
,, fines tendebantur vſque ad ripam ipſam Tyberis, & quaſi *ἑτερόρια*:
,, nam *ἕτερος* eſt alter, & *ὅρος* finis. Roma.n.antea vnam tantum Ty-
,, beris ripam tenebat. Galeotus Martius multò ſanè robuſtior miles, quàm eruditus poëtarum interpres, legit Tutus *ἀντὶ τοῦ* Bobus,
,, atque interpretatur. Tybris erat noſtris, ideſt, regionis, ciuitatiſq;
,, noſtræ iuris tutus, hoc eſt, neminem lædens: deinde plura de Tyberis etymo affert, inq; eo valdè laborat, vt oſtendat Tutũ dici actiuè, & paſſiuè. Mirum præpinguis athletæ ingeniũ: ſed iam propè diuinũ, cùm tuetur corruptelam ſincerę ſcripturæ in eiuſdem poëtę carmine hoc.

Paſtor & ad calamos exta litabat ouis.

Vbi germanum putat Excalitabat: Apageſis cum iſta barbariè.

Non videri verum, quod ſcribit Petrus Victorius, Romanos quadratis togis vſos fuiſſe. Cap. XXIIII.

MINIME mihi perſuaſerit Petrus Victorius Romanorum togas quadrata forma præditas fuiſſe, neque.n.hoc dicit Athenæus, quem teſtem ipſe in ſua cauſſa producit, ſed contrarium potius: & quod eius ſententiam penitus euertat: ſunt.n. hæc ipſius verba ex li-
,, bro 5. *τῶν δὲ ἄλλων Ῥωμαίων οἱ μὲν θεῶν ἀγάλμασι προσπεπτώκασι:*
,, *οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια, τὰς ἐξ ἀρχῆς πα-*
,, *τρίδας πάλιν ὀνομάζουσι.* Loquebatur autem Græcus auctor de ſæuitia, qua in Romanos vſum fuiſſe Regem Mithridatem affirmabat in concione philoſophus Athenio, qui occaſione arrepta tyrannidem vſurpauerat: valet enim *μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια* quadrangulas veſtes induere alijs veſtimentis depoſitis: Cùm itaque Romani Mithridatem latere vellent, ne agniti ad ſupplicium raperentur, togas deponebant aſſumpto Græco, ſiue etiam Aſiatico veſtimento, quod forma quadrata conſtabat: vt hac ratione imminens periculum effugerent. Fuiſſe autem Romanorum togas non quadrangulas, ſed rotundas, apertis verbis docet Quintilianus lib. 11. vbi de Oratoris
,, cultu loquitur. Ipſam togam rotundam eſſe, & aptè cæſam velim.

Sed

" Sed & Iſidorus libro Orig. 19. Toga (inquit) dicta, quòd velamen "
" to ſui corporis tegat, atque operiat. Eſt autem pallium purum for
" mâ rotunda, & fuſiore. Dionyſius Halicarnaſæus lib. 3. loquens de
inſignibus regijs, quæ Tarquinio priſco Hetruſci miſerunt, inquit.
" χιτῶνα τε πορφυρῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον πορφυρῦν ποικίλον,
" οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε "
" τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν ἀλλ' ἡμικύκλιον. hoc eſt. Tuni- "
cam purpuream lati claui, & amiculum purpureum pictum, cuiuſ- "
modi Lydorum reges, & Perſarum geſtare olim ſolebant; non qua- "
dratum quidem illud, iſtorum ad modum, ſed ſemicirculari forma:
Fieri tamen poteſt, vt alia forma eſſent regum veſtes, alia priuatorum:
ſed interim nihilominus facilè ſuſpicari licet nullum diſcrimen inter
eas interceſsiſſe, dùm qui ſecus arbitrantur, ſententiam ſuam aliquo
teſte muniant. Decepit autem Victorium verbum μεταμφιάσμαι,
cuius notionem imperfectam eſſe putauit, niſi illi duæ ſequentes di-
ctiones τετράγωνα ἱμάτια adijcerentur, vt eſſet quadrangulas ve-
ſtes induti, cùm doceant Græca dictionaria μεταμφιάσομαι πορφυ-
ρίδα valere Habitu permutato purpuram aſſumam.

Oſtenditur verus ſenſus quorundam Paterculi verborum, in quibus Aldus Manutius mendam reſidere falsò putauit. Cap. XXV.

SCRIBIT Ariſtoteles laudes comparatione, & relatione quadam
conſtare, vnde rebus præſtantiſsimis laus non debetur, ſed ho-
nor, quod intelligens Eudoxus, cùm primas partes voluptati tri-
buere vellet, dixit inde potiſsimum eius excellentiam apparere, quòd,
cùm ea ſit in numero rerum bonarum, non laudetur tamen, ſicu-
ti nec Deus quidem, & ſummum bonum. δοκεῖ (inquit Ethic. 1.)
" καὶ Εὔδοξος καλῶς συνηγορῆσαι περὶ τῶν ἀριστείων τῇ ἡδονῇ. τὸ γὰρ μὴ
" ἐπαινεῖσθαι τῶν ἀγαθῶν οὖσαν, μηνύειν ᾤετο ὅτι κρεῖττόν ἐστι τῶν ἐπαι-
" νετῶν. τοιοῦτον δὲ εἶναι τὸν θεὸν καὶ τἀγαθόν. πρὸς ταῦτα γὰρ καὶ τ'
" ἄλλα ἀναφερέσθαι. Dixeris Latinè. Videtur & Eudoxus rectè
voluptati primas detuliſſe partes. Quod enim ea non laudaretur,
indicare putabat præſtabiliorem ipſam eſſe rebus laudabilibus: ta-
le autem eſſe dicebat Deum, & ſummum bonum: ad hæc .n. cætera
vniuerſa referri. Hic Ariſtotelis locus tuetur ſcripturam Vellei Pa-
terculi, cui, tanquam ea manca eſſet, ac decurtata, negationem addi-
" dit Aldus Manutius ibi Catonis integritatem laudari, nefas eſt: in-
" ſolentia pænè argui poteſt: & reliqua ait .n. ille Hoc in Catonem con
" ferri, credibile non eſt: cuius per omnem vitam laudata à bonis om-
nibus

" nibus integritas. Addendum igitur puto Non, vt ſit. Non laudari, nefas eſt. Minimè verò quicquam addideris, Manuti, ſi me audies: hoc enim ait Paterculus. Adeò nota eſt Catonis integritas, vt ei quodammodo iniuria inferatur, ſi laudetur, rerum enim præſtantiſsimarum non eſt laus, δῆλον (inquit ibdem Ariſtoteles) ὅτι τῶν ἀρίστων
" οὐκ ἔστιν ἔπαινος, ἀλλά μεῖζόν τι καὶ βέλτιον, καθάπερ καὶ φαίνεται.
" τούς τε γάρ θεοὺς μοκαρίζομεν καί εὐδαιμονίζομεν. καί τῶν ἀνδρῶν τοὺς
" θαοτάτους μακαρίζομεν. ὁμοίως δὲ καί τῶν ἀγαθῶν. οὐδεὶς γάρ τὴν εὐδαι-
" μονίαν ἐπαινεῖ, καταπερ τὸ δίκαιον, ἀλλ᾽ ὡς θαήτερόν τι καί βέλτιον μακαρίζει. hoc eſt. Conſtat optimorum non eſſe laudem, ſed maius aliquid, pæſtabiliuſque, quemadmodum & videtur. Nam & Deos beatos, fæliceſque dicimus: & virorum etiam eos, qui maximè ſunt diuini, rerum bonarum ſimili modo: nanque fælicitatem laudat, vt juſtitiam, ſed vt diuinius quidam, præſtabiliuſue, rem dicit eſſe beatam. Longè itaque magis Catonis integritatem laudauit Paterculus, dicens ipſam laudari nefas eſſe, quàm ſi eam artificioſiſsimo encomio extollere tentaſſet: affirmat .n. ipſam adeò præſtabilem eſſe, vt quaſi polluatur, ſi laudibus eam quis proſequi velit, quo quid præclarius, quid abſolutius ad Catonem commendandum excogitari potuit?

ROBERTI TITII
BVRGENSIS
LOCORVM CONTROVERSORVM
LIBER DECIMVS.

Virgilii carmen obſcurum, ac difficile declaratur puſilla macula, quæ in eo reſidebat, inde amota. *Cap.* I.

PLVRIMVM cogitandi anſam mihi præbuit locus ille Maronis in extrema decima Ecloga.

Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus vmbra,
Iuniperi grauis vmbra, nocent & frugibus vmbræ.

Duo.n.mihi ſcrupulum inijciebant in his carminibus: Vnum, quòd vmbram cantantibus grauem eſſe dicat, cùm immò paſtores vmbram aliquam petere conſueuerint, cùm aut animi curas, aut æſtum cantu, ac fiſtula fallere volunt: hic noſter Ecloga I.

Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Sylueſtrem tenui Muſam meditaris auena. rurſus ecl. 5.
Cur non Mopſe (boni quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere verſus)
Hic corylis mixtas inter conſedimus vlmos? item. 7.
Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphnis. ac paucis interiectis.
Et, ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub vmbra.

Nemeſianus Ecl. I. *ſed nobis ne vento garrula pinus*
Obſtrepat: has vlmos potius, fagoſue petamus. & 4.
Populea Lycidas, necnon & Mopſus in vmbra
Paſtores, calamis, ac verſu doctus vterque
Nec triuiale ſonans, proprios cantabat amores.

Calphurnius Ecloga I.
Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus vmbris?
Torrida cur ſolo defendimus ora galero?

Et quæ illic ſequuntur ex perſona Coridonis: idem Ecloga 2.
terras, hi, cùm grauis vreret æſtas,
Ad gelidos fontes, & eaſdem fortè ſub vlmos
Conueniunt. Cyrus Theodorus introducturus amicitiam querelas ſuas hoſpiti exponentem, ſub pini vmbra vtrumque conſidere facit.

Οὐκοῦν καθιζήσαντες ἀμφὶ τὴν πίτυν,
(Ὁρᾷς τὸ δένδρον ὡς καλόν τε καὶ μέγα)
Τὸ πᾶν ἐπεξελθώμεθα ἤδη τοῦ λόγου;
Ἰδοὺ καθιζήκαμεν ἄρξαι τοῦ λέγειν.

Hoc eſt. Ergo ambo conſidentes ſub pinu (vides, vt arbor pulchra ſit, & procera?) verbis rem omnem proſequemur: conſedimus iam, ſermonem aggredere. Denique Socrates apud Platonem de amore diſputaturus ſub vmbra agnocaſti reſidet. Alterum, quod moleſtiam mihi exhibet, eſt, quòd iuniperi vmbra grauis dicatur, cùm non modò ea grauis non ſit, ſed valdè ſuauis, atque amœna, immò verò venenatas beſtias, quæ ſub ea fuerint, enecat, vnde Græcis *ἄρκευθος παρὰ τὸ τὴν ἄρκειν κνώδαλα* dici videtur; quòd ſi ad fruges referamus, non tamen omninò ſcrupulus eripitur; namque neceſſe eſt ipſam arborem valdè frugibus nocere, & inſigni huiuſmodi aliqua facultate præditam eſſe, vt ex tot noxijs arboribus ipſam præcipuè deligere debuerit Maro, & tamen rara planta eſt, humilis, folijs minutis, ac minimè crebris, & in alpeſtribus locis oritur, vbi fruges non ſeruntur: Denique nec Valeriani commonitio difficultatem adimit affirmantis poſtremum carmen in vetuſtis codicibus non reperiri, nam Seruius vetus eius poëtæ interpres ipſum agnoſcit, atque interpretatur: mihi igitur aqua hæret; ac, niſi pro Cantantibus legamus Cunctantibus, inde me explicare nequeo: eſſet autem honeſta digreſsionis occaſio à tempore ſumpta ſimilis illi alteræ.

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioreſque cadunt altis de montibus vmbræ,

A qua non abhorret illud Nemeſiani ex pr. Ecloga.

Sed iam ſol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos ſuadens gregibus præbere liquores.

Hoc .n. diceret Maro. Surgamus iam nocte adueniente, cuius vmbra ſolet eſſe grauis cunctantibus, atq; ita quidem grauis, vt vel ipſius iuniperi vmbra, quæ alioquin maximè amœna, ac ſalubris eſſe conſueuit, cunctantes lædere queat, ac non homines ſolùm, verumetiam fruges, & ſata; ſurgamus igitur, vt noxium aërem vitemus, & vmbram effugiamus hominibus, ac frugibus peſtilentem.

Horatius declaratur in Epiſtolis, vbi Seſtum, & Abydum turres vocat. Cap. II.

APAGESIS cum iſtis tuis amœnitatibus, Petre Nanni, quas Horatio conciliare ſtudes: nam quod ille ait Epiſtola quadam ad Iulium Florum.

An

An freta vicinas intercurrentia turres,

Non aliunde melius, quàm ex Strabone intelligi poteſt, cuius hæc
„ ſunt lib. 13. ἐστὶ ἡ Σηστὸς ἐνδοτέρω κατὰ τὴν Προποντίδα, ὑπερδέ-
„ ξιος τῷ ῥῷ τῷ ἐξ αὐτῆς. διὸ καὶ εὐπετέστερον ἐκ τῆς Σηστοῦ διαίρουσι
„ παραλλαξάμενον μικρὸν ἐπὶ τὸν τῆς Ἡροῦς πύργον. κἀκεῖθεν ἀφιέντα
„ τὰ πλοῖα συμπράττοντος τοῦ ῥοῦ πρὸς τὴν περαίωσιν. τοῖς δὲ ἐξ Ἀβύδου
„ περαιουμένοις, παραλεκτέον ἐστὶν εἰς τἀναντία, ὀκτώ που σταδίους ἐπὶ
„ πύργον τινὰ κατ᾽ ἀντικρὺ τῆς Σηστοῦ. quæ ſic Latinè reddidit interpres. Seſtus autem eſt interius Propontidem verſus, ad dexteram partem fluxus, qui ab ea fertur, quapropter facilius è Seſto nauigatur ad Iunonis turrim, ſi quis paululùm deflectat, atq; inde ſoluat, cũ fluxus ibi ad tranſitũ adminiculetur. ex Abydo verò tranſeuntibus in contraria prænauigandum eſt circiter octo ſtadia ad turrim quandam Seſto oppoſitam. Te igitur, Nanni, vehementer amo, quòd docueris vocem Borghi, quæ trita eſt materno ſermone, ex Græcia ad nos delatam fuiſſe: eũdem tamen non laudo, quòd Horatij verbis lucem aliquam inde afferri poſſe credideris.

Diſputatum de ſinceritate ſcripturæ Catulliani epigrammatis, quam eruditi quidam viri deprauauerant. *Cap. III.*

RECTE explebitur lacuna Catulliani carminis, ſi, quomodo ſcriptum fuiſſe in antiquis libris teſtantur docti viri, legamus vna tantùm dictione paululùm immutata, hoc modo.

At Voluſi annales Padoam porgentur ad ipſam.

Non Paduam per quintam vocalem: vt intelligamus alterum Padi oſtium, quo ſe in mare flumen illud effundit, de quo ſcribit Polybius lib. 2. quòd vbi primũ ex fontibus erumpit ſimplici alueo fluit: mox in duos alueos ſinditur, atque ita in mare Adriaticum erumpit: vnius autem aluei os Padoam, alterius Olonam incolæ vocant. Græ-
„ cè ſic. τὴν μὲν γὰρ πρώτην ἐκ τῶν πηγῶν ἔχει ῥύσιν ἁπλῆν, σχίζε- „
„ ται δ᾽ εἰς δύο μέρη, κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ „
„ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ᾽ ἕτερον Ὄλονα. Nam dictio Paduam, quam vulgatæ editiones pro Vrbe Patauio nobis ogerunt, haud ita pridem radices egit in noſtro ſolo ex colluuie barbarorum: certè Catulli ſeculo nondum prodierat: vt hinc tutò pronunciare liceat, ipſam à ſiniſtris aliquibus correctoribus propagatam fuiſſe. Scaligeri commentum de Apuam porgentur vt ſubtiliter, atque ingenioſè excogitatum ſit, recipi tamen in verborum contextum non debet: ad oram libri haud inuitus admiſerim: ſed iam Polybij loco oſtenſo, nihil dubitationis ſupereſſe videtur.

Prouerbium quoddam, quod à Paræmiographo prætermiſſum fuerat, indicatum. *Cap. IIII.*

Αὔρυτος ille Chiliadum auctor, quem ego tamen inuitus alicubi nomino, prouerbium quoddam prætermittit, quod Græcorum ſermone iactari conſueuit in eos, qui de alieno liberales eſſent, dicebant ennim illi aliquem θυμιάμασιν ἀλλοτρίοις τὸ θεῖον σέβεσθαι. Pauſanias, qui prouerbij meminit, illud exemplo appoſito planum facit: narrat enim, quòd Sylla Liberi Patris ſimulachrum dedicauit omnium Myronis operum, Erechtheo, qui Athenis eſt, excepto longè quod ſpectetur digniſsimum ἀνέθηκε δὲ (inquit) οὐκ οἴκοθεν. Ὀρχομενίους δὲ ἀφελόμενος τοὺς μινύας. τοῦτο ἐστὶ τὸ ὑπὸ Ἑλλήνων λεγόμενον θυμιάμασιν ἀλλοτρίοις τὸ θεῖον σέβεσθαι. hoc eſt. Neque verò de ſuo (Sylla) donum dedit, ſed illud Orchomenijs eripuit; Hoc illud eſt Græcis vſurpatum verbum. Deos alienis copijs venerari: Reſpondet huic prouerbio carmen illud, quod ex Homero citat parœmiographus.

ἐπεὶ οὔτις ἐπίσχεσις, οὐδ᾽ ἐλεητὺς

Ἀλλοτρίων χαρίσασθαι. hoc eſt. Quandoquidem nulla parſimonia, neque miſericordia prohibet de alieno largiri: Sed magis ſapit prouerbium, quod ex Pauſania protulimus; Homeri namque ſententia ſimplex eſt, nulliſque coloribus veſtita; prouerbia cultum amant, & quiddam à Communi vſu remotum expoſcunt, vt gratiota ad aures accidant.

Quęritur de veritate ſcripturæ in Plinii codice. *Cap. V.*

QVA ratione cauſſam ſuam egerit C. Furius Creſinus, cui diem dixerat Sp. Albinus, docet Plinius his verbis lib. 18. Inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piſo) benè curatam, ac veſtitam: ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. & c. Indicare libet ſcripturam, quam olim inſpexi in vetere, vt apparebat, codice; in eo igitur ita erat. Atque (vt inquit Piſo) benè cutam, ac veſtitam. Ac ſanè Piſonis teſtimonium non aduocaſſet Plinius, niſi locutionem, aut verbum aliquod aliqua particulari nota inſignitum ſcriptor ille vſurpaſſet, quod in Latinè, purèque loquentium ore non ita frequens eſſet: ac certè vt bona crura, bona forma dicitur, non ita facilè reperies bonam cutem, ſed nitidam potius, teneram, beneque curatam: qua de re meritò reprehenſus fuit Bartolomeus Scala à Politiano in quadam ſua epiſtola ad illum ipſum ſcripta.

ſcripta. Plinius igitur illa cautione culpam vitauit, & quòd puellam benè cutatam vſurpauit, teſtem produxit, qui eo modo locutus fuerat: ſolet enim aliena fides allegari, cùm propriam liberare placet: atque adhibetur plerumque hæc cautio, cùm ob dictionis alicuius, aut conſtructionis, aut alterius huiuſmodi rei nouitatem reprehenſionem veremur: itaque Hireius, ſiue Oppius in libro de Bello Hiſpanienſi vetuſti poëtæ Ennij auctoritatem citauit, cùm ſe à culpa liberare vellet, quam fortaſſe incurriſſet, propterea quòd hemiſtichium ſolutæ orationi inſeruiſſet ibi. Hic tamen (vt ait Ennius) noſtri ceſſere parumper. Nam benè dicendi Magiſtri iubent abſtinendum eſſe ab huiuſmodi verborum compoſitione. Hinc igitur omninò mihi perſuadetur, ita illic legi debere; valet autem puella benè cutata, quod materno ſermone diceremus giouane di buona buccia, ò cotenna.

Declarati Virgilij verſus de prognoſticis tempeſtatum, quos interpretes omnes perperàm acceperunt. *Cap. VI.*

HAVD ſuo loco poſuiſſe videbitur Maro prognoſticum futuræ naualis victoriæ, ſi, cùm in Georgicis naturales prædictiones agricolas docere vellet, pertranſierit ſtatim ad ſuperſtitioſas diuinationes, atque ex ea arte præceptis deſumptis oſtenderit ex cæli conſtitutione tempus cognoſci poſſe ad committendum nauale prælium accomodatum, ſic.n.accipit Seruius, quod eſt apud Virgilium Deducere armatas claſſes.

Et quando infidum remis impellere marmor
Conueniat: quando armatas deducere claſſes.

Id quoniam poëtæ menti conuenire non puto, cui nimirum propoſitum ſit naturales tempeſtatum cauſſas exequi, non ſuperſtitiones docere, niſi quatenus, vt Auguſto gratificetur, mortis Cæſaris prodigia per tranſcurſum enumerat, videndum eſt, an Deducere armatas claſſes illic valeat, naues, quæ in ſiccum ob anni tempus ſubductæ erant, rurſus in ſalum deducere, quod ferè crediderim: hos.n. Heſiodi verſus ſimpliciter interpratari voluit Maro.

Ηματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο,
Ες τέλος ἐλθόντος θέρεος καματώδεος ὤρης
Ωραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος.

Hoc eſt. Dies quinquaginta poſt verſiones ſolis, ad finem venientc æſtate, laborioſo tempore, tempeſtiua eſt mortalibus nauigatio. Deducuntur autem naues, cùm ex terra in mare quibuſdam machinis impelluntur. Horat. lib. 1. Carmin.

Soluitur acris hyems grata vice Veris, & Fauoni:
Trahuntque ſiccas machinæ carinas.

Bis igitur idem dixit Maro duobus illis carminibus, in quo loquendi genere oppidò quàm liberales eſſe conſueuerunt poetæ omnes, ſic idem Maro.

Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor, aut reſonantia longè
Litora miſceri.

Vbi Seruius iterationem eſſe admonet, quam eandem obſeruare licet haud longè inferius in illis.

non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat conuellere funem.

Porrò claſſes armatæ nuncupantur, quæ omnibus ſuis armamentis inſtructæ ſunt, arma .n. cunctarum artium inſtrumenta dicuntur: atque ad nautarum quidem apparatum refertur illud.

ſic deinde locutus
Colligere arma iubet, validiſque incumbere remis.

Correctus, atq; explicatus Horatii locus ex Satyra. Cap. VII.

QVO tandem conſilio apri leni Auſtro ſpirante capti meminiſſe dicemus Horatium in Satyra?

In primis Lucanus aper, leni fuit Auſtro
Captus, vt aiebat cænæ pater.

Equidem non video, quò pertineat ille ſermo: & veriſimile mihi fit quiddam illic exprimere Satyrographum voluiſſe, quod apro illi ſuauitatem aliquam conciliaret, ipſumque palato iucundiorem efficeret, quod non conſequetur, ſi leniter flantis Auſtri mentionem faciat in apri captura, parùm enim intereſt hoc an illo vento ſpirante fera aliqua capiatur, niſi ſi eodem vento flante occidatur, quod poſtremum efficit id, quod quærimus, atque iccirco ipſum exprimi debuit ab Horatio, non illud alterū, in quo nulla vis inerat ad ſuauitatem alicui cibo conciliandam. Hæc ratio ſuadere videtur, vt legamus apud Horatium Coctus ἀντὶ τῷ Captus, id eſt, tenerior effectus, hæc.n. qualitas præcipuè expetitur in carnibus: idem poeta Saty. 4. lib. 2.

Si veſpertinus ſubitò te oppreſſerit hoſpes:
Ne gallina malum reſponſet dura palato
Doctus eris viuam miſſo merſare Falerno.

Dicitur itaque hoc loco Aper Auſtro coctus, quomodo apud Plinium Sol fructus coquere, vnde poma cocta, id eſt matura: quam quidem maturitatem (vt ita loquar) conſequuntur carnes ab Au-

ſtro, cùm is leniter ſpirat, reddit enim corpora humida, & calida, quæ putredini maximè opportuna ſunt; maturitas autem eſt quaſi quædam putredinis ſpecies: confert huc Alexandri Aphrodiſienſis ratio putredinis carnium, quæ ſub plenilunio fuerint: inquit.n.hoc ideo euenire, quia tunc aër calidus, atque humidus ab eo fit, quæ habitudo ad putrefaciendum maximè confert, vnde efficitur, vt, ſi modicus ſit calor, atque humor, concoctio fiat: ſi immodicus, extinctio; ſi calor præualuerit, exuſtio: & quæ illic deinceps ſequuntur, quod ex Ariſtotele ſumptum eſt in Problematis.

Purgatus Plinii locus, qui mendoſus eſſe videbatur. Cap. VIII.

„ AVES (inquit Plinius lib. 11.) nec venas, nec arterias habent. Erat in prōptu caſtigatio huius deprauatiſsimi loci: ſed fit interdum, vt, quæ maximè oculis ſubiecta ſunt, nos lateant, nec ſe conſpicienda præbeant, cuius rei Lucretius tibi cauſſam afferet. Torſi igitur me diutius, nec vnquam ſuccurrit, vt ex Aues facerem Apes, quæ vera lectio eſt: ſed hariolabar ſcribi oportere. Aues nec
„ renes, nec vritiras habent. Bona quidem ſententia, ſed fortaſſe nimis longè diſsita à veſtigijs vulgatæ ſcripturæ præſertim in dictione Vritiras merè Græcanica: nunc liberum lectori iudicium relinquo: valdè enim duram prouinciam ſuſceperit, quicunque noſtrum inuentum pro vero, certoque recipi omninò velit, idque rationibus euincere conetur. in quo tamen (ne quid diſsimulem) nullam maiorem difficultatem habeo: quàm quòd noua hæc ſcriptura aliquantò longius, quàm vellem, ab impreſſorum codicum ſpecie diſcedit: nam quòd ad ſententiam quidem attinet, teſtem tibi dabo Alexandrum magnum mehercule Peripateticum, cuius hæc ſunt verba, dum quærit cur natura auibus neque veſicam vrinæ receptaculum, neque renes
„ elargita fuerit. *ὅτι πολλῆς ὑγρότητος ἐδέετο πρὸς γένεσιν καὶ αὔξησιν*
„ *τῶν πτερῶν. καὶ τὸ γυμνάζεσθαι δὲ κατὰ τὴν πτῆσιν ἐξαναλίσκει ταύτην. καὶ*
„ *οὐκ οὐροῦσιν μὲν ὅλως. πίνοντα δὲ, τὴν κόπρον ἔχει ἐξιοῦσαν σὺν ὑγρότητος ἀμετρίᾳ*. id eſt. Quia multa indigebant humiditate, vt oriri pinnæ, atque increſcere poſſent: eamque ipſa volandi exercitatione conſumunt. Neque omninò quidem mingunt. Cùm verò bibunt, ſtercus immodicè humidum deijciunt. Porrò dicuntur à Græcis *οὐρητῆρες* meatus illi concaui, atque prælongi, qui à renum finibus ad veſicam feruntur.

Eluta

Eluta macula ex codice Appiani in Annibalicis. Cap. IX.

QVICQVID eſt incoctum non expromo: benè coctum dabo. Libet à Plauti ſententia hoc caput ex ordiri, vt intelligant omnes me pro certis, ac firmis habere, quæ dicturus ſum. Semel, atque iterum peccatum eſt ab ijs, qui typographicæ bibliothecæ præſunt in Appiani codice excudendo in paludis nomine effingendo, ad quã Centenium cum exercitu miſerunt Romani, vt Annibali tranſitum ad vrbem prohiberet: in codicibus.n.ab Henrico Stephano typographo diligentiſsimo, eodemque eruditiſsimo excuſsis ita conſtanter
„ legitur. Κεντήνιον αὐτοῖς τινὰ τῶν ἐπιφανῶν ἰδιωτῶν, οὐδεμιᾶς ἀρ-
„ χῆς παρούσης, ἐπέστησάν τε καὶ ἐξέπεμπον ἐς Ὀμβρικοὺς ἐς τὴν
„ Πλεστίνην λίμνην, τὰ στενὰ προληψόμενον, ᾗ συντομώτατον ἐστὶν ἐπὶ
„ τὴν Ῥώμην. rurſus paucis interiectis Ἀννίβας δὲ, ἐπεὶ εἶδε τήν τε λίμ-
„ νην ἅδε τὴν Πλεστίνην, καὶ τὸ ὄρος τὸ ὑπὲρ αὐτήν. Ac ne per imprudentiã operarũ typographicarũ huiuſmodi peccatum admiſſum eſſe arbitreris, audi quomodo duo illi loci conuerſi legantur ab interpræ-
„ te Beraldo ex editione eiuſdẽ Henrici Stephani. Ipſis (octo millibus,
„ qui ſupererãt) quia deerat alius magiſtratus, præfecerunt Centeniũ,
„ priuatũ quidẽ, ſed patritia gente virũ: & in Vmbriã ad Pleſtinã palu-
„ dẽ, vt qua ad vrbem propior eſt via, fauces præoccuparet, emiſerunt.
„ Annibal Pleſtinam paludem, montemq; ſuperiectum conſpicatus: &
reliqua. Quæ eſt hæc Pleſtina palus? vbinam regionum ſita? in Vmbriane, an in Vtopia? quis denique eius meminit? Pudet me tàm craſſę ignorantiæ, quam doctos iſtos viros occupaſſe video: nam quis (quæſo) vnquam dubitabit, legi illic vtrobique debere Πομπτίνην: quæ palus eſt ad Circeios circa viam Appiam, ad quam conſtitit Annibal, cùm de Roma obſidenda cogitaret: Res notior eſt, quàm vt de ea pluribus agere oporteat: Paludis illius meminerunt Strabo, Plinius, Suetonius, Lucanus, Iuuenalis: hanc eandem voluit indicare Flaccus epiſtola ad Piſones. *ſiue receptus*

Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet,
Regis opus: ſterilíſue diù palus, aptaque remis
Vicinas vrbes alit: & graue ſentit aratrum.

Denique nullus ferè Geographus, nullus hiſtoricus aliquam de ipſa mentionem non facit; cùm de Pleſtina mirum ſit vbique ſilentium.

Lacus effoſſus in morem cochleæ apud Suetonium quomodò intelligi debeat, quid ſit Codeta, & de Equiſeto herba. Cap. X.

DE varijs ſpectaculis à Iulio Cæſare editis loquebatur Sueto-
„ nius illic, vbi inter cætera inquit. Nauali prælio in morem co-

chleæ

" cleæ defoſſo lacu, biremes, ac triremes, quadriremeſque, Tyriæ &
" Ægyptiæ claſſes magno pugnatorum numero conflixerunt. Vbi La
cus in morem cochleæ effoſſus dicitur, cuius os patentius eſſet, fun-
dus verò anguſtior paulatim ſe ſpatio contrahente: Hunc locum du
bium, & ſubleſtæ fidei ſibi eſſe clamat Turnebus, & de Ranconeto
quippiam ſe inaudiuiſſe ait In minore Codeta. Non conſueuit adire
veterum ſcriptorum interpretes Turnebus, antequam quicquam in
illa ſua Aduerſaria conferret; namque ſi eos adiuiſſet, hoc ipſum, de
quo ſe à Ranconeto commonefactum eſſe dicit, multò ante à Beroal
do fuiſſe animaduerſum cognouiſſet, vt nihil ei opus eſſet Latini ſcri-
ptoris locum attingere, nam vel ipſum ex veteribus libris caſtigarat
Beroaldus, ſi caſtigationis indigebat, vel etiam egregiè explicarat,
vt ego quidem exiſtimo: omninò enim verum puto In morem co-
chleæ, vt gradus nimirum in lacu illo efformatos intelligamus, in
quibus populus naumachiam ſpectaret, ij gradus torti, & anfra-
ctuoſi erant circa lacum in modum teſtæ cochlearis. Sed operæpre-
cium fuerit diligentius conſiderare, an prorſus verum ſit, quod illic
ſcribit Beroaldus, Codetam locum fuiſſe in campo Martio, nam Fe
" ſtus Pompeius præcisè ait. Codeta appellatur ager trans Tyberim,
" quod in eo virgulta naſcuntur ad caudarum equinarum ſimilitudi-
nem. Campus Martius ætate Feſti non erat trans Tyberim: Ac, vt
omnia cognoſcantur, quorum hic incidit mentio, ſciendum eſt in-
tellexiſſe Feſtum de Equiſetò herba, quam Græci *ἱππουρίδον* vocant,
ab equi caudæ, quam refert, ſimilitudine, de qua ſtatim apponam
Dioſcoridis verba. Hoc Equiſetum in genere virgultorum ſtatuit
Feſtus, vel quoniam haud ita curioſè herbas à virgultis diſtinguit,
quemadmodũ materiæ herbariæ intelligentiores diſtinguere conſue-
uerunt, vel quoniam, cùm ipſum per ſe infirmum ſit, libenter hæret
ſtirpibus vicinis, vnde *ἀνάβασος* ab aſcendendo quandoque nun-
cupatur: poteſt itaque virgultum appellari non ratione ſui; ſed vir-
gultorum, quibus innititur. Hæc autem de ipſo ſcripta reliquit
" Dioſcorides lib. 4. *ἵππουρις φύεται ἐν τόποις ἐφύδροις καὶ τάφροις.*
" *καυλία κενά, ὑπέρυθρα, ὑποτράχεα, στερεά, γόνασι διειλημμένα. ἐμ-*
" *πεφυκόσιν εἰς ἄλληλα. ἐπὶ δὲ αὐτά σχοινώδη φύλλα πυκνά, λεπτά,*
" *αὔξεται δὲ εἰς ὕψος ἀναβαίνουσα ἐπὶ τὰ παρακείμενα στελέχη, καὶ κα-*
" *τακρημνᾶται περικεχυμένη κόμαις πολλαῖς μελαίναις καθάπερ ἵπ-*
που οὐρά. hoc eſt. Equiſetum in riguis locis, & ſcrobibus naſcitur.
cauliculi prodeunt inanes, rubeſcentes, ſubaſperi, ſolidi, circum
geniculati: & circa ipſos geniculos iuncea folia, crebra, exilia: in ſu
blime attollitur propinquas ſtirpes aſcendens, obuolutumque de-
pendet, comis multis nigris ceu cauda equi.

Robertus Conſtantinus reprehenditur in explicatione cuiuſdam vocabuli, quo vtitur Lampridius in Alexandro. Cap. XI.

NON poſſum diſsimulare craſſum, ac pudendum Roberti Conſtantini peccatum, quod is admittit in citandis, atque explicandis verbis quibuſdam Ælij Lampridij, quæ leguntur in Alexandro Se„ uero ad hunc quidem modum. Voluptates ſcenicas in conuiuio nun„ quam habuit, ſed ſumma illa oblectatio fuit, vt catuli cum porcellulis „ luderent, aut perdices inter ſe pugnarent, aut aues paruulæ ſurſum, „ & deorſum volitarent. Conſtantinus citat Procellulis, neque id verò per imprudentiam ipſi excidit, aut calcographorum inſcitia admiſſus eſt error paruo deflexu literarum, ſed certo prorſus illius hominis conſilio ita, vt dixi, eo in loco ſcriptum viſitur, eſt.n. illic ipſius „ ſcholion huiuſmodi Procellulus diminutiuum à procerus. Lampridius in Alexandro. et cætera. Denique ordo literarum, qui in illo Supplemento perpetuò cuſtoditur, manifeſtò indicat exiſtimaſſe ipſum Procellulis ſcribi debere. Atqui editiones, in quas hactenus incidi, ad vnum omnes præſeferunt Porcellulis, quod eſt paruis porcis, & ſanè ita legi debet, vt conſtet ſenſus, & Latini ſermonis forma: cùm alioquin futurum ſit, vt adiectiuum nomen (ſic.n. vocant Grãmatici) nulli ſubſtantiuo cohæreat, quod vitioſiſsimum eſſe norunt omnes, quid.n. (quæſo) diceret Lampridius, ſi ita loqueretur? vt catuli cùm procellulis luderent: cum quibus nam procellulis? Modò igitur Porcellulis ſcribi debet, vt ſint parui porci diminutiua figura, nam cęteroqui à Procerus fit Procerulus, quēadmodum è contra Procerior, & Proceriſsimus, non Procellior, & Procelliſsimus.

Cuſtoditur vulgata ſcriptura in Plinii codice, quam Hermolaus Barbarus per vim inde eiecerat ignoratione veteris conſuetudinis mittendi epiſtolas laureatas in nuntio adeptę victorię. Cap. XII.

„ ROMANIS præcipuè lætitię, victoriarumq; nuntia additur lite„ ris, & militum lanceis, piliſque: Faſces Imperatorum decorat. Hæc ſunt verba Plinij de lauro loquentis lib. 15. In quibus mendum latere ſuſpicatus eſt Hermolaus Barbarus, quia cùm de lanceis, piliſque mentionem illic fieri videret, abſurdum iudicarit literas inſerere, & non potius inſtrumentum aliquod militare, quod cum lancea, & pilo commodius iungeretur, atque aliquam affinitatem haberet: cuiuſmodi eſt Lituus, quam vocem illic pro Literis ſubſtituere non dubitat Hermolaus. Sed nihil opus fuit vulgatam ſcripturam

diſpun-

diſpungere; nam Plinius Romanorum Ducum morem expreſsit, qui cùm præclaram aliquam victoriam conſequuti fuiſſent, literas ad Senatum dabant lauri ramo inuolutas: rem teſtibus confirmabo. Ci-
» cero in Piſonem. Ne tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam cum
» laurea mittere audebas. T. Liuius. Literæ à Poſthumio laureatæ ſe
» quuntur, victoriam Pop. Rom. eſſe. Ouidius Amor. I.

Non ego victrices lauro redimire tabellas.

» Appianus in Mithridatico. ϗ Λεύκολλος περὶ τῶνδὲ Ῥωμαίοις ἐπέ-
» στελλε τά γράμματα δάφνῃ περιβαλὼν, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. hoc eſt. Quas ob res Lucullus Romam literas miſit laureatas, vt in victorijs mos eſt.

Culpa quędam, quam Victorius Maroni obiecit, ab eo poëta depulſa. Cap. XIII.

VIDEOR mihi ſatis commodam rationem inueſtigaſſe, qua Virgilium à negligentiæ culpa vindicarem, cui doctus vir Petrus Victorius ipſum affinem facit, exiſtimans neceſſariam partem Maronem omiſiſſe in Opere ſuo Ruſtico, cùm nullam mentionem fecerit de ſuibus domeſticis, quorum alioquin greges in re pecuaria continentur, & de quibus agit Varro homo doctiſsimus, quique ſcientiam illam, quæ rei ruſticæ vocabulo comprehenditur, diligentiſsimè proſequutus eſt: vt igitur hæc culpa ab eruditiſsimo poëta depellatur, fortaſsè dici poteſt, non fuiſſe ei propoſitum omnes omninò rei ruſticæ partes tractare, ſed eas tantùm, quæ illuſtriores eſſent, & cum dignitate heroico carmine exponi poſſent, quod de ſuibus facere nequiuiſſet, proptereaquod ignobilis, & immunda ea ſit beſtia, cùm itaque aliquot tantùm rei ruſticæ membra exponere in animo haberet Maro, multaque ſibi prætermittenda eſſe iudicaret, ſummo conſilio à ſuo poëmate ſues excluſit; nam & in Bucolicis quoque cùm de paſtoribus crebra fiat mentio, numquam tamen porcarij, aut ſubulci commemorantur, opiliones, caprarij, bubulci ſæpè comparent. Horatius quoque de eadem re quandoque locuturus à porcorum commemoratione abſtinuit; Non fuiſſe aût conſilium Maronis omnes partes illius ſtudij proſequi abundè conſtat; Siquidem cùm res paſtoritia, teſte Varrone, principes partes habeat ter tres, in totumque partes minimùm octuaginta & vnam, de quibuſdam ſolùm locutus eſt Maro, vt ipſius Ruſticum poëma legenti facilè apparebit, partes autem, quas enumerat Scrofa illic apud Varronem, ſunt hæc; minores pecudes, pecus maius, tertia pecuaria, quæ non paratur, vt ex ijs capiatur fructus, ſed propter eam, aut ex ea ſint; ſub prima

continentur tria, ouis, capra, ſus, ſub altera boues, aſini, equi, ſub tertia muli, canes, paſtores: ſatis igitur fuit Maroni, ſi inſigniores locos tractaret; itaque ex primo membro ſumpſit oues, & capras, ex ſecundo boues, & equos, ex tertio canes, & paſtores omiſsis interim ſuibus, aſinis, & mulis tanquam animalibus vilibus, & quæ tractata ſplendeſcere non poterant: ab huiuſmodi autem argumentis debere poëtas abſtinere docuit Horatius ad Piſones eo verſu. *quæ*

Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

Ac Simonides quidem vix magno precio adduci potuit, vt mulos in certamine ſuperiores ſuo carmine celebraret, quod tandem facere cùm in animum induxiſſet, ita cecinit.

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων.

Noluit.n. parùm honeſto vocabulo mulos appellare, ſed ab equis eorum deſcriptionem ſumpſit, quamquàm Heſiodus hanc cautionem ſibi perpetuò cuſtodiendam eſſe non putauit, aliquoties etenim in ſuo Ruſtico opere ἡμιόνους καὶ οὐρῆας nominauit, ſed Virgilius Romani imperij decus, ac maieſtatem aliquantò cautius cuſtodiuit, quã Græci ſuarum Rerumpubl. itaque cùm neceſſe haberet Latinus poëta nominare lucernam, periphraſim adhibuit, dixitque.

teſta cùm ardente viderent

Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

At ille noſter optimus maximus (vt quidam ipſum appellant) Solem vocauit mundi lucernam, quem antea Virgilius grandi ſanè, ac nobili vocabulo dixerat Lampada.

Argolyci clypei, aut Phœbeę lampadis inſtar. ac rurſus.

Poſtera Phœbea luſtrabat lampade terras.

Sed hic verè ter optimus, ac ter maximus nec lucernam dixit, nec mergum nec ciconiam, ſed auem, *quæ circum litora, circum*

Piſcoſos ſcopulos, humilis volat ęquora iuxta. &

Candida venit auis longis inuiſa colubris.

Sed quanta (quæſo) maieſtate res viles deſcripſit illis verſibus?

Tunc cererem corruptam vndis, cerealiaque arma

Expediunt feſſi rerum: frugeſque receptas

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Quibus omnibus in locis Maronis iudicium obſeruari iubet Seruius Grammaticorũ pręſtantiſsimus: nec verò quicquam officit, quòd alicubi de ſuibus mentionem fecerit Virgilius, namque viget nihilominus ratio noſtra, quandoquidẽ aliud eſt vocabulum ipſum ἁπλῶς, ac nudè ſemel, atque iterum in carmine ponere, aliud de ſuibus fusè pertractare, quod proculdubio numquam feciſſet Maro, nec tam inſigne peccatum admiſiſſet.

Vetus

Vetus quædam ſcriptura cuſtoditur in Plautina Pſeudolo contra M. Antonii Mureti iudicium. *Cap.* XIIII.

PROBAREM ſanè M. Antonij Mureti caſtigationem ſuper illo Plautino carmine ex Pſeudulo.

Per ceram, & linum, literaſque interpretes.

Vt pro lino legatur Lignum, niſi mihi Auſonius aliter ſuaderet, nam Mureti caſtigatio commodam ſententiam continet, proximéque ad veſtigia vulgatæ ſcripturæ accedit, quod in primis deprauatas lectiones emendanti obſeruandum puto: veruntamen Auſonius repugnat (vt dixi) méque in alias partes inuitum penè diſcedere cogit; epiſtola etenim 22. ad Paulinum ſcribens, ſic inquit. Hoc quò facilius impetrarem, aut quò maiorem vercreris moleſtiam, ſi negares; concinnatam iambis, ſignatamque epiſtolam miſi, ne ſubornatum diceres tabellarium, ſi ad te ſine ſigni fide veniret; ſignaui autem non, vt Plautus ait,

Per ceram, & linum, literaſque interpretes.

Sed per poëticum characterem magis notauimus, tanquam ſignum impreſſum iudicares. Quibus verbis indicare videtur Auſonius loqui illic Plautum non de epiſtola, quæ nondũ ſit exarata, atq; adhuc ſcribi debeat, verùm de epiſtola iam obſignata, cui ſcribentis character impreſſus fuerit: cùm .n. epiſtolam complicaſſent veteres, eam lino vinciebant, ne diſſolueretur, ceraque inſuper addita proprium ſignum illi imprimebant, vt recipienti fidem facerent, eam à ſe conſcriptam fuiſſe, neque alicuius alterius manu adulteratam, quam cautionem & nos quoque adhuc obſeruamus: de huiuſcemodi igitur epiſtola loquitur illic Plautus. lini autẽ in ſimili vſu meminit etiam Suetonius in Nerone. Aduerſus falſarios tunc primùm repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur: Ad quæ Suetonij verba Philippus Beroaldus præter Plauti locum ſuperius à me poſitum, hæc duo carmina citat ex eodem Comico.

Effer citò filum, ceras, & tabellas, & linum. & mox paulò

Cedo tu ceram, ac linum actutum; age obliga, obſigna citò.

Huius etiam conſuetudinis meminit Q. Curtius de geſtis Alexandri Magni dicens. Parmenion vinculum epiſtolæ ſoluens, quidnam Rex ageret, requirebat. Quocirca Mureti coniecturam, quam olim tanquam valde εὐστόχως ab ipſo excogitatam ad oram mei codicis adnotaram, nunc mutata ſententia prorſus reijcio, ac deleo.

Varronis locus, qui diuulſus circumferebatur, coagmentatus. Cap. XV.

AMANVENSIVM vitio factum eſt, & illorum, qui libris excribendis operam dabant negligentia, vt verba quædam M. Varronis diuulſa, ac non ſuo loco poſita circumferantur; vnde vix commoda aliqua ſententia, ac ne vix quidem elici poteſt, quod ſanè Petrus Victorius ſummi iudicij vir, & eruditionis exquiſitæ videtur, neſcio quo pacto, ſubodoratus, tametſi nihil opis afferre potuit ad loci ſanationem: Medicea ſiquidem exemplaria nihil amplius pollicebantur, quàm iſti formis impreſſi codices præberent: Complexio autem verborum, de qua nunc diſputo, viſitur libro De Re Ruſt. 3. eam ego vniuerſam apponam, non quomodo habetur in vulgatis editionibus, quas hac in parte vitioſas eſſe non dubito, ſed quomodo notatam reperi ad oram codicis, quo Benedictus pater meus vſus fuit; is.n. cùm Romæ degeret in contubernio Hieronymi Melchioris Maceratenſium Antiſtitis, apud quem principem etiam locum obtinuit, ex peruetuſto quodam, vt ipſe mihi deinde narrare conſueuit, & ſummæ auctoritatis exemplari hunc locum in margine ſui codicis obſcuris quibuſdam notis, ac ſtellulis emendauit, & quomodo legi deberet, mihi per ocium oſtendit: atque is eſt pater meus, vt optimè de his rebus iudicare poſſit: ſed iam tempus eſt locum ipſum ſpectandum proponere, inquit igitur Varro.
„ In fimo intra falere eſt ſta-
„ gnum cum margine pedali, & inſula in medo parua: circum falere,
„ & nauiæ ſunt excauatæ anatium ſtabula (ita.n. hic de opinione reſtituo pro eo, quod in vulgatis habetur Naualia ſunt excauata, namque & hunc locum parum ſincerum eſſe ipſa lectionis varietas, quam Victorius obſeruauit, ſubindicat, vocat autem Nauias Varro calathos ipſos, quibus anates oua incubant, & Nauia ſanè vas quoddam nuncupatur cauatum inſtar nauis, auctore Feſto)
„ ex ſuggeſto faleris, vbi
„ ſolent eſſe περιπετάσματα, prodeunt anates in ſtagnum, ac nant, è
„ quo riuus peruenit in duas, quas dixi, piſcinas, ac piſciculi vltrò,
„ ac citrò commeant, cùm & aqua calida, & frigida ex orbi ligneo,
„ menſaque, quam dixi, in primis radijs eſſe epitonijs verſis ad vnum-
„ quemque factum, ſic vt fluat in conuiuam. In inſula eſt columella,
„ in qua intus axis, qui pro menſa ſuſtinet rotam radiatam, ita vt ad
„ extremum, vbi orbile ſolet eſſe acutum, tabula cauata ſit, vt tympa-
„ num in latitudinem duo pedes, & ſemipedem, in altitudinem pal-
„ mum. Hæc ab vno puero, qui miniſtrat, ita vertitur, vt omnia vnà
„ ponantur, & ad bibendum, & ad edendum, & admoueantur ad om-
„ nes conuiuas. Intrinſecus ſub tholo. Et quæ deinceps illic ſequuntur.

tur; quòd ſi quis Varronis mẽtem diligenter inſpiciat, & edificij illius ſtructuram attentè conſideret, agnoſcet profectò ita, vt propoſui, traiectionem illam emendari oportere verbis eo modo coniunctis, & copulatis, cùm, ſi aliter collocentur, nullus bonus ſenſus efficiatur.

De Syrenum cantu M. Tullii ſententia confirmata aduerſus Dionyſium Lambinum. Cap. XVI.

SI quod aliorum exemplo fit excuſationem meretur, magnorumque virorum auctoritas nos à culpa interdum liberare ſolet, nulla cauſa eſt, cur inſcitiæ notam M. Tullio inuramus, proptereaquòd ſcriptum reliquerit lib. 5. De Finibus Syrenum cantibus nihil aliud ab Homero ſignificari, quàm diſcendi ſtudium, ſciendique voluptatem, ſic.n.ait illic M. Tullius. „ Mihi quidem Homerus huiuſmodi „ quiddam vidiſſe videtur in ijs, quæ de Syrenum cantibus finxerit. „ Neque.n.vocum ſuauitate videntur, aut nouitate quadam, & varie„ te cantandi reuocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur, ſed qui mul„ ta ſe ſcire profitebantur, vt homines ad earum ſaxa diſcendi cupidi„ tate adhæreſcerent; ita.n. inuitant Vlyſſem (nam verti, vt quædam „ Homeri, ſic iſtum ipſum locum)

O decus Argolicum, quin puppim huc flectis, Vlyſſes,
Auribus vt noſtros poſſis cognoſcere cantus?
Nam nemo hęc vnquam eſt tranſuectus cærula curſu,
Quin prius aſtiterit vocum dulcedine captus.

Quæ cùm legiſſet Dionyſius Lambinus, plurimùm ſe mirari ſcripſit ijs de cauſis, quas ipſe copiosè proſequitur in Commentarijs Horatianis, vbi inſpici poterunt: ſed, vt admirationem hanc homini illi eximam, narro ei non defuiſſe multos graues, vt exiſtimare licet, & eruditos viros, qui de Syrenis ita, vt Cicero memoriæ prodidit, exiſtimauerint, earundemque inuolucrum in optimam partem fuerint interpretati, de quorum ſententia ea quoque ſcripta fuiſſe videntur, quæ leguntur apud Plutarchum Sympos. 9. his verbis. ἄγομεν Ὁμή„ ρου Σειρῆνες, οὐ κατὰ λόγον ἡμᾶς τῷ μύθῳ φοβοῦσιν, ἀλλὰ κἀκεῖνος ὀρ„ θῶς ᾐνίξατο τὴν τῆς μουσικῆς αὐτῶν δύναμιν, οὐκ ἀπάνθρωπον οὐδὲ ὀλέ„ θριον οὖσαν, ἀλλὰ ταῖς ἐντεῦθεν ἀπιούσαις ἐκεῖ ψυχαῖς. ὡς ἔοικε, καὶ „ πλανωμέναις μετὰ τὴν τελευτὴν ἔρωτα πρὸς τὰ οὐράνια, καὶ θεῖα. λή„ θην δὲ τῶν θνητῶν ἐμποιοῦσα κατέχει καὶ κατάδει θελγομένας. αἱ δ' ὑπὸ „ χαρᾶς ἕπονται, καὶ συμπεριπολοῦσιν. & reliqua: hoc eſt. Homericarum Syrenum fabula præter rationem nos terret: nam poëta quoque rectè per ambages ſignificauit Muſices earum vim non inhumanam, neque pernicioſam illam; ſed quæ hinc iſtuc abeuntibus animis, vt

apparet, & póſt mortem vagantibus ingeneret amorem cæleſtium, ac diuinorum, obliuionem verò mortalium, detineatque & incantet oblectando præ gaudio ſequentes, & vnà circumuolantes. Suidas quoq; harum rerum optimus teſtis idem latere exiſtimauit ſub ænigmate illius figmenti, inquit.n. in ἀοιδὸς Syrenas Vlyſsi ceciniſſe ea, quibus maximè delectaretur, quæque eius & ambitioni, & ſcientiæ multiplici eſſent conſentanea, quas dicunt, quòd quicunque earum cantus audierit, eum & cum delectatione recedere conſueuiſſe, & doctiorem; Franciſcus quoque Petrarca in quadam ſua cantilena Syrenæ meminit, tanquam rei non omninò malę.

Coſi mi viuo; e coſi auuolge, e ſpiega
Lo ſtame della vita, che m'è data
Queſta ſola frà noi del Ciel' Sirena.

Diogenes quoque dicebat (quod & ipſum aliquo pacto huc pertinere poteſt) Medeam ſapientem, non veneficam fuiſſe, *λαμβάνουσαν*
„ *γὰρ μαλακοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὰ σώματα διεφθαρμένους ὑπὸ τρυφῆς,*
„ *ἐν τοῖς γυμνασίοις, καὶ τοῖς πυρατηρίοις διαπονεῖν, καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν καὶ*
„ *σφριγῶντας. ὅθεν περὶ αὐτῆς ῥυῆναι τὴν δόξαν ὅτι τὰ κρέα ἑψοῦσα-*
„ *νέους ἐποίει.* Acceptis.n.mollibus & effœminatis hominum corporibus, confirmaſſe ipſa gymnaſijs, ac exercitijs, & robuſta, vigentiaque reddidiſſe: hinc famam manaſſe, quòd coquendo carnes in iuuentutem reſtituerit. Non eſt igitur, quòd tàm multis verbis diſputet illic Dionyſius Lambinus de hac re aduerſus M. Tullium, cùm inſignis oratoris huius, ac philoſophi ſententia locupletiſsimis teſtibus fulciatur.

Virgilii vetus lectio, quam Ioſephus Scaliger immutauerat, cuſtoditur. Cap. XVII.

LONGA, diligentique obſeruatione, quam in ſcriptionibus Ioſephi Scaligeri tractandis ſedulò adhibui, videor mihi illius hominis conſilium ferè deprehendiſſe: apparet enim manifeſtè ipſum immodico deſiderio flagrare nouarum rerum, adeò ſæpè veterum placita conuellere ſtudet, omniaque ſurſumuerſum arbitratu ſuo immutare, quod non puto ferendum eſſe; intelligent autem me vera loqui, quicunque eius ſcripta paulò diligentius expendere voluerint, atque ego interim vnum, atque alterum ſpecimen dabo illius hominis inſtituti, vt hinc, velut ex vngue, leonem agnoſcamus. Virgilius in lepido illo poëmatio, cui Moretum ex re nomen indidit, ita habet,

Hortus erat iunctus caſulę, quem vimina pauca,
Et calamo rediuiua leui munibat arundo.

Non

Non putat Scaliger arundineta muniendis hortis, aut ſepibus obtendendis vſum pręſtare conſueuiſſe: quare mauult Minuebat, id eſt, vt Horatius loqueretur, denormabat. Sed errat Scaliger toto cælo, ſeq; aut ineruditum, aut ſeditioſum eſſe manifeſtò prodit: ineruditum, quòd arundinem φραγμίτην ignorauerit; ſeditioſum, quòd, ſi modò illam nouit, ſe tamen ſcire conſultò diſsimulauerit, vt recenti ſuo cõmento locum faceret. vtcunque ſit, affirmo ego Virgilij contextum nulli culpæ obnoxium eſſe, namque arundo, quam φραγμίτην Theophraſtus, & Dioſcorides vocant, agris, atque hortis obſepiendis deſeruiebat, vnde etiam nomen apud Græcos inuenit: ad vimen quòd attinet, nullum in præſentia mihi teſtimonium ſuccurrit veteris alicuius auctoris, quo Maronis vulgatam ſcripturam confirmem, ſed cùm noſtros agros eo circumſeptos paſsim intueri liceat, imbecillis ingenij eſſe arbitror in re adeò manifeſta, atque in promptu poſita teſtimonia quærere.

Xiphilini locus ex ingenio reſtitutus. *Cap. XVIII.*

XIPHILINVS in Adriano de Turbone loquens ait οἴκοι δ᾽ ὁ Τύρβων οὔποτε ἡμέρας νοσήσας ὤφθη. quæ verba ita, vt ſonant, verè, ac fideliter in Latinam linguam tranſfudit Gulielmus Blancus hunc in modum. Turbo autem nunquam interdiù, ne ęgrotus quidem domi viſus eſt. An verò cuiquam veriſimile videbitur Turbonem interdiù domi viſum non fuiſſe? at vbi nam, quæſo, cibũ capiebat? vbi naturæ neceſsitati obſequebatur? deniq; ſi morbo aliquo correptus eſſet, vbi ſe curabat, domine, an in vijs, in foro, in theatro? Non ſum adeò hebes, vt non intelligam, nullo opus eſſe longiore ſermone ad perſuadendum lectori maculam aliquam hærere in Xiphilini verbis, cùm etiam, quod locum à me poſitum ſtatim conſequitur, hoc liquidò arguat. ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν Ἀδριανὸν συμβολεύοντα αὐτῷ ἀτρεμήσειν, ἔπεν ὅτι τὸν ἔπαρχον ἑστῶτα ἀποθνήσκειν δεῖ. hoc eſt. Sed & Adriano conſulenti ſibi, vt quieſceret, reſpondit, Præfectum ſtantem mori oportere. Si hæc verba iccircò à Xiphilino apponuntur (quemadmodum quidem apponi certum eſt,) vt conſtituatur id, quod de Turbonis vitæ dura, atque aſpera conditione ſtatim dixerat, non video quomodo hæc inuicem cohæreant, quidque cum eo, quod ſtatim conſequitur, commune habeant: exiſtimo itaque (& fortaſſe fallor) aliquid deſiderari in contextu Xiphilini, quod cuiuſmodi ſit, vt certò ſciri non poteſt, ita facilè crediderim verbum aliquod deeſſe, quod hanc ſententiam conficiat. Turbo autem numquam interdiù ſedere, ne ægrotus quidem domi viſus eſt, vt ſit, verbi

gratia κατακλίνεσθαι, κεῖσθαι, καθίζειν, aut aliquid ſimile; cui orationi ſtatim annectitur Sed & Adriano conſulenti, & reliqua: vult enim Xiphilinus hoc ſermone id, quod ſtatim dixerat, manifeſtius adhuc oſtendere, ac Turbonis voce coràm Adriano emiſſa id ipſum firmius conſtituere. Dixi quid ego ſentirem de hoc loco, nunc alij iudicabunt, an falſus fuerim.

Pulchra quæſtio propoſita de nuptis, atque innuptis militibus, vtri fortius gerant ſe in prælijs. *Cap. XIX.*

CVM militum animos ad fortiter, ſtrenuèque pugnandum acuere volunt imperatores, præter cætera, quæ ad hanc rem efficiendam argumenta colligere ſolent; frequenter ipſis ingerere conſueuerunt vxorum, filiorumque amorem, atque erga ipſos caritatem, valet.n. hoc multùm ad excitandos animos eorum, qui vel vxorem habent, vel filios quandoque ſuſceperunt: poſſunt autem hac de re infinita propemodum exempla in medium produci, ſed non committam, vt in re valde perſpicua meo, lectoriſque ocio ſecurè nimis abutar: vno Xenophontis, altero Liuij teſtimonio contentus ero, quæ fuerint inſtar omnium. Cyaxares in oratione, qua Cyro perſuadere conatur minimè perſequendos eſſe Aſsyrios, qui poſt ingens illud prælium infeliciter ab ipſis confectum nocturnam fugam meditabantur,
,, præter cætera, inquit. ἴσθι ὅτι οὐ σὺ μᾶλλον τὰς ἐκείνων γυναῖκας
,, καὶ παῖδας ἐπιθυμεῖς λαβεῖν ἢ ἐκεῖνοι σῶσαι. ἐννόει δ' ὅτι καὶ αἱ σύες ἐπει-
,, δὰν ὀφθῶσι. φεύγουσι καὶ πολλαὶ οὖσαι σὺν τοῖς τέκνοις. ἐπειδὰν δέ τις
,, αὐτῶν θηρᾷ τι τῶν τέκνων, οὐκέτι φεύγει οὐδ' ἢν μία τύχῃ οὖσα, ἀλλ' ἵεται
,, παρὰ τὸν λαμβάνειν πειρώμενον. hoc eſt. Scire debes, non tàm illorum vxores, ac liberos capiundi te cupidum eſſe, quàm ipſi ſeruandi ſint cupidi: etiam ſucs cogitato, poſteaquam viſæ ſunt, cum natis fugere, tametſi multæ ſint numero: ſin quis natos venetur, non iam amplius, ne ſi vna quidem ſit, fugit, ſed eum, qui capere conatur, inuadit. Scipio quoque Conſul cum Annibale congreſſurus ita milites hortatur apud Liuium lib. 21. vt erga vxores, ac liberos amorem
,, ante oculos ipſis ponat, Vnuſquiſq; (inquit) ſe non corpus ſuum, ſed
,, coniugem, ac liberos armis protegere putet, nec domeſticas ſolùm
,, agitet curas, ſed identidem hoc animo reputet, noſtras nunc intueri
,, manus Senatum, Pop. Rom. qualis noſtra vis, virtuſque fuerint, ta-
,, lem deinde fortunam illius vrbis, ac Romani Imperij fore. Vnde colligi volo milites, qui vxorem habent alacrius, pro patria vitam profundere, eique minus omninò parcere, quàm qui cælibes viuunt: Sed quid eſt, quod Epaminondas interrogatus, quid vtilitatis cape-

res

ret vir innuptus, reſpondiſſe fertur τὸ μὴ ὀκνεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν. hoc eſt. Pro patria mori non dubitare? An qui eo in loco pugnant, vbi vxores, ac liberos præſentes habent, vel cùm eorundem ſalus ab eorum victoria pendet, alacrius pugnant, vitęque periculum libentius adeunt, ne cariſsima pignora hoſtibus prodant: innupti verò non adeò fortiter ſe gerunt, quia non habent, cur magnopere laborent victoriam ſuo ſanguine, ac vitæ profuſione adipiſci? cum verò illi procul ab ipſis abſunt, vitæ parcunt, & ſe cautius in prælijs gerunt, vt ad penates reuerti poſsint, vbi ſani, atque integelli vxoribus, ac liberis fruantur, quod de his alteris dici non poteſt? Sed huic ſententiæ officere videtur Maronis illud ex. 10.

nunc coniugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor.

Huiuſmodi quæſtiones proponere, vt habeant eruditi adoleſcentes, vnde ingenia acuere poſsint, fortaſſe non eſt inutile: cogitent itaque exitum huius labyrinti.

Sancire fœdera fulmine, quid valeat apud Virgilium, vbi Adriani Turnebi opinio confutatur. Cap. XX.

SANCIRE fœdera fulmine apud Maronem 12. Æn. ibi

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.

Non eſt fulmine periuros, ac fœdifragos impetere, vt cenſuit Adrianus Turnebus; ſed, quæ fuit Seruij veteris, atque euiditi Grammatici ſententia, confirmare, ac ſancta reddere: ſumptum hoc ex fulminum natura, abditaque Hetruſcorum diſciplina, cuius peritiſsimum fuiſſe poëtam hunc abundè intelligunt, quicunque diligenter in ipſius ſcriptis verſati ſunt. Euiditiſsimi interpretis ſententiam aduerſus Turnebi commentitiam explicationē Senecę verba mirificè iuuāt, cùm de fulminum vi, ac natura loquens inquit Natur. quæſt. lib. 2.
„ Summam eſſe vim fulminum iudicarit, quia quicquid alia portendunt, interuentus fulminis tollit, quicquid hoc portenditur, fixum
„ eſt, nec alterius oſtenti ſignificatione minuitur: quicquid exta, quicquid aues minabuntur, ſecundo fulmine abolebitur: quicquid fulmine denunciatum eſt, nec extis, nec aue contraria refellitur. Quamquam mox aduerſus hanc obſeruationem diligentiſsimè diſputat; ſed poëta ſumpſit, quod ſuo inſtituto conducere intelligebat, quemmodum Horatium quoque feciſſe crediderim in Odis, cùm ait.

namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens
Plerumque per purum tonantes

Egit equos, volucremque currum.

Neque.n.ex nihilo prodigium fulminis arripuit inter tot portenta, quæ in promptu habebat: Vera igitur eſt Seruij expoſitio, nec ſelecti quicquam Turnebus offert, quod cum merce veteris grammatici commutare præſtet.

Auſonii locus declaratus aliter, atque ipſum expoſuerit Cœlius Rhodiginus. Cap. XXI.

EX Pythagoræ ſententia περὶ παλιγγενεσίας καὶ μετεμψυχώσεως occaſionem ſumens Auſonius Marcum quempiam vrbano ioco ſubſannat, acerrimiſq; ſtimulis exagitat: erat autem Marcus ille præpoſteræ Veneri valdè deditus, & in puerorum amoribus inſanè admodum ferebatur; de illo itaq; ſic vaticinatur Pythagoras.

Non taurus, non mulus erit, non hyppocamelus;

Non caper, aut aries; ſed ſcarabeus erit.

Quem locum exponens Cælius Rhodiginus μυστήρια quædã (vt eius mos eſt) promit, & multa cæteris abdita, ſibi vni cognita adducit, quæ in ſuis illis Antiquis Lectionibus inſpici poterunt. Ego ſimplicius, ac fortaſſe non minus eruditè, certè auctoris menti magis accomodatè ad ſpurciſsimum illud libidinis genus alluſum fuiſſe crediderim, quo Marcus plurimùm delectabatur, & in quo peragẽdo mentula (ſit honor auribus) coinquinari conſueuit, & non ſecus, atque ex latrina aliqua educatur, ſtercore, & oleto interdum repleri, à quo facto ille alter iocus ductus eſt, qui in fine cuiuſdam epigrammatis in Priapum continetur hoc modo.

Smerdaleos certè niſi res non munda vocatur,

Et pædiconum mentula ſmerdalea eſt.

Dum enim ſignificare velle videtur pediconum mentulam immanem eſſe, ac formidoloſam, quod valet Græca dictio σμερδαλέος, ἀπὸ τοῦ μερίζειν τὴν ψυχὴν τῶν ὁρώντων τῷ φόβῳ, dicit ipſam oleto inquinatam eſſe; atque ita lectorem ludit duplici ſenſu, nam aliquis fortaſſe verbum illud accepiſſet in eam ſententiam, in quam de eodem Priapo ſcriptum legimus alio epigrammate.

Herculis armata eſt inuicti dextera claua,

At me terribilem mentula tenta facit.

Et in endecaſyllabo, vbi Priapus à furibus ſe irrideri queritur.

Eheu me miſerum quid iſta lignum eſt,

Quæ me terribilem facit videri?

Sed non illud ſibi tunc volebat poëta eo ſermone, verùm id potius, quod ſtatim diximus, Itaq; (vt iam ad Auſoniũ redeam) quoniã ſca-

rabeus è fimo oritur, eoque aſsiduè nutritur, & pædicones eo plurimùm delectari videntur, adeò frequenter ipſi immerguntur, atque eas partes aſsiduè fodicant, vnde is egeritur, iccircò dixit Auſonius fore, vt Marci animus ſcarabei corpus quandoque induat, quæ vera, & firma ſententia eſt illius epigrammatis. Porrò (vt ſcribit Ælianus in libris de Animalib.) ſcarabeorum natio fœminei ſexus quòd ſit expers, ideò in fimi pilam ſemen emittit, quam octo & viginti dierum ſpatio & volutat, & concalefacit, deinde fœtum procreat: Græci ſcriptoris verba Latinis à me poſitis reſpondentia, ſi quis fortè requirat, & propria lingua auctorem loquentem audire malit, adſcribere
„ libuit; ſunt autem hæc. ὁ κάνθαρος ἄθηλυ ζῶον ἐϛὶ. σπείρει δὲ ἐς τὴν
„ σφαῖραν ἣν κυλίει. ὀκτὼ δὲ καὶ εἴκοσι ἡμερῶν τοῦτο δράσας, καὶ θάλψας αὐ-
„ τὴν ἔτα μέν τοι τῇ ἐπὶ ταύταις, προάγει τὸν νεοττόν. De ſcarabeorum præterea natura, ac proprietate plura, ſi quis id curet, ſcripta reperiet penes Orum Apollinem, Clementem Alexandrinum, Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, Plutarchum libro de Iſide, & Oſiride, Plinium, atque alios item non paucos, quos in præſentia dinumerare non eſt neceſſe. Sunt hæc (fateor) obſcæna quidem atque impudica, ſed huiuſmodi tamen, quæ ignorari non debeant propter lumē, quod inferunt priſcis auctoribus, Ac quemadmodū medici venenorum cognitionem haud prorſus reijciunt, non vt ipſis vtantur, ſed vt eorum peſtilenti natura cognita diligentius in poſterum ab eiſdem ſibi caueant, ita nos vitij obſcænitate perſpecta, cautius deinceps in toto vitæ curriculo ipſum vitare conabimur.

Rectum videri, quod legitur apud Lucretium Ningunt roſarum floribus; vbi Giſanij opinio confutatur, qui ſcripturam immutauerat, vt eſſet Pingunt. Cap. XXII.

INFIRMA eſt ratio Oberti Giſanij, cur potius Pingunt, quàm Ningunt legendum ſit apud Lucretium lib. 2. ibi

Largifica ſtipe ditantes: ninguntque roſarum
Floribus, vmbrantes Matrem, comitumque cateruas.

Namque eodem prorſus pacto dictum videtur ab Anacreonte μύρα ψεκάζειν, cùm de columba loqueretur his verbis.

Ἐρασμίη πέλεια, hoc eſt. *Amabilis columba*
Πόθεν πόθεν πέτασαι; *Vnde, vnde pergis, aut quò,*
Πόθεν μύρων τοσούτων, *Tot vnde nunc odores*
Ἐπ᾽ ἠέρος θέουσα, *Huc aduolans per auras,*
Πνέεις τε καὶ ψεκάζεις; *Spiraſque, depluiſque?*

Sic etiam Græcis in Prouerbium ceſsit δραχμὴ χαλαζῶσα, vt refert Suidas: nec abſimile eſt, quod ait Pacuuius Paulo.

Sagittis

Sagittis, plumbo, & ſaxis grandinat, niuit.
Item Ennius octauo Annal.
Haſtati ſpargunt haſtas, fit ferreus imber
Vnde ſumpſit Virgilius. *Ac ferreus ingruit imber*
Rurſus Ennius in 15. eorundem Annal.
Vndique conueniunt, velut imber, tela Tribuno
Configunt parmam. & reliqua. Hinc milites rorarij, vt docet Feſtus. Vſus quoque eſt pari dictione tranſlatè ſuauiſsimus noſter poëta Hetruſcus, cùm cecinit in quadam ſua cantilena.

Da bei rami ſcendea
Dolce ne la memoria
Vna pioggia di fior ſoura il ſuo grembo.

Valet igitur eo in loco verbum Ningere magnam vim florum, ac roſarum deſuper fundere, vt copiæ tantùm ratio habeatur illo ſermone, licet Iupiter nullam præſtet operam in hoc negocio: quod ex his Homeri carminibus manifeſtum eſſe poteſt.

Τῶν δ' ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτουσι θαμεαὶ
Ηματι χειμερίῳ, ὅτε τ' ὤρετο μητιέτα Ζεὺς
Νιφέμεν ἀνθρώποισι, πιφαυσκόμενος τὰ ἃ κῆλα,
Κοιμήσας δ' ἀνέμους χέει ἔμπεδον, ὄφρα καλύψῃ
Υψηλῶν ὀρέων κορυφὰς καὶ πρώονας ἄκρους,
Καὶ πεδία λωτεῦντα, καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα,
Καί τ' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς κέχυται, λιμέσιν τε καὶ ἀκταῖς,
Κῦμα δέ μιν προσπλάζον ἐρύκεται, ἄλλα τε πάντα
Εἰλύαται καθύπερθ' ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος.
Ὣς τῶν ἀμφοτέρωσε λίθοι. & reliqua.

Hoc eſt. Sicut autem grumi niuis crebri decidunt hyemali tempore, cùm Iupiter conſiliarius ningere cepit ſua oſtendens tela, ac ventis quieſcentibus copioſè fundit, donec montium vertices, ac ſummitates vndique cooperiat, necnon ipſos floridos campos, & ſata, ij etenim grumi funduntur ſuper mari, portubus, ac litoribus, fluctus verò accedens, ac recedens ipſos conſiſtere vetat, ſed cuncta alia deſuper conteguntur Ioue ipſo ningente, ſic horum vtrinque lapides. Reſpicit.n.hoc ſimile vim, & copiam telorum, quæ ab vtroque exercitu iaciebantur, ſicut apud Lucretium verbum Ningit florum abundantiam denotat, quibus Magna mater, ipſiuſque ſacerdotes de ſuperiore loco petebantur.

Plautinum adagium nouo ſenſu explicatum. Cap. XXIII.

STATVRIO paraſitus apud Plautum Comœdia, quæ inſcribitur Perſa dum ſe in paraſitandi artificio glorioſè venditat, & leges

quaſdam

quaſdam ex ſuo conſilio, ac prudentia promptas ferre conatur, poſt multa verba in ea re inſumpta, hæc tandem ſubdit.

Si id fiat, næ iſti faxim nuſquam appareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.

In quibus prouerbiali ſpecie dictum eſt

albo rete aliena oppugnant bona,

Quod Chiliadum auctor adnotauit, ſuaque explicatione planius reddidit, alluſum exiſtimans ad codicillos, & dicas, ſyngraphaſque, quibus lis intenditur, peragiturque; neque etiam ei diſplicet, vt ad album Prætoris, quo leges, & litium formulæ proponebantur, reſpexerit Plautus, nam leges etiam Solon aranearum textis ſimiles eſſe dixit: hactenus quidem ille doctè, & ad Plauti ſententiam (vt exiſtimo) valde appoſitè: ſed non minus fortaſſe accommodatè illud etiam dici poteſt, quod ex Plutarcho videtur colligi in fine quæſtionis 13. vbi cauſſam inquirens philoſophus ille, quamobrem hyeme magis, quàm æſtate piſcatorum retia putreſcant, cùm alijs rebus hoc æſtate eueniat, ita ſcriptum reliquit. διὸ καὶ ϛύφυσιν αὐ-
„ τὰ (δίκτυα) ταῖς βαφαῖς καὶ πυκνοῦσι φοβούμενος τὰς ἀναλύσεις. ἐπεί,
„ μὴ βαφέντα, μὴ δὲ χρισθέντα μᾶλλον ἂν ἐλάνθανε τοὺς ἰχθῦς. ἐναέ-
„ ριον γὰρ τὸ τοῦ λίνου χρῶμα καὶ ἀπατηλὸν ἐν θαλάττῃ. hoc eſt. Ideo retia piſcatores ſtipant tincturis, atque denſant, metuentes diſſolutionem: nam alïoqui nulla re tinctum rete, aut inunctum, facilius falleret piſces: cùm lini color ſit aëreus, & in mari facilè lateat: Idem quoque tradit in Commentario De ſolertia animal. dicens. ἔπειτα τὴν
„ ὁρμιὰν οὐ ποιοῦσι πολύπλοκον τοῖς ἅμμασι τῶν βρόχων, οὐδὲ τραχεῖαν.
„ ἐπεὶ καὶ τοῦτο τοῦ δόλου γίνεται τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ τῶν τριχῶν τὰ καθή-
„ κοντα πρὸς τὸ ἄγκιστρον, ὡς ἔνι μάλιϛα λευκὰ φαίνεσθαι μηχανῶν-
„ ται. μᾶλλον γὰρ οὕτως ἐν τῇ θαλάττῃ διὰ ὁμοιότητα τοῦ χρόας λανθά-
νουσι. hoc eſt. Sed & funiculum hami paucis nodis nectunt, læuemque faciunt; quòd alias dolum ſenſuros piſces putant; & ſetæ partes quibus vncus alligatur, quàm maximè albas faciunt: ſic.n. magis latent in mari ob ſimilitudinem coloris. Ælianus quoque in ſargorum captura albæ lineæ meminit, quam piſcatores non arundini appendere ait; ſed virgæ de cornu arbore: αἱρεῖται (inquit) αὐτοὺς πολλοὺς
„ ἀγκίϛρῳ σκληρῷ, καὶ ὁρμιᾷ λίνου λευκοῦ. ἐξῆπται δὲ οὐχὶ καλάμου, ἀλλὰ
„ ῥάβδου κρανείας. Iacobus Ræuardus illic apud Plautum legendum putat Pariete pro Rete, vt ad Prætoris album commodius referatur, ſed mihi longè magis arridet vulgata lectio eo ſenſu, quem modò expoſui.

Corr-

Corrigitur de opinione Macrobij locus, qui deprauatus eſſe videtur in impreſſis codicibus. Cap. XXIIII.

AOιδορία, qua ſutor ille in iudicio à Planco laceſsitus laceſſentem vi ciſsim tetigit, refertur à Macrobio Saturn. 2. his verbis. Plancus „ in iudicio fortè amici cùm moleſtũ teſtem deſtruere vellet, interroga „ uit (quia ſutorem ſciebat) quo artificio ſe tueretur: ille vrbanè re- „ ſpondit. Gallam ſubigo. Sutorium hoc habetur inſtrumentũ, quod „ non infacetè in adulterij explorationem ambiguitate conuertit. Nam „ Plancus in Meuia Galla nupta malè audiebat. Cuiuſmodi fuerit inſtrumentum illud ſutorium, quod Galla diceretur; cùm multùm, diùque tùm ex mutis, tùm etiam ex diſertè loquentibus magiſtris quæſiuiſſem, numquam tamen inuenire potui, vnde factum eſt, vt non ſatis peſpicerem eius acutæ vocis gratiam, & venuſtatem: cepi igitur, vt fit in re valde obſcura, & cognitu perdifficili, in diuerſas partes animum diuidere, ac denique nulla mihi huius nodi explicandi commodior occurrit ratio, quàm ſi legamus. Sutorium hinc habetur atramentum. Reperio etenim apud Cęſarem Conſtantinũ lib. 14 de Agricultura ex galla & alumine cũ aceto trito atramentũ fieri ad oua conſcribenda: Plinius quoque memoriæ prodit gallam in vſu fuiſſe tingendis corijs, eaque capillos denigrari conſueuiſſe, quod item penes Dioſcoridẽ inuenias, ait enim μελαίνουσι καὶ τρίχας, ἀποβραχεῖσαι ὄξει ἢ ὕδατι. ſed etiamnum ad totidem vſus eandem aſſeruant noſtrates homines, vt ſcias vera eſſe, quæ de ipſius facultate ſcripſerunt veteres: Robertus Conſtantinus gallam interpretatur ὀπήτιον, id eſt ſubulam; ſed quo auctore? deinde quis ſubigit ὀπήτιον, ac non potius eo aliquid aliud? Sutorij atramenti meminit Cornelius Celſus lib. 5. Iam verò ſuperuacaneum fuerit lectorẽ admonere legi debere illic apud Macrobium Exprobrationẽ non Explorationẽ facili in tanta vocum ſimilitudine ab altera dictione in alterã lapſu.

Ciceronis locus diligenter examinatus in Oratione pro C. Rabirio Poſthumo. Cap. XXV.

„ AT permutata aliquando pecunia eſt; auditę naues Poſthumi Pu- „ teolis ſunt: auditę, viſæq; merces fallaces quidẽ, & fucoſæ: char- „ tis, & linteis, & vitro delatæ: quibus cũ multę naues refertæ fuiſſent, „ vna non latuit parua. Magis intelligemus hunc Ciceronis locum ex Oratione pro C. Rabirio Poſthumo declarationis remedio adhibito, quàm vllius emẽdationis auxilio aduocato, prorſus.n. rectè ſe habet, omniq; macula caret, licet quidam typographi nimis, quàm vellem, diligentes aſteriſcum illi appingere non dubitarint, vnde factum eſt,

vt

„ vt olim hariolarer ita ſcribi oportere. Auditæ, viſæque merces falla
„ ces quidem, & fucoſæ, carris, & lintribus è vico delatæ. Vide quid præſtent interdum librarioli iſti ſua putida, ac ſuperſtitioſa diligentia. Dico igitur probam eſſe lectionem priore loco à me poſitam, optimèque declarari his, quæ ſubijciam, veterum ſcriptorum teſti-
„ monijs, Vopiſcus in Aureliano, Aurelianus (inquit) vitri, cartę,
„ lini, ſtuppæ, atque ambolicas ſpecies æternas conſtituit. Vocat.n. ambolicas ſpecies, quas Romam Ægyptij mittebant annuo vectigali. Martialis de calicibus vitreis in Apophoretis.

Aſpicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ab quoties prodidit auctor opus.

Et alio epigrammate, quod legitur (ni fallor) lib. 12. ad Flaccum

Cùm tibi Niliacus portet cryſtalla catâſtus,
Accipe de circo pocula Flamminio.

Hæc Martialis teſtimonia tuentur ſcripturam vulgatam in M. Tullij codicibus, quam quidam Vopiſci auctoritate freti immutauerant, vt eſſet, Et nitro. Venio nunc ad Grçcos auctores. Arrianus in deſcriptione maris Erythræi loquens de regionibus, quibus tunc tẽporis imperaſſe ſcribit Zoſcalem quemdã ſpectatæ probitatis virũ inquit.
„ προχωρεῖ εἰς τοὺς τόπους τούτους, ἱμάτια βαρβαρικὰ ἄγναφα, τὰ ἐν
„ Αἰγύπτῳ γινόμενα. ἀρσινοητικαὶ στολαὶ, καὶ ἄβολοι νόθοι χρωμάτινοι,
„ καὶ λεντία, καὶ δικρόσσια, καὶ λιθίας ὕλης πλέονα γένη, καὶ ἄλλης μορ-
„ ρίνης, τῆς γινομένης ἐν διοσπόλει. καὶ ὀρείχαλκος, ᾧ χρῶνται πρὸς
„ κόσμον, καὶ εἰς συγκοπὴν ἀντὶ νομίσματος, καὶ μελίεφθα χαλκᾶ, εἴς
„ τε ἕψησιν καὶ εἰς συγκοπὴν ψελίων καὶ περισκελίδων τισὶ τῶν γυναι-
κῶν. et reliqua. hoc eſt. In hæc loca deportantur venalia; veſtes barbaræ, atque rudes, quæ fiunt in Ægypto, ſtolæ Arſinoiticæ, abollæ adulterini coloris, lintea; dicroſia, omnis generis vaſa vitrea, atque murrhina in vrbe Dioſpoli elaborata; item orichalcum, quo vtuntur ad ornatum, ex quo in fruſtra diſſecto etiam numiſmata conficiunt, nec non meliephtha ęnea, ex quibus etiam in fruſtra conciſis armillas, atque periſcelidas nonnullæ mulieres conficiunt. Geor-
„ gius Cedrenus. Ἐπὶ καὶ βασιλείας Αὐγούστου Καίσαρος, εἰσῆλθε πλοῖον
„ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας εἰς τὴν πόρταν Ῥώμης, ὑποφερόμενον σίτου μο-
„ δίων χιλιάδας υ, ὑποβάτας ασ, ναύτας σ, πέπερι ὀθόνας, χάρτην,
„ ὕελια, καὶ τὸν μέγαν ὀβελίσκον. et reliqna. hoc eſt. Auguſto imperante nauis Alexandrina in portum Romę eſt aducta quadringenta modiorum frumenti millia adferens, claſsiarios mille ducentos, nautas ducentos, tùm piper, linea, chartas, vitra, magnumque obeliſcum. Confer hæc cum Ciceronis loco, vt intelligas cur fucoſas merces illicis appellauerit, itemque cur piperis, cartæ, & vitri mentionem fecerit, nam (vt dixi) optimè concepta eſt vulgata ſcriptura.

SCRIPTORVM INDEX, DE QVORVM LOCIS,

Aut ſententijs in his libris diſputatur.

A

ACHILLES Statius. p. 140. 236.
Acro. p. 122.
Acurſius. p. 121.
Adrianus Iunius. p. 57.
Adrianus Turnebus. p. 24. 75. 116. 214. 247. 267.
Aelianus. p. 62. 136. 184. 241.
Aelius Lampridius. p. 258.
Aeſchylus. p. 109.
Aldus Manutius. p. 138. 180. 247.
Alexander Aphrodiſienſis. p. 230.
Angelus Politianus. p. 47. 230. 236.
Antigonus. p. 5.
Appianus Alexandrinus. p. 256.
Apuleius. p. 69. 95. 152. 240.
Ariſtoteles. p. 45. 60. 117. 126. 141. 177. 183.
Arnobius. p. 128.
Arrianns. p. 211.
Auſonius. p. 69. 75. 78. 125. 268.

B

BEatus Rhenanus. p. 166.

C

CCallimachus. p. 205.
Calpurnius. p. 191. 202.
Carolus Sigonius. p. 5. 147.
Catullus. p. 30. 111. 186. 216. 236. 244. 251.
Q. Catulus. p. 177.
Coelius Rhodiginus. p. 258.
Coelius Secundus. p. 163.
Cicero. p. 6. 13. 35. 43. 58. 63. 44. 107. 142. 160. 162. 171. 182. 190. 199. 209. 227. 229. 231. 233. 263. 272.
Clemens Alexandrinus. p. 55. 104.
Cyriacus Strozzius. p. 177.

D

DAntes Aligherius. p. 152.
Deſiderius Eraſmus. p. 18 28. 66. 101. 111. 125. 141. 156. 196. 252. 270.
Dionyſius Lābinus. p. 10. 17. 19. 27. 96. 113. 116. 122. 134. 158. 235. 237. 263.
Domitius Calderinus. p. 76. 193. 234. 239. 244.

E

ELias Vinetus. p. 75.
Epicurus. p. 21.
Euphorion Calcidicus. p. 131.

F

FEſtus Pompeius. p. 257.
Franciſcus Duarenus. p. 199.
Franciſcus Hotomanus. p. 23. 53. 98. 129. 253. 199.
Franciſcus Luiſinus. p. 13. 108. 117. 141. 183. 209.
Franciſcus Robortellus. p. 60. 147. 216

G

GAleotus Martius. p. 245.
A. Gellius. p. 1. 23. 48. 55. 91. 143. 150.
Gentianus Heruetus. p. 104. 126.
Germanus Valens. p. 27.
Gulielmus Canterus. p. 19. 87. 94. 107. 154. 175. 205. 228. 231.
Gulielmus Xylander. p. 16. 122. 187.

H

HEnricus Glareanus. p. 202.
Hermolaus Barbarus. p.
Hieronymus Mercurialis. p. 67.

Hora-

Horatius. p. 8. 15. 27. 40. 56. 76. 82. 90. 97. 107. 112. 114. 122. 132. 151. 158. 219. 234. 250. 254. 267.

I

IAcobus Mycillus. p. 49.
Iacobus Ræuardus. p. 210. 271.
Ianus Parrhaſius. p. 125.
Ioachimus Perionius. p. 126.
Ioannes Brodæus. p. 43.
Ioannes Stobæus. p. 61.
Ioannes Tzetzes. p. 48. 119.
Ioannes Xiphilinus. p. 265.
Iodochus Vuillichius. p. 62.
Ioſephus Scaliger. p. 70. 74. 106. 111. 137. 159. 168. 186. 213. 236. 251. 264.
Iſocrates. p. 93.
Iulius Sirenus. p. 171.
Iuſtus Lipſius. p. 214. 235.
Iuuenalis. p. 172. 200. 243.

L

LActantius Firmianns. p. 228.
Leonardus Aretinus. p. 60.
T. Liuius. p. 25. 50. 64. 147. 166. 202. 224. 227.
Lodouicus Carrio. p. 91. 164.
Lodouicus Strebæus. p. 209.
Lucianus. p. 49.
Lucilius. p. 112.
Lucretius. p. 34. 67. 77. 188. 269.
Lycophron. p. 175.

M

MAcrobius. p. 152. 172.
Marcellus Virgilius. p. 6.
Marcus Antonius Muretus. p. 4. 24. 34. 85. 93. 124. 140. 150. 153. 186. 199. 211. 213. 233. 261.
Martialis. p. 38. 44. 76. 83. 166. 183. 193. 221. 234. 239.
Melchior Guilandinus. p. 11. 194.
Michaël Brutus. p. 216.

N

NIcolaus Perottus. p. 214.
Nonius Marcellus. p. 164. 198.

O

OBertus Giſanius. p. 269.
Ouidius. p. 120. 217.

P

PAndectæ. p. 149.
Petronius Arbiter. p. 242.
Petrus Moſellanus. p. 89.
Petrus Nannius. p. 25. 182. 250.
Petrus Victorius. p. 6. 12. 45. 98. 140. 142. 145. 152. 162. 179. 190. 199. 200. 229. 236. 246. 259.
Philippus Beroaldus. p. 95. 185. 237. 240. 257.
Plautus. p. 17. 70. 116. 178. 197. 203. 235. 237. 261. 270.
Plinius Auunculus. p. 4. 11. 36. 44. 92. 67. 73. 99. 108. 124. 144. 194. 221. 230. 245. 252. 255. 258.
Plinius Nepos. p. 210.
Plutarchus. p. 2. 5. 28. 119.
Pomponius Mela. p. 200.
Porphyrio. p. 122.
Propertius. p. 20. 39. 47. 87. 168. 208. 225. 245.

Q

QVintilianus. p. 2. 6.

R

RObertus Conſtantinus. p. 205. 258. 272.

S

SAlluſtius. p. 211.
Seneca. p. 26. 163. 205. 214.
Seruius Honoratus. p. 125. 210.
Sigiſmundus Gelenius. p. 73.
Solinus. p. 214.
Sophocles. p. 12.
Strabo. p. 43.
Suetonius Tranquillus. p. 140. 185. 256.
Syneſius. p. 75.

T

TErentius. p. 33. 54. 103. 130.
Theognis. p. 3.
D. Thomas Aquinas. p. 79.
Tibullus. p. 147. 159. 186. 213.

V

VAlerius Maximus. p. 85.
Varro. p. 11. 57. 89. 179. 235. 262.
Velleius Paterculus. p. 138. 180. 247.
Virgilius. p. 14. 62. 68. 70. 74. 137. 154. 163. 194. 207. 239. 249. 253. 259. 264. 267.

X

XEnophon. p. 13. 155.

Frater Antonius Burdigonius de Maſſa Lunenſi ſocius Reuerendi Patris Inquiſitoris Florentiæ de mandato concedit, ut imprimantur libri decem hi Locorum controuerſorum Roberti Titij Burgenſis. In quorum ſidem &c. Datum Florentiæ die 4. Auguſti. CIↃ IↃ LXXXIII.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z, Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.

Omnes ſunt duerniones Mm eſt ſemifolium.

IN ROMA

FLORENTIÆ
Apud Bartholomæum Sermartellium.
CIↃ IↃ LXXXIII.